UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Patrocinivm Defvnctorvm

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-79679

Visual Library

Th. 595a.

f. XII
10

PATROCINIVM
DEFVNCTORVM
A R. P.
IACOBO HAVTINO
SOC. IESV SACERDOTE
TRIBUS LIBRIS EXARATUM.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PATROCINIVM
DEFVNCTORVM

A R. P.

IACOBO HAVTINO
SOC. IESV SACERDOTE

TRIBUS LIBRIS EXARATUM:

QVORVM PRIMVS VERITATEM, ACERBITATEM
AC DIUTURNITATEM LUSTRALIUM CRUCIATUUM;
ALTER CAVSAS VITA FUNCTIS OPITULANDI;
TERTIUS MODOS COMPLECTITUR.

TRACTATUS EST VIVIS ÆQUE
AC MORTUIS PERUTILIS.

Ex quo materia funebris in ſingulas anni Dominicas, & in decem Octavas Concionatoribus depromitur Numero marginali 1070. & ſequentibus.

Spiritus Domini ſuper me: eo quòd unxerit Dominus me: ad annuntiandum manſuetis miſit me: ut mederer contritis corde & pradicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem. Iſaiæ 61.

Collegii Soctis JESV Paderborne.

LEODII,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA JO. MATHIÆ HOVII,
Ad inſigne Paradiſi Terreſtris. M. DC. LXV.

SVPERIORVM PERMISSV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LAUDI



PANEGYRICUM

DE SERAPHICO

PATRIARCHA

FRANCISCO

ASSISIATE

IACOBO HAVTINO

SOC. IESV SACERDOTE

OLIVARII PRIMVS AEDITATEM ACCEPTATEM

TRACTATVS EST VIVS VEGOE

AC NORATIS PERATILIS

DOMINO MEO AC DEO MEO,

IESV CHRISTO,

PRIMARIO SOCIETATIS NOSTRÆ

CONDITORI:

CVIVS AVSPICIIS

MILITANTEM ECCLESIAM ILLA PROPUGNAT;

PATIENTEM MISERICORDIA SUBLEVAT,

CARITATE EXHILARAT TRIUMPHANTEM:

Hocce patrocinium purgandarum animarum
Sociorum minimus

JACOBUS HAUTINUS.

HOETUM hunc meum postremum, in senectute editum, atque adeo *Benjaminum* meum, TIBI, ô Amantissime DEUS, & PATER ANIMÆ MEÆ, maxima mea voluntate offero, ac dedico. Pignus est aliquod mei in TE amoris, gratique animi, votis quidem meis, ut & meritis in me tuis omnino impar: sed & hæc facultatem omnem meam magnitudine sua exuperant; & si illud admittis, pondus munusculo, pretiumque amori adjicies. Denique quale quale sit, quia meum est, sexcentis nominibus tuum est, ac proinde TIBI reddendum.

Enimverò Tu me pauperculum adoleſcentem ad Societatem tuam vocatum, & materno illius ſinu exceptum, biennali puerperio, id eſt, tirocinio, TIBI, ac Religioſæ vitæ genuiſti. Tu manſuetioribus primùm, ac deinde ſeverioribus diſciplinis ab ea excultum, Sacerdotio initiare dignatus es, quâ poteſtate nulla divinior, nulla mihi optabilior potuit hac in vita obtingere, quia nulla ad Numinis gloriam efficacior. Tu me ſemper, quemadmodum & reliquos Societatis filios, materna ejuſdem charitate foviſti, refeciſti, promoviſti: uſque adeo, ut quiſquis illorum viſcera maternæ pietatis in ea non agnoſcit, & ſe, & TE Patrem priùs oblitus ſit, omnino dignus, qui Iſmaëlis inſtar cum Agare Ægyptia è familia in deſertum ejiciatur. Poſtremò omnia mea tua ſunt, quia omnia tua mea ſunt, & cor tuum maximè, princeps utique & fons tuorum donorum omnium, quæ ex animo in tuos profundis.

Eſt igitur omni jure tuus, hic meus *Benjaminus*. Verùm ut non eſſet; tamen tuum eſſe vellem, quia & *Benoni* dici poteſt, id eſt, *filius doloris mei* de intolerandis miſerabilium animarum in igne Purgatorio tormentis. Nemo enim neſcit TE dolore iſto ſummoperè gaudere: nemo non videt Patrocinium illarum tibi gratiſſimum eſſe: quippe qui Pater iiſdem, & Mater ſis, & Societatem tuam, in qua ego indignus cenſeor, jam inde ab ejus ortu animas parturire volueris,

donec

donec, ô Christe, planè formeris in illis, scilicet per beatificam illam visionem, expressionemque Divinitatis.

Certè Sanctissimus Parens noster IGNATIUS, ut alia præteream illius in pios Manes seu Nostros, seu externos, pietatis officia, quemadmodum jam Cœlo receptus, matrum uterum ferentium, infantiumque curam, quam vivus non prodiderat, à se amanter susceptam plurimis prodigiis testatus est: ita procul dubio jam mortuus, volente TE, spiritum ejus charitatis Societati indidit, quâ super mortales ubivis terrarum viventes, etiam mortuos complectatur. Causam ejus studii protulit S. IGNATII proximus in Generalatu successor Jacobus Laïnius, in illa encyclica epistola, qua Nostris inter cætera rerum capita singulariter commendavit, ut quotidiè, quámque frequentissimè animarum, quæ Purgatorio igne cruciantur, amanter meminissent. Nam quandoquidem Societas Nostra tantum exhaurit laborum, eo dumtaxat secundùm Deum consilio, ut homines ad æternam fælicitatem consequendam juvet, consentaneum profectò esse, ut eumdem persequens charitatis spiritum, etiam ex hac vita digressis ad cursum conficiendum opituletur; ne justa sit illis causa, Societatem quasi imperfectam & mancam accusandi; & meritò liceat conqueri, se medio in itinere, eóque loco destitui, ubi nullam omnino sibi ipsis opem queant afferre.

Sanctus

Sanctus quoque XAVERIUS eodem illo tuo Spiritu afflatus innumerabilium vivorum per universam propè Indiam Orientalem, curâ non contentus, intendentibus se tenebris Malacæ, excitos tintinnabulo mortales ad mortuorum subsidium hortabatur. Nihil dico de B. Borgiæ itidem Generalis efficacissimis ope tua ad idem levamenti precibus, adeo ut etiam jam liberi ac spectabiles, ei gratias agerent. Præterire nequeo Mutium Vitelleschum Societatis etiam Caput dignissimum, qui Patientis Ecclesiæ ingenti solatio ab Urbano VIII. per gratiam tuam impetravit, ut Synaxeos Generalis Indulgentia plena ad defunctos porrigeretur: unde tamquam ex uberrimo fonte in totum Orbem Christianum charitas piorum Manium largissimè fluxit, & Tuus, ô CHRISTE, Sanguis in Purgatorium. ut sint, qui Communionem illam *Divinum inventum, artemq; pulcherrimam lustralis carceris exhauriendi* meritò appellent. Beneficentia demum Francisci Piccolomini in eodem Generalatûs fastigio adversus eosdem Manes admirabiliter eluxit. Is enim cùm se crebrò ardenterque inter calculi dolores, ac æternæ fælicitatis desideria illis commendabat: tum impellente TE omnia ea sacra, quæ *ad intentionem Generalis* per universam Societatem quot hebdomadis fiunt, illis transcripsit, quæ sanè ingentem numerum conficiunt: nempe ut eæ apud DEUM omnia expedirent negotia, pro quibus illa

sacrificia

sacrificia destinari possunt. Et verò talibus negotiorum Gestoribus, quibus utique favent aulæ cœlestis Ministri, & Tu ipse, Rex optime, non potuit non felix esse illorum exitus.

De cæteris Sociis infinitum sit dicere. Unum de universis dicam, tot esse (si verbo absit invidia) captivarum animarum per gratiam tuam Redemptores, quot Societatis JESU filios: quippe qui ipsarum lytrum vel per sese, vel per alios Indulgentiis, piis sermonibus, scriptis, Concionibus, aptis imaginibus, aliisque artibus ad pietatem excitatos, abundè ac frequenter persolvant. Nam quid ego de Synaxi Generali dicam? Rotuilæ quidem in Superiore Germania, Nadasio nostro teste in litteris annuis 1653, tanto æstu, frequentiáque res defunctorum agitur, ut prima cujusvis mensis Dominica dies, quæ Communioni Generali addicta est, *Festum Patrum Societatis IESV* magnifico nomine nuncupetur. Et ego testari possum Insulis Flandrorum sic illam celebrari, ut mortalium noxas confitentium, ac sacro epulo accumbentium multitudo illam æquet ut plurimùm, qua celebribus diebus populus Insulensis, qui primas in pietate vix ulli concedit, Templum nostrum cohonestare solet. Nec dubito, quin par aliquid, aut suppar de aliis plerisque Synaxibus Generalibus possit prædicari. Quid? quod in nostro Templo Bruxellensi ad octo & plura millia etiamnum eadem in Synaxi, *Deo*, ut

loquitur ille, *saginentur*. Itaque eo præsertim respectu ad purgandas animas pertinent hæc Vatis Isaïæ carmina de quinis tuis fontibus: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: & dicetis in illa die* Synaxeos Generalis: *Confitemini Domino, & invocate nomen ejus; notas facite in populis* illis altùm & miserabiliter gementibus *adinventiones ejus*, ad libertatem vestram, lætitiamque opportunissimas, & Societati JESU, quâ uti dignatus est Christi Amor Eucharisticus ad eas in rem vestram deducendas, benè precari ne desistite.

Etenim plurimæ sunt aliæ & præclaræ artes ab eodem illi inspiratæ solatium vestrum procurandi, è quibus has pauciſſimas delibo. Romæ P. Joannes Tellerius Urbicos Parochos, studium pios Manes juvandi persuasos, impulit, ut vesperi statim atque Deiparæ ter salutandæ ære campano signum datum est, pro defunctorum etiam ope impetranda dari juberent: nempe ut in animos Romanorum pietate Mariana emollitos, caritas erga miseros illos exules leniùs altiusque descenderet: quem morem authoritate Pontificiâ sanciendum curavit. Et certum est illius piissimi sonitus tanquam echonem lætissimis animarum auribus esse auditam. In Paraquaria Christophorus de Mendoça, qui denique Christi fidem à se prædicatam pulchro sanguine consignavit, præterquam quod per se ipse Missas, preces, voluntarias pœnas, demum

omnia

omnia defunctis transcripserat, insuper orationem, quam de Sancto Sudario vocant, à se in Lusitanicum sermonem translatam pueros in schola edoceri curavit, pariterque post Marianum sertum recitari. Atque exinde cum flamma furentibus ventis incitata oppidum totum correptura esset, concepto novendialium Missarum voto in gratiam defunctorum, eam restinxit, at novam charitatis erga illos flammam in barbarorum pectoribus accendit. Herlingenstadiensis Collegii Patres unam præ aliis usitatis, eamque insigni religione solemnem supplicationem instituêre, ad impetrandam pietatem in defunctos. Quæ sanè magnâ frequentiâ, & approbatione etiam Numinis celebrata est: nullæ enim preces faciliùs admittuntur, quàm quæ pro ejus, quem ores, amicis funduntur. Insulis Gazophylacia defunctorum à Nostris erecta sunt quatuor in Parochiis, in quæ paulatim à piis Civibus injiciatur stips ad sacrificiorum mortualium stipendium necessaria: idque in gratiam pauperum in ea Urbe mortuorum, quibus defuit facultas ea sibi comparandi. Cùm enim non semper cuivis liceat, aut libeat tantum simul largiri, quantum requiritur ad Sacrum procurandum, longè proniùs Christiana pietas à mortalibus obtinet nummulos aliquot, è quibus intra hebdomadem, aut mensem collectis, tantus numerus pecuniæ conficiatur, quan-

tus sufficit ad multarum Missarum stipendia. Certè singulis mensibus colliguntur ex uno Gazophylacio Sancti Stephani octodecim, duodecim, ut minimùm decem floreni, unde in singulos annos plurima in usum pauperum mortuorum fiunt in Altari privilegiato Sacrificia. Censum annuum diceres, & personalem quidem in piorum charitate fundatum, unde mortui vivant. Ibidem plus decem millibus imaginum animas purgandas opem scripto flagitantes referentium, partim in urbe pagisque adjacentibus, ad valvas templorum, ad portas civitatis, & arbores viis publicis imminentes, item ad januas domuum affixum est: partim concessum aliis Provinciæ Gallo-Belgicæ Collegiis ad eundem usum, ut miseræ istæ animæ stipem ubique emendicent, quippe facultate sibi ab *Episcopo animarum nostrarum* data, atque approbata à Magistratu Sanctissimæ TRINITATIS. Indidem quinque millia foliorum hujusmodi imaginibus, & hortamentis ad lytrum illorum exulum eliciendum idoneis impressa, primùm per eamdem Provinciam dispersa sunt, deinde per omnes propè Societatis Provincias, etiam Indicas, ut velut scintillæ quædam parata Nostrorum, externorúmque ubivis locorum, ac gentium corda, igne illo divino, qui lustralem extinguit, incenderent. Mexici anno mille-

milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, die ſecunda Novembris initus eſt numerus funebrium Sacrificiorum operâ Societatis procuratorum à noſtris Sodalibus: & numerata ſunt id genus Sacrificiorum, tredecim millia quingenta triginta novem, aliquot aureorum millibus eam in rem pia liberalitate impenſis. Adeo ferax eſt fundus caritatis, ubi idoneos cultores invenit! Ingolſtadii anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo primo, hortatu, ſtudióque cujuſdam è Societate, intra unius anni curriculum, pro animabus Purgatorii collata plurium induſtria Virgini Matri dedicata, donatæ ſunt tot preces, ac roſaria, ut numerum novendecim millium, & centeſimum, ac nonageſimum ſuperarint. Macte, ô Viri! quæ ſic datis, non tam datis, quàm in manibus MARIÆ deponitis: quibus non niſi ea lege utetur, ut ad vos redeat amplius centuplo. Bruxellis ſolemnes exequiæ militum poſtremis in præliis Belgicis vitâ functorum anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo primo tanto apparatu, concurſu, ac pietate in templo Societatis JESU celebratæ ſunt, ut tridui ſpatio in eodem templo ad quatuordecim millia divino pane refecti ſint, invitante ſcilicet Indulgentiâ plenâ cum facultate animam è Purgatorio liberandi, utraque per Marchionem de Caracena Belgii Gubernatorem impetrata. Quin & eodem triduo variis in templis

unius è noſtris operâ facta ſunt quingenta Sacrificia, & jam perpetuus cenſus in anniverſariam hujuſmodi celebritatem procuratus eſt, pariterque fundus in meſſem non interituram ampliſſimæ procurantium felicitatis. Denique eximium eſt, & Societati JESU propriè debetur, quod plurimi cujuſvis generis, gentísve mortales, ac nominatim Socii, omnem, quæ ex piis operibus ſuis manare poteſt, vim ſatisfaciendi piis Manibus redimendis aſſignent: unde lytrum innumerabilium animarum confici neceſſe eſt, & Eccleſiam Triumphantem innumerabilibus Dei præconibus, mortaliúmque Patronis impleri. Hanc porrò artem primus feliciter docuit Joannes Euſebius Nierembergius ex eadem Societate, vir ſcriptis ac pietate clariſſimus. Quem ſecutus eſt Judocus Andries, qui etiam alia pro defunctis ſuccinctè, & fortiter ſcripſit: tum Jacobus Monfordus, ac Dionyſius Auger, aliique de Societate egregii defunctorum Patroni Quorum doctrinam hausêre innumeri, planè *viri olei, viri miſericordiæ, quorum juſtitiæ oblivionem non acceperunt*, neque verò unquam accipient, quamdiu verum erit illud Primæ Veritatis: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Item illud: *quâ menſurâ menſi fueritis, eâdem remetietur vobis.*

Quæ

Quæ cùm ita sint, plus nimio patet voluisse TE, Amantissime CHRISTE, Societatem nostram non magis esse Societatem JESU, addam & MARIÆ, quàm sodalitatem quamdam Patronorum Purgatorii. Quamobrem Patrocinium hoc meum Defunctorum, qualecunque sit, confido TIBI peracceptum fore. Quin etiam benignitate tua fretus spero *Benjaminum* hunc meum, quod nomen istud sonat, ope tua *filium dexteræ*, ac plenum roboris futurum, *ut manè rapiat prædam, & vespere dividat spolia*: eripiat inquam, primum è Justitiæ divinæ non invitæ manibus, quas in durissima illa custodia tenet, animas, easque tum Cœlo dividat, diversis choris ac sedibus à TE collocandas. O ita sit *lupus*, ut oves miserè à Cœlo errantes TIBI reddat verè *bono* earum *pastori!* Ita sit *rapax*, ut amantissimas tuas sponsas amantissimo restituat sponso: quæ demum in largissimam laboris mei mercedem mihi me rapiant, ut planè, & ex asse sim Tuus

Filiorum Societatis tuæ minimus

JACOBUS HAUTINUS.

PROTESTATIO.

CVM S. D. N. VRBANUS Papa VIII. decretum ediderit die 13. Martii Anno 1625. idemque confirmarit die 5. Iulii Anno 1634. quo inhibuit imprimi libros, *hominum qui Sanctitatis seu Martyrii famâ celebres è vitâ migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione & approbatione Ordinarii, & quæ hactenus sine ea impressa sunt nullo modo vult censeri approbata:* atque idem Sanctissimus die quintâ Iunii Anno 1631. ita explicuerit, ut nimirum *non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè & quæ cadunt supra personam: benè tamen ea quæ cadunt supra mores & opinionem, cum protestatione in principio, quod iis nulla adsit authoritas, ab Ecclesiâ Romanâ; sed Fides tantùm sit penes authorem.* Huic decreto ejusque confirmationi, & declarationi observantiâ ac reverentiâ, quâ par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu quidquid in hoc opere scripsi, accipere, & accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humanâ dumtaxat authoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut S. Sedis Apostolicæ nituntur: iis tantummodo exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo ascripsit.

BENEVO-

BENEVOLO LECTORI.

QVEMADMODVM non omnis fert omnia tellus, *ita nec ætas. Hoc naturæ, hoc Providentiæ divinæ quadam lege sancitum ad Vniversi pulchritudinem, quippe ex varietate non parum efflorescentem: Atque ut de naturæ partu nihil dicam, varios variis temporibus Deus protulit Divos, varios cultus Christi ac* MARIÆ; *varia pietatis genera excitavit. Certè piorum Manium amor qui ad hæc usque tempora, quasi sub cinere vixit, nunc in mortalium pectoribus ardet, flammásque, ac lucem suam quaquaversum diffundit, etiam extra Europæ fines, usque Garamantas, & Indos, Sinásque ultimos. Ipse IESVS, qui ignem hunc venit mittere in terram, per socios nuper accendit, quando Communione, quam Generalem vocant, institutâ, demum Indulgentia plena, opimus ejus fructus, ad defunctos derivata est. Ex eo enim mira subitò, ac deinceps animorum commotio, pietásque in vita functos, insueta sacrorum Convivarum frequentia ad eorum solatium, creberrima per Missas, stipem, aliáque officia hominis Christiani, procuratio subsidii. Quare minimè dubium est Synaxim Generalem, non hominum, sed Numinis inventum esse, Societati IESV divinitus inspiratum, ut quæ gignendis educandísque Christo filiis parentem animarum se probare studet, suâ licet ipsarum culpam exules ac miserrimas, materno amore prosequatur, dum hæreditatem adeant cœlestem. In qua Societate cùm ego indignus numerer, eodem studio Patrocinium hoc piorum manium elaboravi, in quo primo quidem libro veritatem, acerbitatem, diuturnitatem pœnarum lustralium latè explicavi, tum secundo defunctos juvandi causas, ac demum tertio methodum. Stimulus scribendi fuit propè omnium Scriptorum hac de re silentium, atque adeo inopia materiæ de Purgatorio dicturis idoneo. Quam ut magis levarem, Indicem Evangelicum adjeci, ubi decem circiter in singulas Dominicas Evangelii earundem loca defunctis accommodavi. Quibus in omnibus, si Sanctorum Patrum sententias desideres, noveris de Purgatorio paucos pauca esse locutos: idq; ferè ad illius veritatem stabiliendam, aut acerbitatem declarandam. Fortè quòd alios, viventium id temporis necessitas aut hæresum pestes, levandis mortuis vacare non sinerent. Quamobrem illustres historias identidem ad comparationes subjeci, ut vel sic materiam sacris Oratoribus subministrarem Nec mihi Authores hujus consilii desunt, Drexelius, Caussinus, aliiq;. Quod si minus placet, memineris librum vel forum esse, vel mensam opiparam, in qua varia variis placitura, non singula universis.*

APPROBATIO ORDINARII.

PATROCINIVM DEFVNCTORVM à R. P. IACOBO HAVTINO Societatis IESV Sacerdote exaratum, vivis perinde ac vitâ functis plurimùm prodesse potest: proposita enim pœnarum piacularium veritate, necnon earumdem acerbitate ac diuturnitate, non magis efficaciter inculcat Lectori suo causas, modósque pios Manes juvandi, quàm seipsum ab eisdem pœnis vindicandi. Quare dignum censemus quod publicam lucem ubique videat, ut eum *qui lucem habitat inaccessibilem, sedentibus in tenebris & umbra mortis* fidelium animabus ostendat. Datum Leodii 8. Ianuarii 1664.

IOAN. ERNESTVS DE SVRLET,
Canonicus & Vicarius generalis Leodienſis.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGO infra-scriptus Societatis IESV in Gallo-Belgica Provincialis, juxta privilegium eidem Societati concessum quo Typographis omnibus prohibetur, ne libros ab ejusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant, facultatem do Io. MATHIÆ HOVIO Typographo Leodiensi, ut librum cui titulus est *Patrocinium Defunctorum* à R. P. IACOBO HAVTINO ejusdem Societatis Sacerdote tribus libris exaratum, ad sex annos proximos imprimere, & liberè distrahere possit. Datum Duaci 30. Decembris 1663.

JOANNES BLAUWART.

INDEX

INDEX CAPITUM
LIBRI PRIMI.

Numerus marginalem notat.

CAPUT PRIMUM.
Esse revera Purgatorium.
Proœmium. num. 1.

ARTICULUS PRIMUS.
E Sacris Paginis asseritur Purgatorium. numero 3.

ARTICULUS II.
Purgatorium adstruunt Sancti Patres. n. 11

ARTICULUS III.
Idem rationibus comprobatur. n. 18

CAPUT SECUNDUM.
De loco Purgatorii. n. 23.

ARTICULUS I.
De ordinario Purgatorii loco. ibid.
§. 1. *Est aliquis subter terram.* n. 24
§. 2. *Est orco vicinus, non tamen continuus.* n. 26

ARTICULUS II.
De locis Purgatorii extraordinariis. n. 30

ARTICULUS III.
De atrio Cœli. n. 38
§. 1. *Statuitur.* ibid.
Respondetur argumentis adversæ partis. n. 49.
§. 2. *Ubi sit Cœli atrium.* n. 50

ARTICULUS IV.
De Purgatorio S. Patricii. n. 57

CAPUT TERTIUM
Infelicitas piorum Manium ex captivitate. n. 61

ARTICULUS I.
Expenditur, quàm infelix sit captivitas purgandarum animarum ipsa per sese. ibid.

ARTICULUS II.
Expenditur calamitas piorum Manium ex loco captivitatis. n. 70
§. 1. *Quàm durus sit animis Purgatorius carcer, licet à tartaro sejunctus.* n. 70
§. 2. *Quàm horridus sit piis Manibus carcer lustralis, si orco sit continuus.* n. 84

CAPUT QUARTUM.
De pœna damni piorum Manium, sive de jactura beatitudinis. 92
Præfatio.

ARTICULUS I.
Animarum ingens tristitia ex privatione intuitus beatifici. n. 93
§. 1. *Prior ejus causa, retardatio possessionis Dei.*
Pars I *Quid Dei possessio?* n. 95
Pars II. *Quanti ea possessio, ejusq; jactura sit facienda.* n. 100.
§. 2. *Expenditur posterior ejus tristitiæ causa, sive magnitudo desiderii Deum intuendi.* n. 106
Pars I. *Cur in defunctis tristitia sequatur ex jactura visionis beatificæ.* ibid.
Pars II. *Confertur amor defunctorum cum mortalium amore Dei.* n. 113
Pars III. *Comparatur desiderium defunctorum cum mortalium desiderio Dei.* n. 115
Pars IV. *Confertur cum qualibet propensione naturali.* n. 117
§. 3. *Concluditur, demonstraturq; piorum Manium ingens tristitia ex subtractione conspectus divini.* n. 121
§. 4. *Occurritur objectis.* n. 127
§. 5. *Confertur ea tristitia cum doloribus, quos homines pii ex absentia ejusdem Numinis percipiunt.* n. 130
§. 6. *Confertur idem dolor cum dolore Beatæ Virginis.* n. 137
§. 7. *Eadem tristitia ex mora beatitudinis piorum manium, dictis, atque ostentis comprobatur.* n. 141
§. 8. *Paranesis ad commiserationem animarum ob pœnam damni.* n. 145

ARTICULUS II.
Animarum ingens tristitia ex privatione amoris beatifici, ejusq; effectuum. n. 150
§. 1. *De jactura amoris.* ibid.
§. 2. *De jactura effectuum amoris beatifici.* n. 154.

ARTICULUS III.
Tristitia piorum Manium ex jactura gaudii beatifici. n. 166
§. 1. *Æstimatur ex gaudii causa.* ibid.
§. 2. *Expenditur idem mœror ex gaudii materia.* n. 176
§. 3. *Epilogus dictorum, & collatio tristitiæ defunctorum cum mœrore Solymæ in Threnis Ieremiæ.* n. 183

CAPUT QUINTUM.
De annexis jacturæ beatitudinis. n. 187

ARTICULUS I.
Tristitia piorum Manium ex jactura gloriæ, quam consequi debebant, æternæ. ibid.
Præfatio. ibid.
§. 1. *Mœror ingens, quia jactura damnosa.* 188
§. 2. *Eadem jactura turpis.* n. 198

ARTICULUS II.
Tristitia piorum Manium ob divinarum gratiarum rejectionem. n. 202
§. 1. *De rejectione gratiæ actualis.* ibid.
§. 2. *De rejectione gratiæ sanctificantis.* n. 206.
Pars I. *Explicatur.* ibid.
Pars II. *Confertur hæc repulsa cum aliis repulsis.* 211

ARTICULUS III.
Exponitur sigillatim tristitia piorum Manium ex peccati macula. n. 215.
Præfatio. ibid.
§. 1. *Quemadmodum peccati turpitudo pios Manes cruciet, quatenus est Dei offensa.* n. 218

Index Capitum Libri I.

§. 2. *Dolor piorum manium ex iis, quæ vel peccato mortifero insunt, vel ex eo consequuntur.* n. 229

ARTICULUS IV.

Tristitia piorum Manium ex neglectu satisfactionis. n. 237

§. 1. *Agit de satisfactione piorum operum. Præfatio.* ibid.

Pars I. *Stultitia, dolorq; defunctorum ob neglectam eleemosynam.* n. 238

Pars II. *Dolor eorumdem ob neglectum jejunium.* 242

Pars III. *Dolor ob neglectam orationem.* 245

§. 2. *De satisfactione ex opere operato.* n. 252

Pars I. *Dolor defunctorum ob neglecta Sacramenta.* ibid.

Pars II. *Dolor eorumdem ob neglectam Missam, & Indulgentias.* n. 256

§. 3. *Recapitulatio dictorum de pœna damni cum paræneſi ad commiseratione.* n. 260

CAPUT SEXTUM.

De pœna sensus.

ARTICULUS I.

An, & quomodo ab igne infligatur?

§. 1. *Pii Manes igne cruciantur, eóque sulphureo, ac bituminoso.* n. 264

Pars I. *Igne cruciari ostenditur.* ibid.

Pars II. *Qualis sit ignis Purgatorius.* n. 271

§. 2. *Qua ratione ignis crutiet defunctos.* n. 273

§. 3. *Magnitudo doloris ab igne, quatenus animæ illi affixæ detinentur.* n. 282

§. 4. *Gravitas doloris à purgantibus flammis, quatenus animas urunt, ex Patribus, ac Theologis expenditur.* n. 288

§. 5. *Magnitudo doloris piorum Manium ab igne, quatenus illos urit, ratione probatur.* 291

§. 6. *Eadem gravitas ex oraculis, & sanctis ostentis, & ex sensu, contactúque piorum Manium comprobatur.* n. 303

Pars I. *Oracula, & Ostenta.* ibid.

Pars II. *Contactus ab igne defunctorum, ejusdem acrimoniam demonstrat.* n. 308

§. 7. *Acerbitas cruciatus ab igne Purgatorio confertur cum hujus vitæ cruciatibus. Præfatio.*

Pars. I. *Contentio cum morbis.* n. 312

Pars II. *Collatio cum suppliciis latronum.* n. 317

Pars III. *Collatio cum suppliciis Martyrum.* n. 321

Pars IV. *Contentio cum tormentis S. Christinæ.* n. 324

Pars V. *Et prioribus, & voluntariis tormentis præferuntur purgantia, item Peroratio.* n. 326

ARTICULUS II.

An etiam leves noxæ supplicio ignis castigentur?

Pars I. *Levissimæ sola damni pœna plectuntur.* 332

Pars II. *Leves etiam pœna ignis plectuntur.* 337

ARTICULUS III.

Hujus vitæ pœnis confirmatur acerbitas pœnarum alterius.

Pars I. *Demonstratur.* n. 340

Pars II. *Epilogus ad commiserationem animarum, quas ob minores culpas ignis urit.* n. 347

ARTICULUS IV.

An præter ignem sit alia in Purgatorio pœna sensûs.

Pars I. *An sit pœna frigoris.* n. 348

Pars II. *An quisque sensus proprio tormento afficiatur.* n. 352

Pars III. *An à dæmonibus crucientur.* n. 353

CAPUT SEPTIMUM.

Diuturnitas pœnarum Purgatorii.

ARTICULUS I.

Generatim comprobatur ex Scriptura, sensu Ecclesiæ & ratione.

§. 1. *Scriptura & Ecclesiæ sensus.*

Pars I. *Scriptura.* n. 361

Pars II. *Ecclesiæ sensus.* n. 366

§. 2. *Idem ratione firmatur.* n. 370

ARTICULUS II.

Distinctius monstratur pœnæ lustralis diuturnitas. n. 380

ARTICULUS III.

An mortales tempus Purgatorii sui multum contrahere sint soliti? n. 392

ARTICULUS IV.

Lustralium cruciatuum diuturnitas ampliùs demonstratur, & propter eam mortales ad commiserationem piorum Manium commoventur. n. 407

INDEX

INDEX CAPITUM
LIBRI SECVNDI.

Piis Manibus opitulandum esse.

Præfatio.

CAPUT PRIMUM.

Posse à vivis pios Manes sublevari.

ARTICULUS I.

Patet illud ex sacro instrumento, & Sanctis Patribus. n. 424

ARTICULUS II.

Idem ratione, & historiis comprobatur.

Pars I. *Probatur ratione.* n. 432
Pars II. *Probatur ex historiis.* n. 435

CAPUT SECUNDUM.

Ad opitulandum piis Manibus multiplici lege tenemur.

ARTICULUS I.

Lex naturæ pios Manes adjuvari præcipit.

Pars I. *Ostenditur.* n. 438
Pars II. *Occurritur objectioni, & concluditur.* 444

ARTICULUS II.

Ad opitulandum defunctis caritas supernaturalis nos obligat.

Præfatio. 448
§. 1. *Prior obligationis causa.* n. 449
Pars I. *Statuitur.* ibid.
Pars II. *Ejusdem causæ explanatio moralis.* n. 456
§. 2. *Posterior obligationis causa.* n. 463

ARTICULUS III.

Misericordiæ lege piis Manibus opitulandum.

§. 1. *Declaratur.* n. 470
§. 2. *Amplificatur ex conditionibus misericordiæ.* n. 473
§. 3. *Neglectus illius misericordiæ culpæ vertendus.* n. 479
§. 4. *Singula misericordiæ opera negligit, qui in pios Manes immitis est.* n. 480
Visitandi pii Manes. n. 481
Potandi. 483
Cibandi. 486
Redimendi. 490
Vestiendi. 493
Hospitio excipiendi. 496
Sepeliendi. 499

Epilogus.

Quod sit piis manibus, sit Christo. n. 502

ARTICULUS IV.

Piis Manibus ex pietate opitulandum.

Præfatio. n. 503
§. 1. *Liberos piis parentum manibus auxiliari oportet.*
Pars I. *Quid de illa re Theologi.* n. 504
Pars II. *Explanatio moralis obligationis ob beneficia naturalia, ac primo ob vitam ab iis acceptam.*
Distinctio I. *Ob vitam.* n. 505
Distinctio II. *Item ob alia beneficia naturalia.* n. 511
Distinctio III. *Ingratitudinis hujusmodi liberorum indignitas, & execratio.* n. 517
Pars III. *Obligatio ob beneficia supernaturalia.* n. 521
Pars IV. *Exempla caritatis filiorum in parentes defunctos.* n. 527
§. 2. *Parentes liberis defunctis auxiliari necesse est.*
Pars I. *Theologica super eo doctrina.* n. 529
Pars II. *Moraliter expenditur obligatio parentum ad alimenta mortuis liberis præstanda.* n. 531
Pars III. *Moralis expositio obligationis parentum ad quamdam institutionem liberorum defunctorum.* n. 535
Pars IV. *Expenditur parentum obligatio ad honestum vitæ genus iis procurandum.* n. 536
Pars V. *Exempla pietatis parentum in liberos defunctos.* n. 538
§. 3. *Conjuges superstites defunctis opem ferre oportet.*
Pars I. *Idipsum docetur ex Theologis.* n. 542
Pars II. *Explanatio moralis benevolentiæ maritalis in conjuges defunctos.* n. 547
Pars III. *Expenditur de more mutua conjugum obligatio ad alimenta, & lytrum defunctorum.* n. 550
Pars IV. *Conjugalis in defunctos amoris exempla.* n. 558

ARTICULUS V.

Ex obligatione justitiæ strictæ piis Manibus opitulari necessum est.

§. 1. *Hæredes pia legata solvere oportet.* n. 559
Pars I. *Doctrina Theologica.* ibid.
Pars II. *Materiæ explanatio moralis.* n. 561
Pars III. *Pœna in hæredes legatorum fraudatores.* n. 569
§. 2. *Executores necesse est pias testatorum voluntates primo quoque tempore exequi.*
Pars I. *Theologica doctrina.* n. 573
Pars II. *Insectatio injustitiæ non exequentium.* 576
Pars III. *Exemplis dicta confirmantur.* n. 589
Appendix. *De solvendis testatorum nominibus.* n. 592
§. 3. *Graviter obstringuntur Sacerdotes ad facienda pro defunctis sacrificia, ac preces accepto in eum finem stipendio.*
Pars I. *Doctrina Theologica.* n. 595
Pars II. *Pœna illius sacrilegii.* n. 600

ARTICULUS VI.

De obligatione gratiam defunctis referendi.

Pars I. *Quid de illa Theologi.* n. 605
Pars II. *Ejus commendatio.* n. 606
Pars III. *Exempla grati animi erga fundatores.* n. 609
De memoria habenda fundatorum, & benè de Collegiis Soc. JESV meritorum. n. 611

ARTICULUS VII.

De obligatione fratrum ejusdem Ordinis ad preces, & Missas pro se mutuò solvendas.

Pars I. *Theologica doctrina.* n. 615
Pars II. *Insectatio in eos qui pro fratribus religiosis vita functis preces indictas non solvunt.* 617
Pars III. *Exemplis ea indignitas ostenditur.* n. 625

Index Capitum Libri II.

CAPUT TERTIUM.

Perquàm honestum & laudabile est defunctis auxiliari.

Præfatio.

ARTICULUS I.

Majoris est meriti satisfactionem suam defunctis applicare, quàm sibi retinere. n. 627

§. 1. *Explicatur decisio.* ibid.
§. 2. *Probatur auctoritate.* n. 628
§. 3. *Probatur idem ratione.* n. 629
§. 4. *Idem probatur ab absurdis ex contraria sententia consequentibus.* n. 630
§. 5. *Discertatio R. P. Francisci Veckeni è Societate JESV, Theologi Alexandri VII. Papæ, quâ nostra sententia comprobatur amplioris esse meriti defunctis, quàm sibi, suas satisfactiones addicere.* n. 631
§. 6. *Corollaria ex dictis de præstantia meriti in satisfactionum suarum largitione positi.* 632

ARTICULUS II.

Expenditur præstantia caritatis ejus, qui defuncto addicit suas satisfactiones ex natura satisfactionis. n. 633

PARS I. *De boni operis efficacia ex Theologis.* n. 633
PARS II. *Charitas inde demonstratur.* n. 636

ARTICULUS III.

Expenditur ejusdem charitatis præstantia ex beneficio liberationis à pœna damni, & sensus. n. 642

Præfatio. ibid.

§. 1. *De pœna damni.* n. 643
§. 2. *De pœna sensus.* n. 650

ARTICULUS IV.

Ejusdem charitatis excellentia ex dignitate gloriæ cœlestis, quæ defunctis procuratur. n. 657

ARTICULUS V.

Excellentia ejusdem charitatis quatenus in cœlum præmittit animas Deum suo loco ac nomine laudaturas. n. 664

ARTICULUS VI.

Magnitudo charitatis in pios Manes orta ex periculo subeundi pœnas Purgatorii, cui se defunctorum Amator exponit. n. 678

PARS I. *Confertur cum misericordia corporali, ac spirituali.* ibid.
PARS II. *Comparatur cum Martyrio.* n. 681
PARS III. *Comparatur cum devotione Mosis, & Pauli.* n. 685
Corollarium. n. 690

CAPUT QUARTUM.

Ad subsidium defunctorum ipsius Numinis, ac Cœlitum misericordiâ provocamur.

ARTICULUS I.

Divina in pios Manes misericordia. n. 692

ARTICULUS II.

Immaculata Deipara exemplo suo ad pietatem in defunctos nos excitet. n. 701

ARTICULUS III.

Angelorum officia in pios Manes ad idem munus nos provocant. n. 711.

PARS. I. *Proponuntur.* ibid.
PARS II. *Ejus Angelicæ curæ exempla.* n. 721

CAPUT QUINTUM.

Ingens utilitas caritatis in defunctos.

ARTICULUS I.

Gratiæ, gloriæq; augmentum ex ea profectum. n. 731

§. 1. *Munificentia divina in misericordes expenditur.* ibid.
§. 2. *Gloria summa, merces caritatis in defunctos.* n. 733

ARTICULUS II.

Eadem in defunctos charitas securiores de salute æterna nos efficit. n. 740

§. 1. *Misericordia in defunctos vim habet impetrandi misericordiam.* n. 740
§. 2. *Ex caritate piorum Manium in suos patronos, exoritur ea vis misericordiam obtinendi.* n. 742
§. 3. *Animarum vindicibus Cœlites securum præstant Cœli aditum.* n. 753
§. 4. *Exempla subsidii spiritualis in vindices defunctorum collati.* n. 765
§. 5. *Pietas in pios Manes complectitur omnes notas prædestinationis.* n. 774

ARTICULUS III.

Pietas in defunctos etiam ferax est subsidii temporalis. n. 783

ARTICULUS IV.

Quarta ejusdem in pios Manes misericordiæ utilitas: Solida spes lustrico carcere brevi evadendi. 804

§. 1. *Statuitur, atque exponitur.* ibid.
§. 2. *Etsi omnes satisfactiones defunctis addicat.* n. 810
§. 3. *Exempla piorum omnes satisfactiones defunctis largientium.* n. 819
Appendix. n. 825

INDEX

INDEX CAPITUM
LIBRI TERTII.

CAPUT PRIMUM.
Quæ res ad omne genus satisfactionis pro defunctis sint necessariæ, aut utiles.

ARTICULUS PRIMUS.
Status gratiæ necessarius. n. 826

ARTICULUS II.
Conditiones operis ad satisfaciendum pro defunctis idonei. n. 830

ARTICULUS III.
De intentione ad satisfaciendum pro piis Manibus necessaria.

§. 1. *Quæ, & qualis esse debeat?* n. 840
§. 2. *Quando satisfactiones sunt defunctis assignandæ.* n. 846
§. 3. *Quibus potissimùm attribuendæ nostræ satisfactiones.* n. 849

CAPUT SECUNDUM.
De Iejunio, primo utique opere ad satisfaciendum idoneo. n. 862

ARTICULUS I.
Iejunium multum valet ad levamen defunctorum. n. 863

ARTICULUS II.
De aliis corporis afflictationibus. n. 868

§. 1. *De Disciplinis.* n. 869
§. 2. *De quolibet alio genere corporalis afflictationis sponte susceptæ.* n. 873
§. 3. *De laudabili patientia dolorum corporis aliunde illatorum.* n. 878

ARTICULUS III.
De patientia probrorum.

§. 1. *Injuriarum condonatio multum valet ad levandas defunctorum animas.* n. 882
§. 2. *Negatus funeris honor subinde prodest defunctis.* n. 885

CAPUT TERTIUM
De Eleëmosynæ virtute satisfaciendi pro defunctis.

ARTICULUS I.
Exponitur. n. 887

ARTICULUS II.
De fundationibus in gratiam piorum Manium.

§. 1. *An præstet totam eleëmosynam statim egentibus elargiri, quàm ex ea Xenodochium, aut orphanotrophium fundare, aliterq; in censum dare ad usum pauperum?* n. 894
§. 2. *Exempla fundationum.* n. 899

ARTICULUS III.
De aliis eleëmosynis. n. 902

Appendix. *Debitorum solutio piis manibus utilis.* n. 909

CAPUT QUARTUM.
Quantum piis Manibus prosit Oratio.

ARTICULUS I.
Disseritur generatim de Orationis ad opem defunctis ferendam efficacitate. n. 913

§. 1. *Theologorum super ea sensus.* ibid.
§. 2. *Res hæc ex Litteris sacris, & SS. Patrum sententiis illustratur.* n. 920

ARTICULUS II.
De Sacrificii virtute Deum piis manibus placandi.

§. 1. *Declaratur.* n. 934
§. 2. *Eadem virtus exemplis comprobatur.* 935
§. 3. *Piorum Manium desideria opis per sacrificia obtinendæ.* n. 941
§. 4. *Studium mortalium Missas piis Manibus procurandi.* n. 944
§. 5. *De variis Missis defunctorum.* n. 951
§. 6. *Quæ Missæ piis Manibus sint utiliores.* 961
§. 7. *De fructu Missæ, qui ex ejus auditione ad pios Manes pertinere potest.* n. 967

ARTICULUS III.
De sacræ Communionis virtute pios Manes sublevandi.

§. 1. *De sacra Communione generatim.* n. 971
§. 2. *De Communione Generali. Doctrina Theologica.* n. 977
§. 3. *De Indulgentia Communionis Generalis, aliáque defunctis applicanda. Theologica Doctrina.* n. 991
§. 4. *Præstantia Communionis Generalis ex omnibus ejus adjunctis.* n. 994

Præfatio. ibid.

Pars. I. *Templa, Paradisi.* n. 995
Pars II. *In Templis Sanctissima Eucharistia, est arbor vitæ quatenus per Synaxim Generalem sumitur.* n. 1004
Enarratio supplicationis, & Communionis Generalis habitæ 27. Augusti Anno 1656. in urbe Arschotana, quæ tertio lapide distat ab urbe Lovanienſi. n. 1019
Pars III. *Ex cæteris adjunctis Communio Generalis expenditur.* n. 1020

ARTICULUS IV.
Peregrinationes Religiosæ defunctos sublevant. n. 1034

ARTICULUS V.
De variis precum pro defunctis generibus. n. 1039

§. 1. *De Officio Defunctorum.* n. 1040
§. 2. *De Psalmis Pœnitentialibus.* n. 1043

ARTICULUS VI.
Miscellanea pietatis in defunctos exempla. n. 1045

ARTICULUS VII.
An Confessarius reo confesso imponere posit Psalmos Pœnitentiales, aut aliam orationem, aut pium opus in gratiam defunctorum suscipiendum? n. 1053

ARTICU-

Index Capitum Libri III.

ARTICULUS VIII.

Fraternitatis misericordiæ, sive perpetua precatio ad honorem perpetuæ Passionis ac Crucis Christi JESV pro animabus Purgatorii perpetuò, id est, die, noctúque patientibus. n. 1056

§. 1. *Cur ad honorem præfatæ Passionis perpetua instituatur oratio.* ibid.

§. 2. *Institutio, modúsque perpetuæ precationis.* ibid.

§. 3. *Quædam aliæ animadversiones, & varia methodus perpetuæ precationis.* ibid.

§. 4. *Bruxellis institutæ perpetua pro animabus oratio.* ibid.

ARTICULUS IX.

De Sodalitatibus in subsidium defunctorum erectis. n. 1057

ARTICULUS X.

Elogium Sodalium defunctorum. n. 1069

CAPUT QUINTUM.

De Commendatione Defunctorum.

ARTICULUS I.

Modus Concionum, ac Digressionum in gratiam Defunctorum. n. 1066

ARTICULUS II.

Indicantur nonnulla ex singulis Dominicis themata digressionum vel Concionum è toto tractatu eruendarum in gratiam defunctorum. 1070

ARTICULUS III.

Institutio Octavarum pro defunctis. n. 1071

ARTICULUS IV.

Indiculus formularum petendi eleëmosynam pro defunctis, quando Concionator pro iis nihil dixit. n. 1071

PATRO-

PATROCINIVM DEFVNCTORVM

A R. P.

IACOBO HAVTINO

SOCIETATIS JESU

TRIBVS LIBRIS PROPOSITVM.

LIBER PRIMVS.

CAPUT PRIMUM.

Esse revera Purgatorium.

PROOEMIUM.

1. *Tres hostes Purgatorii Dæmon, Mundus, & Caro.*

VERITATEM flammarum lustralium iidem oppugnant hostes, qui universum genus humanum, Dæmon, Mundus, & Caro. Primus ille purgandarum animarum odio, ne in atrocissimis ac maximè diuturnis cruciatibus, opem ac solatium accipiant ullum: Alter avaritiâ, ut ansam nanciscatur, vel evertendi cœnobia, quæ in subsidium piorum manium à Majoribus condita sunt, vel collegia Canonicorum expilandi, sacrorúmque anniversariorum fructus, ad se avertendi, qui in idem auxilium ultimis piorum tabulis, ac legatis fuere assignati: Caro denique libenter Purgatorium mundo exterminet, imo & tartarum, ne eorum metus, perpetuus utique tortor, ipsius delicias interturbet.

2. *His hæresis militat.*

Cæterùm tribus illis hostibus una maximè hæresis militat: Hydra capitum fœcunda, cui diabolus incubans, instar animæ est, œstróque suo percitam, adversus divina oracula, adversus Sanctorum Patrum pronunciata, adversus rationem clarissimam raptat, eò insolentiùs, exultantiúsque, quò nequiùs hæc omnia à se stare mentitur. Itaque consilium mihi est, mendacium illud, oppositâ veritatis luce sub oculos ponere: non quidem ut errores suos ipsa noverit (quæ perfidiâ maximè, ignorantiâ minimè laborat: atque ut hâc laboraret eruditissimis Bellarmini, Suarii, Valentiæ, aliorumque plurimorum hujus generis scriptis convicta pernosse potuit.) Verùm ut Catholici perspectâ, & quasi palpatâ ignium purgantium veritate, ad animarum, quæ his peruruntur, solatium, adjutoriúmque faciliùs fortiúsque ferantur. Porrò paucis hîc agere mihi constitutum est, sive, quòd veritas brevi se prodet, spectare & agnoscere volentibus, sive, ne toties actum agens, fastidium creem lectoribus. Primùm itaque ex divinis oraculis, tum ex Sanctorum Patrum sententiis, postremò rationibus eam demonstro.

ARTICULUS I.

E sacris paginis asseritur Purgatorium.

3. *E libro 2. Machab.* CLARISSIMA lux nobis oboritur ex lib. 2. Machabæorum cap. 12. ubi fortissimus Judæorum Dux Judas, idémque religionis Antistes, omnium voto, ac nomine Jerosolymam mittit duodecim millia dragmarum argenti, in sacrificia pro suis in prælio desideratis expendenda: Quæ summa apud Budæum, Agricolam, aliósque, vel ducentos quinquaginta aureos, vel ducentos sexaginta cum cruciferis ducentis sexaginta duobus conficit. Dragma enim Italorum Julio, Hispanorum Regali, nostratium quinque assibus æquivalet. Porro Agiographus Scriptor hoc epiphonema ex eo Judæ facto colligit: *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

4. *Hoc syllogismo.* Quo ex loco sponte existit hic efficax syllogismus: Quod in Ecclesia vetere à Summo Pontifice cum bonorum approbatione factum, ab illa ipsa Ecclesia publicè receptum, atque à Scriptore Agiographo, proindéque à Spiritu Sancto collaudatum est, id nequaquam repudiandum, sed religiosum, sed sanctum, & si futurorum umbram, seu Christi venturi figuram nullam continet, imitatione dignum est; atqui hujusmodi est fusa pro vitâ functis oratio, uti jam demonstratum est (neque enim Christi venturi figuram ullam præfert) ergo ea religiosa, & imitatione digna est. Ex qua ratiocinatione, & esse, & fuisse olim Purgatorium, in quo pii manes pro delictis castigentur, clarissimè convincitur, quoniam nec beatis, nec damnatis hæc oratio prodesse aut convenire potest, ut perspectum est.

5. *Teste Luthero, & aliis ideo librum hūc damnantibus.* Itaque Lutherus ipse in sua disputatione Lipsica tract. de Purgatorio, tum ex Matthæi c. 12. ubi Christus dictum Spiritui Sancto contumelioſum, neque in hoc, neque in futuro sæculo remittendum asserit, tum ex hoc Machabæorum loco, Purgatorium agnoscit, quamvis libro de Missa privata secum ipse pugnet. Cæteri verò hæretici hujus sacri testimonii claritate præstricti, cum non habeant quò se recipiant, scilicet totam Machabæorum historiam è sacris ac Canonicis libris expungunt.

6. *Vt & alios Canonicos.* Ita olim Manichæi Evangelium Matthæi, & Acta Apostolorum; Ebionitæ omnes Pauli Epistolas, quod erroribus suis apertè refragarentur, respuebant. Ita nunc quoque Lutheri fœda soboles Tobiam, Ecclesiasticum, Baruc, Judith, Sapientiam, aliáque repudiant; nimirum, quod iis oraculis disertissimè coarguantur, quandoquidem de Angelorum patrocinio, ut in Tobia; de arbitrii libertate, ut in Ecclesiastico, déque aliis Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus alibi disputatur. Quid agitis, ô viri? nam qui in Sacrorum codicum verba sic juratis, ut grande nefas ducatis hilum credere, quod iis non contineatur, cujus codicis, aut oraculi authoritate, aut permissu integros illos libros, nominatímque Machabæorum historiam, è sacrorum librorum Canone abraditis? Cur, & quâ Scripturæ sententiâ judice hanc historiam suppositítiam creditis potiùs, quàm aliam ullam, vel historiam, vel paginam divinam? Si, quod vos docet regula Fidei vestræ ex Calvino hausta, Spiritus Sancti instinctu, Sacras à profanis literis discernendas putatis, quâ, quæso, & cujus divini dicti authoritate, id vestræ reconditæ sapientiæ probatis? Cur alii alias respuitis, cum omnes eodem spiritu gloriemini? Nam Anabaptistæ Jobi historiam, Castalio Canticum Canticorum; Lutherus Jacobi Epistolam, & Apocalypsim, ut spuriam rejicit; ut genuinos Spiritus Sancti fœtus, alii è vobis eodem spiritu afflati admisere.

7. *Nullo argumento.* Planè compertum est nihil illos responsi, quod ulli cordato, aut ratione utenti arridere queat, posse huc proferre. Quid enim? sunt qui Machabæorum libros ideo repudient, quòd Hæbraïcâ linguâ non extēt: at perperàm; eodem enim argumento Matthæi Evangelium exterminent, quandoquidem nec sic extat. Sunt, qui eosdem asserant antilogiis, ac dissonis secum confligere: sed & id ineptè, sive quòd in speciem dumtaxat, non revera pugnantia sunt, sive quòd libros Regum, ac Paralippomēnon eodem jure, vel potiùs injuriâ explooderent. Obtrudunt etiam eos ipsos non censeri in Canone Judæorum. Sed quid mirum, cùm Canon ille Esdræ tempore à Synagoga editus sit, quando necdum editi Machabæi? Quid hac in parte Judaïsare nos volunt, cùm & ipsi aliàs prohibeant in admonitione Bibliis suis Anno 1551. præmissâ, ne in recensendis sacris codicibus Canonis Judæorum ratio habeatur.

8. *Contra perpetuum Ecclesiæ sensum.* Denique quid nostra interest, recipiántne, an rejiciant Judæi Machabæorum historiam, cùm eam jam inde à mille, & trecentis annis Augustino teste de Civitate Dei, lib. 16. c. 36. receperit Ecclesia? Huic enim, & soli, & certo competere Scripturarum custodiam, datúmque divinitus

nitus, ut veras à falsis, certas ab incertis, integras à mutilatis discernat, non est cur probetur, cùm & illa *Columna sit, & firmamentum veritatis*; Apostolo authore, & Christus Spiritum Sanctum illi promiserit *ad docendum illam omnem veritatem*; & ipse Augustinus pronunciare non vereatur contra Epistolam fundamenti, cap. 5. se Evangelio non creditutum, nisi Ecclesiæ Catholicæ commoveretur authoritate.

9. *Cui credendum.* Nimirum absque Ecclesia, verúmne, an fictum Evangelium foret, constare nequiret: non enim ex Evangelio ipso, in quo id minimè exprimitur (atque ut exprimeretur, tamen ulterius quæri posset, veréne, an falsò exprimeretur) non etiam ex fama, seu communi hominum opinione, quia & hæc utpotè humana, mendax, & fallax esse cognoscitur: non denique ex privato cujusque spiritu, tum ob rationes proximè superiùs allatas, tum quod si mihi asseras Machabæorum libros, exempli causa, esse apocryphos, idque confirmes dictari tibi ab interiori, ac Sancto Spiritu, neque verò eum te esse, qui mentiare in re præsertim tanti momenti: hæc demum unica basis Fidei tuæ, meáque futura sit, quod verax sis; tu, inquam, qui sanctis Patribus Fidem abrogas; tu, qui spiritum tuum, ac judicium privatum toti Ecclesiæ præferendum censes; tu, qui non rarò tuis dictis factisve vanitatem adhibes: quomodo ergo tibi credere possim Machabæorum libros è divinorum numero esse removendos, præsertim, cum Scriptura teste omnis homo sit mendax? Ecclesiam itaque hac super quæstione consulo, nitor hâc columnâ veritatis, in ea reperio definitum per Concilium Carthaginiense tertium, cui interfuit ipse Theologorum Sol Augustinus, per Florentinum item, ac Tridentinum, Machabæorum historiam inter divinas censendam, & omnino credo, mecúmque credit quisquis est Catholicus. Heterodoxus, qui Ecclesiam non audit, authore Christo, est mihi *sicut ethnicus, & publicanus*.

10. *Purgatorium asseritur aliis Scripturæ locis.* Mitto itaque alia seu veteris, seu novi instrumenti loca: nihil dico de hac Davidis deprecatione, *Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me*; Psal. 37. quem furorem ad tartareum cruciatum, iram verò ad purgantem refert Augustinus, Beda, Haimo, Carthusianus. Prætereo carcerem illum, in quo denunciat Christus Matthæi 5. solvendum usque ad novissimum quadrantem, quem carcerem lustralem esse volunt Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus. Taceo denique eodem Christo teste Matthæi 12. noxas aliquas neque in hoc, neque in futuro sæculo remittendas: unde Augustinus, Gregorius, Bernardus rectè colligunt alias quasdam, minores scilicet, in altero illo sæculo condonandas esse. Unum miror, hæreticos nostros in earum sententiarum explicatione non plus deferre Patribus illis, atque adeo Ecclesiæ præsidibus illius temporis (quo Calvino teste illibata vigebat Ecclesia) quàm pauculis Apostatis, & Monachis fugitivis, aut Grammaticis, in quibus nihil insignius crimine aut perfidiâ.

ARTICULUS II.

Purgatorium adstruunt Sancti Patres.

11. *Audiendi SS. Patres.* QUOD si, ut res est, in locorum Scripturæ explanatione Sanctis Patribus plurimum deferendum est, quoniam ut Apostolis, ac Christo ætate viciniores, ita & increatæ Sapientiæ morum sanctitate propiores veritatem puriùs ac certiùs haurire potuerunt, quis ambigat, quin eorum de Fidei dogmatibus judicium perpetuâ jam inde ab Apostolis, non temporum magis, quàm doctrinæ successione confirmatum, summum apud quemlibet sanæ mentis pondus obtinere debeat?

12. *Græci Patres Purgatorium asserunt.* Atqui Purgatorium asserunt Patres Græci, Apostolorum coævi, ac discipuli. Dionysius Areopagita Anno salutis centesimo, non uno loco, nominatim lib. de Eccles. Hierarch. c. 7. p. 3. *Accedens*, inquit, *deinde venerandus Antistes precem sacram super mortuum peragit. Precatur oratio illam divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eúmque in loco ac regione vivorum statuat.* Ita ipse. Hermas item idem docuit Anno centesimo vigesimo. Inde Origenes Anno ducentesimo trigesimo compluribus in tractatibus. Exinde Eusebius Alexandrinus Anno ducentesimo sexagesimo: tum Concilium Nicænum tot ex Patribus conflatum Anno trecentesimo vigesimo, Athanasius quoque trecentesimo quadragesimo. Ad hæc Basilius Magnus trecentesimo septuagesimo, Ephremus eodem trecentesimo septuagesimo, uti & Cyrillus Jerosolymitanus. Succedunt Gregorii Nazianzenus & Nyssenus Anno Christi trecentesimo octuagesimo, eodémque Timotheus Alexandrinus, & Epiphanius. Porrò Chrysostomus, & Palladius Anno quadringentesimo idem docuere, quibus accessit

Syneſius quadringenteſimo vigeſimo. Aticus Patriarcha Conſtantinopolitanus Anno quadringenteſimo vigeſimo quinto, Caſſianus Anno ejuſdem ſæculi trigeſimo, Socrates quadrageſimo. Theodoretus Anno quadringenteſimo quinquageſimo, Diadocus quadringenteſimo octuageſimo, Juſtinus Imperator quingẽteſimo vigeſimo, Procopius Gazæus ejuſdem ſæculi trigeſimo, Juſtinianus item Imperator quadrageſimo, Climacus quoque ejuſdem octuageſimo. Præterea Gregorius Preſbyter Anno ſexcenteſimo, Leontius ſexcenteſimo decimo, ejuſdem vigeſimo Joannes Moſchus, trigeſimo Sophronius Jeroſolymitanus, quadrageſimo Maximus, ſeptingenteſimo dein, & vigeſimo Germanus Conſtantinopolitanus, ſeptingenteſimo trigeſimo Joannes Damaſcenus, octingenteſimo Nicephorus Confeſſor, Theophilactus nongenteſimo, Simeon Metaphraſtes nongenteſimo quinquageſimo, Oecumænius milleſimo quinquageſimo, Theodorus Balſamon milleſimo centeſimo. Quid alios minus celebres Eccleſiæ Græcanicæ numerem? Si dubites, exponit illa in Theſauro ſuo Coccius, cujus & chronologiam in recenſendo ſum ſecutus. Ex quibus liquidò patet, contra torrentem Græcorum Patrum navigandum ei eſſe, qui purgantes flammas inficietur. At quâ, quæſo, vi, niſi judicii pertinacis: cùm pauculos illis opponere poſſit, eósque, vel vetere inuſtos hæreſis notâ, ut Aërium religione Arianum, vel alios nonnullos recentiores eâdem, aliâque infamiâ inſignes, quibus credere, eſt Fidem proſtituere.

13. *Patres Latini.* Jam inter Latinos pluribus locis idem confirmat Tertullianus Anno ducenteſimo: Sic enim de teſtimonio animæ adverſus Gentes: *Cui gratiam debes, oſſibus, & cineribus eius refrigerium comprecaris, & ut benè requieſcat apud inferos cupis*; & lib. de Monogam. c. 10. *pro anima eius orat, & refrigerium adpoſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus dormitionis eius.* Cyprianus item Anno ducenteſimo quinquageſimo idem tradit. Zeno Veronenſis ducenteſimo ſexageſimo, Arnobius trecenteſimo, Lactantius trecenteſimo vigeſimo, Ambroſius trecenteſimo ſeptuageſimo, Prudentius ejuſdem ſæculi octuageſimo, Ruffinus nonageſimo. Concilium Carthaginenſe tertium Anno trecenteſimo nonageſimo quinto. Quartum trecenteſimo nonageſimo octavo; Auguſtinus quadringenteſimo. Item Baccharius, ac Paulinus Nolanus quadringenteſimo vigeſimo; Sixtus III. quadringenteſimo vigeſimo, Philippus Preſbyter quadringenteſimo trigeſimo. Concilium Valenſe primum quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo; Eucherius Lugdunenſis quadringenteſimo quinquageſimo, Ceſarius Arelatenſis ejuſdem ſæculi ſeptuageſimo, Victor Uticenſis octuageſimo, Boëthius quingenteſimo. Concilium Valentinum Hiſpaniæ ejuſdem ſæculi trigeſimo tertio; Primaſius quadrageſimo. Quid conſequentes annos, quid Gregorium Magnum, Iſidorum Hiſpalenſem, Eligium, Bedam, Alcuinum Haymonem, Petrum Damianum, Anſelmum, Ivonem Carnotenſem, Odonem Cameracenſem, Rupertum Tuitienſem, Bernardum, Richardum à S. Victore, Petrum Lombardum, aliósque doctrina ac pietate illuſtriſſimos viros hîc laudem? Stancarus, homo hæreticus lib. de Trinitate & Mediatore, Petrum Lombardum, Magiſtrum Sententiarum, quem poſtremo laudavi, his verbis prædicat: *Plus valet unus Petrus Lombardus, quàm centum Lutheri, ducenti Melanẽthones, trecenti Bulingeri, quadringenti Petri Martyres, quingenti Calvini, qui omnes ſi mortario contunderentur, non exprimeretur uncia veræ Theologiæ.* Ita ille, & omnino verè. Porrò addo hîc majoris lucis gratia ex eruditiſſimo Annalium Eccleſiaſticorum ſcriptore Baronio ad Annum Chriſti 34. hæc pauculà: *Sic enim*, inquit, *habeto; omnium, qui poſt dicta tempora vixere Orthodoxi ſcriptores* (atqui de Auguſtini, ac Cæſaris Arelatenſis teſtimoniis, ætatéque egerat) *uſque in præſens nullum reperiri, qui Apoſtolicæ traditioni de Purgatorio, Maiorúmque aſſertioni, ac denique tot ſæculis præſcriptæ Eccleſiaſticæ conſuetudini auſus ſit contradicere. Quin potiùs eamdem Catholicam veritatem non tantùm ex Patribus ratam, atque firmatam, ſed miraculorum editione divino calculo ſæpiùs comprobatam, pronis manibus excipientes, ſunt piè, ſanctéque venerati.* Hactenus Baronius.

14. *Hinc mendacii arguitur Calvinus & dictorum repugnantia.* Atque ex his omnibus clariſſimè conficio primùm ſplendidiſſimè mentitum eſſe Calvinum, dum ait, de Purgatorio adeo nihil aſſeruiſſe Patres, ut illud pro re incertâ haberent, quæ ut obſervat Bellarminus de Purgator. lib. 1. cap. 6. intoleranda impudentia, vel imperitia eſt: deinde ex eodem convinco, Chriſtum & Apoſtolos Purgatorium affirmaſſe; fatetur enim ipſe conceptis verbis extra controverſiam eſſe, *Nihil à principio uſque ad illam ætatem* (Auguſtini ſcilicet, & coætaneorum) *mutatum fuiſſe in doctrina.* Inſtit. l. 4. c. 2. §. 2. & 3. & clariùs juxta editionem Gallicam,

Rem

Rem esse apertam, & indubitatam nihil ab ætate Apostolorum usque ad Sanctorum illorum Doctorum tempus mutatum fuisse in doctrina, neque Romæ, neque in aliis urbibus. Cum igitur Augustinus tum aliis tractatibus, tum edito de curâ pro mortuis libro disertissimè purgantes pœnas statuat, consequitur Calvini sententiâ Christum ejúsque Apostolos eadem statuisse.

15. *Et Purgatorii veritas stabilitur.*

Verùm nihil interest nostra, quid de illis, vel Calvinus, vel alii ejusdem generis & farinæ homines sentiant, cùm & hi mendaciis infames sint, & tot alios viros omnis ætatis virtute doctrináque præstantissimos in idem consentientes habeamus. Ut enim falsitatis signum est, dissentio inter alicujus sectæ studiosos (quemadmodum patet in hæreticis in diversissimas de fide opiniones distractis) ita & concordia doctrinæ non vulgare veritatis argumentum est: quippe quod ut falsitas multiplex, ita veritas una sit.

16. *Nil refert quod Sancti, homines sint.*

At enim, inquis, omnes illi, utpote homines, errori subjecti sunt. Scio, si per sese spectentur; minimè verò, si ut cum Christo & Apostolis doctrinæ communione conjuncti sunt, quemadmodum hîc in proposito conjunctos esse manifestum est, tum ex allata serie jam inde à Clemente Romano ac Dionysio Areopagita, Apostolorum discipulis, tum ex Ecclesiæ traditione, quam convellere inferi portæ ac vires, teste ipso Christo, numquam valebũt. Deinde si tot illi Christiani orbis Doctores errori expositi, quantò magis pauculi, & indocti, ac propter vitæ pravitatem, perfidiámque, exosi Numini, & errorum ac mendacii fictori diabolo subjecti?

17. *Vanitas hæreticorum Scripturam Patribus opponentium.*

At Scripturam à se stare contendunt: ô vanitatem! dum enim evidentem Scripturam illis opponimus, qua manifestò revincuntur, eam ipsam veram Scripturam esse pernegant; dum aliam minus apertam, contra Sanctorum Patrum expositionem pro arbitratu suo interpretantur. Quam, quæso, Scripturam claram, ac perspicuam promitis, ô viri, quæ, vel Machabæorum historiam Canonicam esse, vel Purgatorium omnino extare neget, aut vestram interpretationem confirmet? nullam promitis. Quî autem promeretis antiquitati incognitam, & inauditam? Cur igitur sacram Scripturam, vestram esse clamitatis? Si verò eam, quæ pro vobis facit, fatemini dubiam, & obscuram: cur illam vobis arrogatis? Cur Fidem certam, ac divinam incertis, humanísque ejusdem interpretationibus vestris fulcitis? Maneat itaque purgantium locorum veritatem Sanctorum Patrum testimoniis jam inde ab Apostolorum ætate longissima serie continuatis, atque adeò Apostolorum doctrinâ per eos haustâ manifestò stabiliri.

ARTICULUS III.

Idem rationibus comprobatur.

18. *Ut leves noxæ hic impunitæ castigentur.*

Non modo Scriptura per sese, & Sancti Patres ex ipsa Purgatorium apertè demonstrant: sed & multiplex ratio, ut cætera abessent, de illo dubitare non sinit. Constat enim primùm nonnullas esse noxas naturâ suâ tam leves, ut amicitiam divinam minimè dissolvant; tum quia constat aliquos in Ecclesia esse, & fuisse justos, & Deo gratos, ut de SS. Joseph, & Zacharia Baptistæ patre, ejúsque matre Elisabetha ex Evangelio compertum est, *& tamen si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*; 1. Joan. 1. *& in multis offendimus omnes*; Jacobi 3. Tum quia insanum est arbitrari levissimam mentis inter precandum evagationem, aut otiosum verbulum odio divino, pœnâque æternâ dignum esse; uti insaniret homo qui ob levissimam amici noxam per imprudentiam admissam, immortali eum odio prosequeretur. Atqui non dubium, quin ex probis quispiam cum levis ejusmodi noxæ macula emori possit, vel quia piget, vel quia non vacat eam eluere propter fati repentini necessitatem. Quid igitur fiet homine isto? nam & cœlum illi clausum est, quippe adhuc inquinato; nec tartarus debetur, quippe Numinis amico: igitur ad lustralem custodiam ablegetur, necesse est, ut maculam illic eluat, & pœnam noxæ debitam solvat. Enimverò hanc pœnam dicere in ipsâ morte sitam esse, merum deliramentum est, sive quia imparibus noxis pœna communis iniquè redderetur: sive quia plerumque nocentiores mitius mortis genus sortiuntur: sive quia, ut in infantibus patet, mors solius originalis culpæ pœna est. Quid clariùs hac ratiocinatione? Quid potentiùs? Quare ad alterum hujus Catholicæ de Purgatorio sententiæ firmamentum, priore non minus stabile, procedo.

19. *Ut graviorum pœna hic non remissa exigatur.*

Etenim exploratum est, etiam apud heterodoxos, ea lege condonari posse culpam, ut illius pœna solvenda maneat. Quippe gratia divina, per quàm reo venia fit, non cum obligatione pœnæ, sed cum peccato tantummodo pugnat, satísque habet illud expungere. Atqui, & fateri coguntur Deum eam sibi legem in remittenda culpa præfixisse, ut factâ reis veniâ,

pœnam nihilominus subinde exigat, idque cum ex compluribus aliis Scripturæ locis patet, tum ex eo Exod. 32. *Ego autem in die ultionis visitabo, & hoc peccatum eorum*: Nempe Israëlitarum; quibus tamen sive ob Moysis preces, sive ob eorum pœnitentiam ignoverat. Item ex 2. Regum c. 12. ubi Dei nomine Davidi, quem jam sceleris pœnitebat, id est, adulterii, cædisque commissæ, Propheta renunciat certè quidem utrumque ei esse condonatum; veruntamen, inquit, quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius qui natus est tibi, morte morietur. Audis & pœnam exprimi, & peccato licèt remissio eam nihilominus reo infligendam? Quid plura? nec enim quidquam fingi potest, cur non idem divinus Judex etiamnum eodem pacto cum reis agat: præsertim cum veteres illi eâdem gratiâ Christi Redemptoris, quâ nunc Christiani, scelerum veniam consequerentur. Igitur hodiéque remissâ noxâ non continuò remittitur pœna noxæ debita; igitur ab homine reo exsolvenda est: & cum sæpenumero vel non liceat, propter subitam necessitatem, aut criminum numerum ac gravitatem, totam in vivis exsolvere, vel non libeat propter difficultatem, clarissimè certissiméque conficitur eam in Purgatorio esse persolvendam.

20. *In quo non fit Christo injuria.* At oblatrant hîc hæretici, ea ratione fieri injuriam Christo, & Sanguinis ejus ac meritorum minui pretium. Cùm enim sit infinitum, & par omnino extinguendæ simul cum culpa obligationi omnis pœnæ, cur nos post culpæ remissionem, eam adhuc solvendam contendimus? Ita illi: At sanè insulsè. Primùm, quia utcumque immensum sit pretium illud, tamen Deus Opt. Max. noxâ populo Israëlitico, aliisque condonatâ pœnam exegit. Deinde nihilo plus obstante hac immensitate pretii, nos etiam ipsi, imo & infantes originali culpâ omnino remissâ, & alia plurima, & mortem ipsam perpetimur. Nimirum par est quidem pretium expungendis omnibus nominibus nostris; verùm, ut revera expungat, illud nobis applicari debet. Alioqui enim quid esset, cur etiam damnati inferno carcere soluti, eodem isto pretio beatitudinem non indipiscerentur? Itaque applicandum est Sanguinis Christi ingens meritum ac satisfactio, Sacramentorum & bonorum operum beneficio; sive nos ipsi per gratiam Christi Sanguine nobis partam, pœnæ peccatis nostris debitæ satisfacere debemus. In quo ipso, non modo nihil detrahimus pretio illius Sanguinis, sed potius honorificè de illo sentimus: quod videlicet non Christo dumtaxat, sed & nobis vim merendi, ac satisfaciendi contulisse credamus, ac profiteamur.

21. *Quia negato Purgatorio tollitur justitia, & providentia Dei.* Satiùs hîc caverent, qui hæc nobis objectant, ne, dum Redemptoris satisfactionem malè extollunt, æquissimi Numinis partim justitiam vindicatricem convellerent, partim providentiam. Enimverò Justitiæ illius est, vel hac in vita, vel in altera plectere quascumque noxas, sive ut injuria Deo per has illata compensetur, sive ut rectus ordo, qui per easdem perturbatus est, dum homo Numinis imperio se subtraxit, instauretur. Deinde Providentiæ divinæ permagni interest, pœnas esse aliquas, quibus & lethiferæ culpæ quantumvis condonatæ aliquando castigentur, & pariter leviores illæ, quas dicimus veniales. Alioqui enim quàm pronus esset in eas lapsus! Quanta earum frequentia! quantus Numinis contemptus! Siquidem satis constat homines longè fortiùs minis ac suppliciis à committendo peccato deterreri, quàm beneficiis ac promissis pellici ad colendam virtutem. Quare rectè Philosophus pronunciavit Solem de mundo eum tollere, qui justitiam neget vindicatricem, & Regius Psaltes Psalm. 110. *Initium*, inquit, *sapientiæ timor Domini*: quasi dicat, caput ac summam sapientiæ esse, subjectam oculis semper habere Justitiam Dei vindicem. Quamobrem qui Purgatorium negant, non modò Justitiam divinam convellunt, sed etiam providentiam, quæ quemadmodum alterâ velut manu utitur misericordiâ ad conducendos regendósque mortales, sic & alterâ, quamvis sinistrâ, attamen forti, justitiâ vindicatrice. Est igitur sanè, cur ille vindictam timeat, qui justitiam negare non formidat.

22. *Epilogus ad Catholicos.* Atque ex his aliisque superiùs demonstratis, purgantis carceris veritas clarè elucescit. Quamobrem rectè ab Ecclesiâ in Conciliis Florentino, Tridentinóque decisum, eam sub Fidem cadere. Æquè igitur credenda est, atque esse Deum, esse Unum in essentia, in personis Trinum, quando una, & eadem divina authoritas utrumque persuadet. Hinc porrò consequitur eadem de veritate nos esse certiores, quàm si supplicia ipsa purgantia medio in foro exerceri hisce oculis videremus: propterea quod Fides divina qualibet evidentissimâ cognitione naturali certior est. Atqui si levissimum lustralis ergastuli cruciatum coram spectaremus, quanta animorum nostrorum commotio! quanta commiseratio piorum manium! quanta sollicitudo ejusmodi pœnas à nobis, & ab

aliis

aliis avertendi ipso primo conspectûs momento erumperet! Exsuscitanda igitur illa Fides, ut si fieri possit, non impares curas in nobis creet, maximè cum tormenta longè graviora sint, quàm quæcumque oculis usurpari queunt, imo & mente in hâc mortali vitâ percipi. Ergo rectissimè innocens ille Jobus c. 9. *Verebar*, inquit, *omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti*; & nos quoque multarum jam rei noxarum eodem animos metu adversus nova crimina confirmemus: & si Christianum pectus gerimus, purgandarum animarum vel nunc misereamur. Etenim nosse amici gravem miseriam, plusquam satis est ad misericordiam: quantum igitur erit fide divina eam compertam habere!

CAPUT SECUNDUM.

De loco Purgatorii.

PROOEMIUM.

23. *Multiplex Purgatorii locus proponitur.*

PURGATORIO asserto, indagamus nunc illius locum, ut & dictis Fides eò certiùs habeatur, quò magis compertus erit etiam Purgatorii locus, & ex situs infamiâ, molestiâque, carceris hujus acerbitas proniùs deinceps expendatur. Est autem Doctori Angelico, aliisque communiter Theologis Purgatorii locus duplex: Alter ordinarius, alter extraordinarius. His addit Bellarminus, aliique tertiam aliquam sedem, in qua animæ quædam corpore solutæ, cœlique adhuc exortes, immunes ab omni sensûs pœnâ degant. Nonnulli Purgatorium Sancti Patricii adstruunt, in quo etiam vivi torqueantur. Hæc igitur hujus Capitis materia, atque hic ordo mihi ad scribendum propositus est, & cuique loco suus articulus destinatus. Comitare nos, mi Lector, scire expedit voraginis ærumnosæ locum, ut eam vites faciliùs.

ARTICULUS I.

De ordinario Purgatorii loco.

§. 1.

Est aliquis subtus terram.

24. *Statuitur aliquis certus ordinarius.*

EST quidem in Judicis, ac supremi potissimùm Principis arbitratu, locum definire, ubi rei plectantur. Et confert identidem ad cæterorum exemplum, ac terrorem, si supplicii locus idem sit, qui criminis, quo maximè pacto locus ipse pars est supplicii. Veruntamen, ut solemnis ac status est apud mortales tum carcer, tum crux ac campus feralis, propter varias utilitates; sic providentiæ Numinis cuncta cum pondere, numero ac mensurâ facientis congruebat, ut castigandis post hanc vitam reis certum locum designaret, scilicet capiendis supplicii instrumentis, & cruciatui exercendo idoneum. Hunc porrò designasse videtur ipsa veritas Matthæi 5. ubi sic monet: *Esto consentiens adversario citò, dum es in via cum eo; ne fortè tradat te adversarius Iudici, & Iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Ecquis enim ille carcer? Certè quidem, Purgatorium omnes intelligunt, & meritò. Ut enim D. Bernardinus Tom. 2. Ser. 62. *Hoc quidem de carcere huius mundi non potest intelligi, eò quod nec ibi ponuntur omnes tales: nec de carcere infernali, quia ibi numquam solvitur novissimus quadrans debitæ pœnæ; sed de carcere Purgatorii intelligi habet, quia ab illo exibit quis, quando solverit novissimum quadrantem.* Sic ipse. Est igitur certus ac definitus carcer, in quo post hanc vitam attinentur, qui purgandi sunt: nec enim necesse est, aut semper expedit, aut etiam fas est, ut quod sensit Hugo Victorinus apud Sanctum Thomam in 4. dist. 24. q. 1. art. 1. illic de more plectatur à Deo reus, ubi peccavit, partim quòd diversissimis locis peccavit, in quæ reas animas differri, aut discurrere haud est probabile, partim quòd dum uno in loco unius criminis pœnas darent, non darent alteriùs, unde longissima existeret mora Purgatorii: partim denique quòd si qua ratio id evinceret pro piis manibus, pari jure pro damnatis evinceret: quod vel opinari nefas est: quando igitur id contingit, præter morem legémque Dei ordinariam, ut brevi asseremus, contingere dicendum est.

Porrò

25. *Subterraneus.*

Porrò locus ille purgandis animis destinatus non est in cœlo statuendus: est enim sedes Beatorum: nec in aëre, quia reis quidem locus humilior, carceri autem tenebrosus convenit: neque verò in Orbe terrarum, quòd viatoribus, militantibúsque propriùs sit: igitur sub terram retrudendus est, & hæc est Sancti Thomæ, omniúmque hujus temporis Theologorum communiùs sententia, imo totius Ecclesiæ sensus. Hæc enim in Defunctorum officio ita precatur: *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu*; quem infernum non damnatorum, sed purgandorum intelligit; lacum autem illum insinuat, de quo Zacharias Vates cap. 9. dum sic Christum compellat: *Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*; quem lacum Bellarminus congruentiùs pro Purgatorio, quàm pro Limbo Patrum accipi censet; partim quòd animæ purgandæ rectiùs, quàm Patres, vincti dicantur (nec enim hi rei, nec Limbus carcer) partim quòd in Limbo nonnulla erat aqua, nimirum solatii, cujus illa symbolum est, nulla verò est in Purgatorio. Cæterùm alia quoque, sunt sacrorum Codicum loca eumdem subterraneum situm confirmantia. Qualis hic Apocalypseos cap. 5. *Nemo inventus est dignus aperire librum, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram.* Nec enim damnatis, cum omnino execrandi sint, *digni* nomen competit, neque hic de Patribus Limbi sermo est, cùm jam cœlo recepti essent, quando hæc scripta sunt, igitur de Justis sub terra degentibus, atque adeo de piis manibus agi sat compertum est. Missa facio alia, missas historias, ac visa Sanctorum fide dignissima quibus idem ostenditur: & nunc quis Purgatorii situs sit, declaro.

§. 2.

Est orco vicinus, non tamen continuus.

26. *Orco vicinus.*

QUATUOR sub terra animarum receptacula esse, omnes Theologi consentiunt, at de singulorum inter se ordine non parum contendunt. Etsi enim plerique omnes orcum infimo, Limbum Patrum supremo loco constituant; quidam tamen Limbum puerorum Purgatorio subdunt, alii contra. Multi autem loca hæc sic inter se componunt, ut supremus cætera includat, & sic deinceps superius inferum, velut in tunicis allii, aut oribus cœlestibus. Ut certi aliquid statuam, displicet mihi primùm, ut & Suario, hæc circularis inclusio, sive quòd gratis adstruatur, sive quòd incongruè. Quippe ea posita ante Christi quidem adventum per Limbum Patrum, pérque reliqua receptacula, post illum verò per Limbum puerorum, ac per Purgatorium damnatos omnes à dæmonibus prætervehi oporteret: unde & puerorum nihil tale commeritorum requies turbaretur, & Purgatorium teterrimis istis vectoribus, infaustissimis sarcinis semper refertum esset. Itaque assignandi videntur diversi circa centrum terræ sinus, sese mutuo excludentes, quorum infimus ipsum centrum proximè ambiat, & damnatos excipiat, cæteri seorsum diversas mundi plagas respiciant. Ita tamen ut ab orco remotissimus sit Abrahæ sinus, ut magnum illud chaos, de quo Epuloni Abraham, inter utrumque diffundatur. Cui sinui propter miseriæ similitudinem vicinus sit puerorum Limbus, propiùs tamen absit ab orco ob originis noxam, quam purgaverant Patres. Tum parte alia ad tartarum accedat Purgatorium, propter pœnæ utriusque loci affinitatem.

27. *Non continuus.*

At lis esse potest, an sit tartaro contiguum, an verò continuum. Ac Doctor quidem Angelicus ita vult esse continuum, ut Purgatorium in superiori tartari parte locet. Et revelationes quædam illud hujus velut ripam esse significant. Alii, ut Suarez, velut os inferni putei discribunt, nulla scilicet terræ mole interjecta. Verùm, quia hîc sunt liberæ cogitationes, salvâ tantorum virorum authoritate, opinor nihil commercii purgandis animis esse cum damnatis, & ne locum quidem utrisque communem tribuo. Quid enim opus? An quia idem utrasque perurit ignis? esto illud, de quo post videbimus: attamen potuit ignis naturâ, & essentiâ idem utrobique creari à Deo: neque revelationes illæ quidquam convincunt, tum quia iis alias opponere licet, ut Christinæ Mirabilis, non uno, sed binis carceribus lustrandas & damnatas animas conspicatæ: tum quia (ut in simili Suarez de Purgatorio, Sect. 2.) *in visionibus ostenditur subinde aliquid in aliquo loco propter aliquam significationem, vel occasionem: non quia in tali loco illud opus fiat.* Igitur ideo Purgatorium velut orci ripam superi ostendêre, ut viciniam indicarent, non continuitatem. Quî enim hæc congruat? Nam pii manes, dæmonum victores sunt, impii autem subacta turpiter eorum mancipia: illi Numini carissimi, hi cum dæmonibus

nibus pariter inviſi: illi Deo, vel in acerbiſſimis ſuppliciis, ex animo grates agunt, laudes concinunt, ſumma voluntatum conſenſione ſemper adhærent; hi contra perpetuis diris ac maledictis eum inſectantur: cur ergo reis in tanto conditionum, noxarum, ac voluntatum diſcrimine idem tribuitur pœnæ locus, idémque carcer? An ad pœnam exaggerandam? at facilis alia ejus gravitatis ratio, eáque congruentior. An ut pii manes dæmonum carnificinæ ſint magis expoſiti? At Suarius ipſe cum D. Thoma, & aliis, cenſet ab iis minimè torqueri; de quo, & nos poſtmodum diſputabimus. Concludendum itaque inter carceres luſtralem, & infernum, aliquam terræ molem interjici, qua omne commercium excludatur.

28. *Ejus à nobis diſtantia.* Cæterùm nec ingratum, nec inutile fuerit, deinceps metiri carceris hujus luſtralis profunditatem. Pono igitur ex Tichone Brahe terrarum ambitum circiter novem leucarum Belgicarum (ſive unius horæ millia complecti, atque adeo illius diametro tria circiter millia contineri. Pono deinde avernum terræ centrum occupare, ut quemadmodum palatia Cœlitum, ac Dei amicorum excelſiſſimo loco; ſic impiorum ac dæmonis mancipiorum ergaſtula profundiſſimo, viliſſimóque ſita ſint. Statuo præterea cum Leſſio lib. 13. de Perfect. divin. c. 24. avernalem carcerem ſic ambire centrum terræ, ut utriuſque idem centrum ſit.

29. *Orci magnitudo.* Porrò cavitatem orci Leſſius quidem ad unicam leucam, ſeu ad quatuor circiter miliaria Italica dumtaxat extendit. Quippe quòd damnati tamquam aridæ haleces in orcâ, vel ut ſicca ligna velut in faſcem collecti ſint: quo ſitu pluſquam octingenta millia millionum corporum avernus capere poſſit: cùm tamen ſubductione inita conſtet, damnatorum numerum centies mille milliones non exceſſurum. Ita ipſe, quamvis poſtea habita ſtagni ſulphurei, demonumque ignitis corporibus poſt judicium includendorum ratione, concavæ ſuperficiei telluris orcum ambientis, ſex leucas, atque adeo diametro illius duas concedat. At Ribera, & poſt eum Cornelius in Apocal. cap. 14. Avernum tam in longum, quàm in latum & profundum, ad mille ſexcenta ſtadia, id eſt, ad quinquaginta leucas porrigunt: quot ſcilicet Apocalypſis tribuit lacui iræ Dei, quem avernalem eſſe contendunt, voluntque damnatos & plures fore, & quaquaverſum per ignem raptandos, & volutandos, & variis cataſtis, ac velut equuleis diſponendos. Quamobrem cum expiatorius carcer ab avernali haud multum diſtet, & conceſſis ambitui terræ novem leucarum millibus, ejus diametro tria millia debita ſint, ac proinde ſpatio ad uſque centrum terræ, mille & quingentæ; conſequitur à terræ ſuperficie ad Purgatorium telluris ſpiſſitudinem mille leucarum intervallo eſſe majorem: quanta autem ſit præcisè, haud poſſe definiri. Quis det ut eam numquam metiri, atque experientiâ ipſa magnitudinem ejus ſcire nobis contingat!

ARTICULUS II.

De locis Purgatorii extraordinariis.

ESSE aliqua cum S. Thoma conſentiunt plerique omnes Theologi, & rationem affert Angelicus Doctor, quod hoc expediat identidem ad vivorum inſtructionem, vel ad mortuorum, ut loquitur, *ſubventionem*, ut viventibus eorum pœna innoteſcens per ſuffragia Eccleſiæ mitigetur. vide illum in 4. diſtinct. 24. q. 1. art. 1. Neque verò hac de re nos ambigere ſinunt hiſtoriæ, viſionésque plurimæ, quibus omnibus fidem abrogare, præſertim cùm à digniſſimis Fide authoribus referantur, impudentis, parumque Chriſtiani hominis eſt. 30. *Dantur aliqua.*

Neque tamen inficias eam non paucas ſic exponi poſſe, ut non ipſæ animæ purgandæ, ſed earum loco ac nomine, habitúque Genius aliquis bonus viventibus, aut appareat, aut loquatur, ipſis interea communi carcere detentis. Quo quidem pacto non magis proloquitur falſum, quàm cùm Dei nomine, quem referebat, Iſraëlitico populo diceret: *Ego ſum Deus Abraham: ego percutiam, & ego ſanabo*, & hujuſmodi. Conſtat enim Angelos hoc in munere atque officio caritatis, animarum gerere perſonam, ut in legationibus ad Judaïcam gentem, perſonam gerebant Numinis. Neque veram animæ præſentiam neceſſariò indicant nonnulla narrationis adjuncta, quæ ſupplicii locum deſignant, ut ſi cui videndum ſe præbet, hîc, aut iſtic ſe cruciari commemoret. Ut enim rectè Suarius hîc, aut iſtic, in ſilvâ, in monte, hac in domo, & ſimilia nonnumquam idem valent, ac ſi diceretur, in loco expiatorio, qui per hunc aut iſtum repræſentatur. Qua ratione interpretandi utendum utique eſt, dum damnatos quoſpiam certis terræ locis, velut earum ſupplicio deſtinatis, torqueri aſſeritur. Conſtat enim unicum erebi carcerem eorum carnificinæ aſſignatum, 31. *Quamvis non omnino certa.*

quamvis negandum minimè sit damnatorum aliquos subinde ex orco, quo relegati erant, à dæmonibus revectos, tantisper in terra ad cæterorum exemplum hæsisse. Id quod Bellarminus evenisse autumat Parisiensi illi Doctori, qui, ut refertur in vitâ S. Brunonis, dum ei parentaretur, primo die pronunciavit è sandapila, sese accusatum, altero judicatum, tertio condemnatum esse, cùm tamen forum illud divinum statim à morte peractum, ipséque jam tum ultricibus erebi flammis correptus fuisset.

32. *Ad rupem quamdam juxta mare Siculum.*

Porrò ut ad nonnulla Purgatorii extraordinaria loca veniamus, celebris ille est, qui statæ per annum piorum manium commemorationi occasionem præbuisse fertur. Historiam narrat Petrus Damiani in vita S. Odilonis: unde ni fallor, hausêre cæteri; cujus ipsa verba produco. Religiosus quidam vir, oriundus de pago Rotenensi, revertebâtur ab Hierosolymis, qui dum mare transiret, quo à Sicilia versus Thessalonicam per plurima fluctuum periculosa loca protenditur, eumque cum multis aliis furentium ventorum horror impelleret, applicuerunt ad insulam quamdam sive rupem, ubi Sanctus quidam servus Dei manebat inclusus. Rotenensis itaque vir illic aliquamdiu commorans, & tranquillitatem sedandi maris exspectans, delectabatur cum servo Dei frequenter habere colloquium: sed dum hinc nonnulla dicuntur, illinc plurima referuntur, perquisitus hospes à viro, unde genus duceret originaliter: Aquitanum se esse respondit: Requisitus insuper, utrùm Cœnobium illud, quod dicitur Cluniacum, & Odilonem ejusdem loci nosset Abbatem: quod quærebat, se nosse perhibuit. Scisscitatur homo, cur Dei servus ab eo requirat. Sunt, inquit, vicina nobis loca, ex quibus gravissima flammarum furentium volvuntur incendia, in quibus etiam locis animæ *reproborum* diversa luunt, pro meritorum qualitate tormenta. Ad quorum exaggeranda supplicia, innumerabiles sunt dæmones deputati, qui intolerabiles eorum pœnas quotidiè renovant, & eos ad rediviva supplicia indesinenter instaurant. Quos tamen ego frequenter audivi querulis lamentationibus ejulantes, & lacrymabili vociferatione deflentes, quòd orationibus, & eleëmosynis quorumdam adversus eos infœderabiliter concertantium frequenter ex eorum manibus eriperentur animæ damnatorum. Inter cætera de Cluniacensium cœtu permaximam, & eorum Abbate querimoniam faciunt, quia quàm sæpè per eos sui juris *vernaculos* perdunt. Quamobrem terribile Dei nomen obtestor, ut sanctis fratribus illic hæc, quæ tibi dixi, fideliter referas, & ex nostra quoque illis parte denunties, ut eleëmosynis, ac orationibus magis ac magis insistant, ac præsertim hujus intuitu, ut de manibus dæmonum eos, qui ab iis cruciantur, educant, quatenus de quotidianis eorum rapinis, & luctus inferatur generis humani inimico, & gaudium multiplicetur in cœlo. Aliquanto post homo regressus in patriam, quidquid ex viri Dei revelatione didicerat, Beato Patri, & sanctæ Congregationi fideliter narrat. Tunc Venerabilis Pater Odilo per omnia monasteria sua constituit generale decretum, ut sicut primo die Novembris juxta universalis Ecclesiæ regulam omnium Sanctorum solemnitas agitur, ita sequenti die in Psalmis, & eleëmosynis, & præcipuè Missarum solemniis omnium in Christo quiescentium memoria celebretur.

33. *Discutitur hæc historia.*

Hactenus Cardinalis Damiani, ubi mirabitur mecum haud dubiè non nemo, quod *reprobos* vocet, & damnatos, itemque postea dæmonum *vernaculos*, seu mancipia, qui ex istis incendiis eripiuntur. Nam piis manibus certè quidem nihil horum competit. Et quamvis damnati ad tempus dici possunt (quomodo intelligendus Augustinus in Enchiridio, ubi eos damnatos nuncupat) tamen reproborum nomen, ac dæmonis mancipiorum omnino ab eis avertit Theologia. Unde permirum est Cardinalem Baronium in suis ad Martyrologium Romanum notis 2. Novemb. ubi hanc historiam laudat, nec non alios, qui in sua vitæ SS. editione obscuriora loca interdum illustrant, omnino hîc tacere. Quid igitur dicendum? nempe historiam illam Eremitæ istius, aut Monachi Rotenensis inscitiâ sic narratam, & prout jacebat, à Damiano aliter accipiente relatam, & recto sensu ab Odilone intellectam esse. Nisi fortè velis Damianum minus propriè locutum: quæ posterior sententia similior vero est, confirmaturque ex eo, quòd per occasionem hujusmodi narrationis Odilo, omnium, ut scribit Damianus, *in Christo quiescentium*, memoriam instituerit, ubi quod de reprobis dictum est, apertè corrigitur.

34. *Alter locus ad Pisas.*

Alius Purgatorii locus pluribus communis, ad Pisas Italiæ civitatem, situs fuisse videtur ex actis S. Nicolai Tolentinatis. Is cum Sacerdotio initiatus fuisset, ad Eremum Vallimensem à Provinciali transmissus, singulari cum religione Sacris quotidie operabatur. Sensêre id è lustralibus flammis fideles animæ, & veniâ cœlitus

facta sub noctem diei Dominicæ, qua die hebdomadarium, ut vocant, agebat, & Sacrum facturus erat, dum vir sanctus tantisper somnum caperet, quædam anima contentâ voce, multóque ejulatu, sic eum compellat: Frater Nicolae, vir Dei, huc, quæso, oculos. Ille per somnum in eam intuens, neque satis agnoscens, quem vivum se nosse meminerat, pernosse studebat; quod cùm assequi non posset, quisnam esset, percunctatus est. Subjecit illa, animam se esse Peregrini Auxinensis ipsi noti, dum in vivis ageret, & jam expiatoriis ignibus cruciari. Quare rogare se illum impensiùs, ut Missam defunctorum faciat suo nominatim, atque aliorum levamento. Tum verò candidè illi Nicolaus: *Juvet te*, inquit, *Salvator meus: Ego enim, qui ad summum Sacrum solemniter faciendum destinatus sum (hac præsertim Dominica luce, quando officium mutare nefas) Missam pro defunctis facere non possum.* At anima, *Veni*, reposuit, *Venerande Pater, & vide, num par sit tantæ, támque miseræ multitudinis, à qua missus sum, preces repellere, méque pariter miseram tam inhumaniter destituere.* Visus sibi est sequi ducem vir sanctus ad alteram Eremi partem: ubi in modicâ planitie ad Pisas urbem, haud procul Eremo sitâ, animadvertit ingentem numerum animarum ita se obsecrantium, Miserere Pater, miserere turbæ auxilium tuum exspectantis: nam si pro nobis Deo litare sacrificia dignatus fueris, maxima pars nostrûm ex his atrocissimis tormentis eripietur. Sub hæc expergefactus Nicolaus, & vehementi commiseratione permotus, multis cum lacrymis pro omnibus illis Redemptorem hominum precatus, indéque primo manè ad pedes Prioris prostratus, non remuti viderat, totam, quòd jactantiam fugeret, sed importunas tantum animarum preces exponens, oravit obnixè, ut bonâ ipsius veniâ liceret sibi hebdomade illa totâ, sacrificia pro mortuis perpetrare. Cessit Prior ejus precibus, & illius loco alium substituit. Quamobrem hebdomade illâ totâ fecit hic, quod erat rogatus, summa cum animi pietate. Quâ elapsâ eadem Peregrini anima, rursum spectandam se præbens, asseruit bonam illius multitudinis partem ejus sacrificiis, aliisque rebus liberam in Cœlum fæliciter secum evolasse.

35. *Ingolstadii, & in Brasilia.* Non dissimile est, quod R. P. Jacobo Rhem è Societate Jesu, non rarò accidit: sæpè enim sæpiùs itabant ad ipsum animæ, dormientem excitabant, ejus se precibus, ac sacrificiis commendabant; & plures testati sunt audivisse se voces è cœmiterio Collegio Societatis vicino, inclamantium animarum, & disertè, distinctéque opem R. Patris Rhemii implorantium. Hujus quoque generis est, quod de Josepho Anchieta Thaumaturgo nostro commemorat Beretarius. Cùm enim secus stagnum iter cum socio faceret, ingentem ranarum coaxationem, unàque ejulatus ingentes audierunt, quasi hominum cruciatus ingentes tolerantium: usque adeo, ut Josephi comiti capillus inhorresceret. Hic verò Josephus sublatis in cœlum oculis, *Æterne Deus*, inquit, *quàm magnâ tua potentia est!* Propiusque ad stagnum accedens, comitem ponere genua secum, & quinies orationem Dominicam, Angelicámque salutationem pro purgandis animis pronunciare jubet; quâ prece solutâ cessavit ejulatus, neque postmodum, quando sæpiùs frater illac pertransiit, auditus est.

Illustrius est quod subjicio ex Trithemio Chronici Anno 1098. Eo enim anno non procul Wormatia maxima vis armatorum equitum pariter ac peditum interdiu, noctúque haud pauco tempore velut ad pugnam è monte procedere visa, & modò huc, modò illuc per turmas discurrere, túmque circa nonam noctis horam ad eumdem, unde prodibat, montem reverti. Incessit monachum quemdam Lunxurgensis Cœnobii, non longè à monte dissiti, cupido sciscitandi, quid sibi acies illa vellet. Ergo exsuscitatâ fiduciâ, nonnullis aliis comitatus eam adit, signatúsque frontem crucis formâ, interposito SS. Trinitatis nomine, de monte moventes, qui sint interrogat. Tum de turba quispiam, *Non sumus*, ait, *inania spectra, neque verò è mortalibus, sed militum quondam hoc in campo cæsorum in prælio animæ. Arma, saga militaria, & equi, quibus quondam ad crimina abusi sumus, nunc vobis nostri argumenta sunt supplicii: quidquid enim gestamus, ignis est, tametsi vobis invisus.* His auditis Monachus quæsiit, num qua ratio esset iis opitulandi. Cui anima, *Omnino*, inquit, *ieiuniis, precibus, & maximè incruento Corporis & Sanguinis Christi sacrificio adiuvari possumus & rogamus*; continuóque tota illa acies, velut una voce tertiò inclamavit: *Orate pro nobis*; atque illico omnes tamquam in flammas abiere, ipse verò mons, ardentis instar, non sine ingenti fragore ignes ejaculatus est.

36. *Apud Wormatiam.*

Postremò extat in vitâ S. Theobaldi, mirus Purgatorii cujusdam animæ locus. Quondam oblata fuit viro sancto glacies in fluminis fundo à piscatoribus reperta.

37. *In glacie.*

Inceſſit illum cupido eam pedibus ſuis ægris refrigerandis ſubjiciendi; quod cùm feciſſet, ecce tibi è glacie vox lamentabilis in hæc verba: In hac, quam vides, glacie jaceo, purgórque miſerabilis anima. Obteſtor te, ut triginta Miſſas mihi addicas: ita diuturnum cruciatûs mei tempus non parum contrahes. Quod cùm à viro ſancto præſtitum fuiſſet, glacies reſoluta, & anima liberata eſt. Vide Petrum de Natalibus, & alios. In ſumma, intellige quævis loca hujuſmodi expiationi vel addicta, vel addici poſſe, & ſic audies ex dicendis, templa, puteos, domos denique eadem fuiſſe nonnumquam incendii purgantis, quę criminum loca, pro Numinis arbitratu. Atque hæc ſatis: quæ quidem non ideo protuli, quòd inter cætera maximè, veram piorum manium præſentiam demonſtrent, neque aliter poſſint exponi, ſed quòd ſaltem eam probabiliter indicent. Ea enim viſa ſic diſcernere, ut præſentes animas velut tangas, haud ſcio, an quiſpiam præter Angelum, aut ejuſmodi animam poſſit, niſi fortè diſertiſſimè negetur repræſentatio, & præſentia ab illis affirmetur, aut certè ſimul cum anima Angelus adeſſe dicatur. Cujus rei cauſam priùs attigi, quòd nulla ferè ſint viſa, in quibus boni Genii animarum perſonam agere, & ipſarum nomine loqui non poſſint: Et verò ad omne auxilii genus clientibus ſuis, aliisque manibus præſtandum ſunt promptiſſimi: Tu Lector, qui tot locis animas aduri intelligis, nonne loca, ubi peccare ſolitus es, horrere meritò debes: Quippe forſan ſuppliciis tuis deſtinata? & qui tot quoque locis opem ab animis, vel earum nomine efflagitari cognoſcis, nonne ſimul agnoſcis flammas expiatrices ingentes eſſe, quippe quibus extinguendis, aut mitigandis aqua undequaque petitur.

ARTICULUS III.

De atrio cœli.

§. 1.

Statuitur.

38. *Qui negent pœnâ damni aliquando ſolam ſupereſſe.*

COELI atrium appello locum, in quo purgandis animis ſola damni pœna, ſeu fælicitatis æternæ mora ſuſtinenda eſt. Ratio nomenclationis pòſt indicabitur. Quæro autem primò, an contingat aliquando, ut poſt vitam innocenter actam ſola pœna damni luenda ſit, aut etiam omnibus ſenſûs pœnis perſolutis retardetur tamen animus, & cœlo adhuc arceatur. Inter paucos, quos ſuper hacce materia diſputantes comperi, Luiſius noſter Turrianus aientem ſententiam ſeveriſſimâ cenſurâ ferit. Sic enim ipſe in ſelectis Centuria 2. Cenſura 72. quærit: *An mereatur cenſuram placitum aſſerentium in Purgatorio detineri aliquando animam cum ſola pœna damni abſque ulla ſenſûs. Legantur Bellarminus, & alii agentes de Purgatorio, & propoſita eſt digna gravi cenſurâ, non ſolùm temeritatis, ſed erroris, iudicio multorum, quia eſt contra communem ſenſum fidelium.* Ita ipſe: qui cenſores illos non nominat, ac propterea ſibi ſoli, ſanè cenſuræ aliàs, teſte Diana, largiſſimo, cenſuram hanc adſcribi patietur. Mitiùs, ut ſolet Suarius: *Mihi*, inquit, *non adeo probatur ſententia eorum, qui aſſerunt animas puniri in quodam loco, ubi ignis acriùs, & ardentiùs urit, deinde tranſire ad alium, ubi mitiùs puniuntur; poſtea ad alium amœnum, ubi detinentur ſine pœnâ ſenſûs.* & poſt pauca: *Finitâ enim*, ait, *pœnâ ſenſûs, purgatio finita eſt: & anima eſt apta & expedita ad videndum Deum: quapropter non amplius detinetur; quia, ut ſupra oſtendi, numquam pœna damni æterna, vel temporalis, propter peccata actualia ſeparatur à pœna ſenſûs, quia reatus manens non eſt maior, ſeu diuturnior reſpectu unius, quàm alterius, neque oppoſitum poteſt probabili ratione ſuaderi. Quapropter credibile non eſt animas è Purgatorio tranſire ad locum amœnum, priuſquam in cœlum ingrediantur.* Hactenus Suarius de Purgatorio Sect 4. Cui juvante Deò conabimur ſatisfacere. Cæteri verò Theologi de hac materia ferè altùm ſilent, ut Valentia, Vaſquez, Coninck, Præpoſitus, Meratius, Lugo, Gaſpar Hurtadus, &c.

Porrò probabilem cenſet ſententiam aientem Bellarminus, de Purgatorio, c. 7. magnum & ipſe nomen, & in hoc genere diſputationis Suario æquiparandus, & authorem citat Gregorium Magnum, Venerabilem Bedam, ac Carthuſianum. Accedit his è recentioribus Reverendus Pater Joannes de Dicaſtillo Theologus egregius appendice de Purgatorio Diſp. 1. dub. 2. qui relatâ aliorum reſponſione ad revelationes infra proponendas: *Non tamen*, inquit, *ideò admodum repugnaverim ſententiæ, quam revelationibus confirmant, quod anima ſolutis reliquis detineatur aliquando, & ſolâ morâ videndi Deum puniatur.* Sic ipſe. Accenſeri poſſet & Tannerus, qui propoſitâ Bellarmini ſententiâ rem in medio relinquit. Sed diſertè à nobis ſtat Joan. Euſebius Nierembergius lib. 2.

39. *Qui affirment.*

lib. 2. de pulchr. Dei, cap. 3. ipse Madriti sacrorum Codicum interpres, & scriptis clarus. Et favent omnes, qui SS. Birgittæ, Gertrudis, Melchtildis visionibus, & oraculis suffragantur, qui & Theologi sunt, & ex his aliqui illustres, ut Turrecremata, & Consalvus Durantus, qui S. Birgittæ Revelationes notis illustrarunt. Deinde Dominicus Bannes, & Leander, qui divinas insinuationes Gertrudis approbarunt, saltem eatenus, ut erroris immunes declarēt. Item, qui Blosii Lætiensis Abbatis scripta venerantur, plurimi: Hic enim Monilis Spiritualis, cap. 13. Eremitam quemdam, ipsumque Thaulerum solâ damni pœnâ aliquamdiu castigatum esse commemorat. Ex quibus omnibus sat liquet, quàm non timenda sit Luisii Turriani censura superiùs allata: cum illius causa corruat, nempe sententiam de pœnâ damni solâ, Christianorum sensui adversari. Neque enim fideles modò plurimos, sed & divos, & Theologos insignes, & ex omni ordine viros præclaros sententiæ illius fautores producere licet.

40. *Ratio asserendi Theologica.* Neque verò authoritate solâ nititur, sed & ratione Theologicâ. Nulla siquidem inveniri potest necessitas nexûs inter pœnas illas sensûs, & damni, quem nexum Suarez asserit. Imò & mortalibus solemne est pœnas illas separare (ut cum David Absalonem filium parricidii rerum conspectu alloquióque suo tantisper arcuit, nullo præterea irrogato supplicio) & Deo non insolitum, ut cum Moysen, & Aaronem ingressu, possessionéque terræ promissionis prohibuit, nullâ insuper pœnâ culpæ incredulitatis adjectâ. Quidni igitur in alterâ vitâ sic agere censeatur? Maximè cum tam levis in morte possit supereſſe culpa, ut solâ pœnâ damni, seu prohibitione conspectus divini expiari queat. Qualis levissima mentis evagatio vix deliberata, vel minimus error: præsertim, si moriens, saltem ex parte pro iis fecerit satis intimo dolore, aut Dei amore, vixque reliquum sit quidquam maculæ, quod egeat expiatione. Ut enim inter mortales nonnullæ tam leves sunt filiorum noxæ, ut crudele esset verberibus eas castigare: ita possunt esse tam leves mortuorum, ut igne illas plecti, divinæ bonitati dissentaneum videatur. De quo iterum postea n. 332. Neque his obstat, quod pœna damni gravior, quàm pœna sensûs censeatur: imo id nobis favet. Cum enim pœna damni cuilibet culpæ, etsi minimæ, debeatur, *ne quid coinquinatum intret in regnum cœlorum*; & verò hæc ipsa tam acerba sit, conficitur posse in moriente tam exiguam reperiri noxam, quæ solâ damni pœnâ abundè purgetur.

Quod verò attinet ad reliquos impuriore vitâ defunctos, dici potest à principio decerni utramque sensûs & damni pœnam, sed impari tempore subeundam: ita ut pœna damni alteram morâ excedat. Et firmari potest hæc propositio, quod authore Angelico Doctore in 4. dist. 21. q. 1. art. 3. *Acerbitas pœnæ* (verba sunt illius) *propriè respondet quantitati culpæ, sed diuturnitas respondet radicationi culpæ in subiecto, unde potest contingere, ut aliquis diutiùs moretur, qui minùs affligitur, & è converso. Item quædam venialia, inquit, sunt maioris adhærentiæ, & quia ea quæ sunt maioris adhærentiæ tardiùs purgantur, ideo quidam in Purgatorio diutiùs, quàm alii torquentur.* Ita sanctus Doctor: Fac igitur quempiam levissimæ noxæ diu multúmque addictum fuisse: illa certè noxa minimo supplicio digna est: & tamen gravissimo multaretur, si minimum illud ab igne supplicium diu duraret: quippe quia pœna binis dumtaxat gradibus intensa, atque adeo exigua, si quatuor diebus toleretur, æquivalet intensæ ad octo usque gradus, adeóque summæ. Præstat igitur diuturnitatem illam supplicii, quam minima ad culpam adhæsio authore D. Thoma mereretur, subinde soli damni pœnæ assignare. 41. *Secunda Ratio.*

Accedit, quod probabile sit pœnam sensûs paulatim minui, sive quòd visio S. Malachiæ à D. Bernardo descripta, aliæque frequentes id ostendunt; sive quòd, ut probabile admittatur à Suario, tristitiam ex privatione beatitudinis ortam eatenus remitti, quatenus ad terminum acceditur, unde pro remissione pœnæ sensûs argumentum duci potest, sive quòd ea videtur esse mens Augustini Enchiridii 110. docentis Ecclesiæ preces defunctis prodesse, *vel ut sit plena remissio, vel certè, ut tolerabilior fiat ipsa*, ut loquitur, *damnatio*: quem locum sic exponit Estius in 4. dist. 22. §. 6. ut pœnarum mitigatione id fieri intelligat, non modò temporis contractione: sive denique quòd ea tota res ab arbitrio Judicis pendeat, & ad ejusdem bonitatem pertinere videatur, non tantùm de diuturnitate, sed etiam de gravitate pœnarum aliquid remittere, dum à vivis rogatur. Eâ porrò remissione positâ, continuò sequitur sæpissimè omnino remissum esse dolorem sensûs, ac nullum, quando pœna damni necdum persoluta est: ubi nimirum levissima quidem noxa est, ac vehemens, ac diuturna in eam propensio, cui pœnæ diuturnitas respondet, ut ex Angelico 42. *Tertia Ratio.*

Doctore ſtatim probabamus. Conficitur deinde, ſi non ſemper, certè ut plurimum pœnam damni morâ ſuperare dolorem ſenſûs, quoniam unuſquiſque pro indole ſuâ, ac vitæ conditione certis quibuſdam ac levibus noxis, & obnoxius eſt, & addictus: neque ferè priùs vitâ affectum ad illas exuit. Atque ex his denique abundè patet, contra Suarium, probabili ſaltem ratione aſſeri, pœnas damni ac ſenſûs, ſaltem identidem ſeparari: atque adeò id fieri in atrio cœli.

43. *Ejuſdem ratio moralis ex viſionibus.*

Porrò quidquid alii ſentiant, exiſtimo non leve illi ſententiæ momentum accedere ex viſis ac revelationibus. Etſi enim ſingulæ errori obnoxiæ ſint, tamen cum plures in idem conſentiunt, ſi præſertim authores habeant vitæ integræ, ac probatæ, maximè ab Eccleſia, fidem procul dubio facere debent, tantam ſaltem, ut non niſi evidenti argumento poſſit labefactari. Nam ſi ejuſmodi fidem mereatur unius viri probi ac prudentis narratio, potiſſimè ſi jurejurando confirmetur: certè Sancti, vel Sanctæ affirmatio jurejurando par eſſe videtur. Quid complurium diverſis locis, ac temporibus conſentiens commemoratio, maximè ſi nullo viſo, aut oſtento contrarium inſinuetur? Si objicias ſexus muliebris infirmitatem, memineris eam nihil obſtitiſſe, quin Deus in veteri etiam Teſtamento prophetides elegerit, & fidem eis eſſe habendam, incredula alioqui Judæorum gens cenſuerit. Deinde Majeſtatem divinam fœminarum ſimplicitate magis, quàm virorum judicii firmitate delectari, ut potiùs illis, quàm his ſecreta ſua communicet. Præterea ſanctitatem earum non ſinere, ut Deus eas hoc in genere errore labi facilè patiatur.

44. *Viſio S. Birgittæ de atrio cœli.*

Atqui refert Birgitta, princeps fœmina, nec ſapientiæ minus, quàm ſanctimoniæ famâ inclyta l. 4. c. 7. locum ſibi ab Angelo demonſtratum, *in quo*, ut ait ille, *nulla alia pœna eſt, niſi deſiderium perveniendi ad Deum.* Et poſt pauca: *in hoc*, ait Angelus, *loco morantur multi, & nimis diu, præter eos qui in mundo, dum vixerunt, non perfectum deſiderium habuerunt perveniendi ad Dei præſentiam, & eius viſionem.* Et paulò poſt: *Pauci ſunt*, inquit, *qui non veniunt in locum, ubi eſt deſiderium perveniendi ad Deum.* Hactenus ipſe.

45. *Idem revelatur S. Idæ.*

Eſt etiam memorabile, quod in actis B. Idæ, ſeu Ithæ, commemoratur. Cùm ejus avunculus vitâ migraſſet, illius filios cognatos ſuos ſic allocuta eſt: *Heu! quàm diris modis excruciatur Pater veſter! novi ego, novi divinitus. Itaque eius, quæſo, cauſâ carnem, ac panes, butirúmque in ſtipem egentibus per integrum annum erogate.* Quod cum præſtitiſſent, ex eâ intellexêre, Patrem ſuum beneficentiâ ſuâ, & Divæ precibus dimidiatâ pœnarum parte liberatum. Tum ipſa: *Idem*, ait, *liberalitatis genus eiuſdem Patris veſtri gratiâ, pari ſpatio exercete*; neque verò neglexerunt. Itaque evoluto anno renunciavit illis eorum Patrem tormentis exemptum eſſe: verùm addidit veſte egere, quamobrem veſtes pauperibus elargirentur, idque pariter per anni curriculum: quo etiam peracto, tum denique, *Nunc*, ait, *Pater veſter requiete ſempiternâ potitur.* Veſtis porrò illa, quâ is egebat, ut rectè Bollandus in notis ad illius vitam, veſtis gloriæ eſt, cujus ſolius privationem tunc quidem tolerabat.

46. *Viſio Beatæ Magdalenæ Paziæ de ſola damni pœnâ.*

Sed rem hanc clariùs demonſtrant, quæ ſubjungo. Refert noſter Lancitius opuſculo de fugâ venialium, cap. 11. viſam à Beata Magdalena Pazia, ejuſdem cœnobii Sanctimonialem, Columbam nomine, extra Purgatorium, orcum, ac cœlum, ubi viſione Dei carebat. Cauſa erat, quòd cùm dono præſentiæ Dei, ut loquitur ipſe, prædita eſſet, eam tamen ſubinde negligeret ob mœſtitiam, quàm volens percipiebat ex alterius triſtitiâ ejus causâ ſuſceptâ.

47. *Viſio monachi ejuſdem rei.*

Et teſte Cæſario l. 2. c. 37. Ciſtercienſis quidam monachus, Guilielmus nomine, vir religioſi exempli, amico ſe ſpectabilem exhibens, aſſeruit, ſolâ ſe viſionis Beatificæ expectatione torqueri: tum exclamans: *O! quantum*, ait, *lucis mihi brevi accedet ex præſentia Dei mei! I, ſupplex ora præſidem, ſubiectis fratribus, ut indicat preces, cauſa mea fundendas: & ipſe orationem ad S. Michaëlem adiungat.* Cúmque ex Præſulis mandato monachi ſeptidui ſpatio Pſalmum recitaſſent: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus*; qui Pſalmus affectus piorum manium ad Deum anhelantium egregiè exprimit, Cœnobii Priori ſub Virginis pallâ ſplendidiùs apparuit, & ſuo illi amico, ſe jam illius beneficio, Deo perfrui confirmavit.

48. *Ejuſdem rei revelationes aliæ.*

Porrò his affine eſt, quod de S. Vitalina memorat Gregorius Turonenſis: conſimilia refert Franciſcus Torreblanca l. 1. de jure Spirit. cap. 2. & ante illum Gregorius Magnus, ac Venerabilis Beda: itemque Chartuſianus, qui utrumque laudat lib. de Judicio particulari, cap. 31. Gertrudis quoque, ac Melchtildis hujuſmodi viſa commemorant, quæ longum, & ſupervacuum ſit recenſere.

Reſpon-

Respondetur argumentis adversæ partis.

49. *Solvuntur objecta.*

DICET aliquis primùm: Apostolus Paulus, & post eum Sancti Patres, quando de Purgatorio agunt, etiam justos igne plecti perhibent. Cur igitur nos aliquos purgandos igne eximimus? At respondetur argumentum illud esse, ut aiunt, negativum, atque adeo nihil urgere. Neque verò negamus solemne Purgatorii supplicium esse ignem, quod illi dumtaxat volunt, sed asserimus subinde tam parum superesse expiandum, ut sola damni pœna sufficiat.

Dicet deinde: quâvis culpâ duplex malitia continetur, prior aversionis à Deo, posterior conversionis ad res conditas: ut igitur aversioni semper respondet pœna damni, quare conversioni non semper respondet pœna sensûs? Respondeo quia nihil est necesse: potest enim utraque hæc malitia, vel sola pœna sensus castigari, ut patet in suppliciis hac in vitâ divinitus inflictis, vel solâ pœnâ damni, ut in Moyse terrâ promissionis excluso, ut priùs diximus.

Dicet præterea: pœna damni, cum privatio sit ac proinde nihil, consistit, ut loquuntur scholæ, in indivisibili; non est igitur, cur in diversis dispares pœnas creare possit. At distinguitur sequela: nam si sola spectetur privatio, conceditur: sin autem vel cum majori ad beatitudinem jure, vel cum turpiore privationis causâ, vel cum aliâ ejusmodi ratione consideretur, satis exploratum est posse illam diversos parere mœrores, ut patet in humanis, ubi privatio regni varios variè cruciare solita est, & verò necesse est in damnatis hanc varietatem cruciatuum admittere, ne Antichristum, Luciferúmve pari damni pœnâ, cum reo unius noxæ lethiferæ torqueri dicamus.

§. 2.

Vbi sit cœli atrium.

50. *Vbinam sit locus pœnæ solius damni.*

HOC igitur, quod primò mihi proposueram, constituto, tempus esse aliquod, quo animæ solâ damni pœnâ crucientur; proximum est, ut locum ejus supplicii inquiramus. Ubi statim occurrit, quemcumque illum assignemus, ad Purgatorium pertinere, ut quaternarius locorum, quem animis corpore solutis Theologi tribuunt, retineatur. Deinde non videtur ille sub terræ viscera abditus esse: quoniam ejusmodi situs tenebris obsitus, & averno vicinus, pars pœnæ sensûs est, cujus tamen immunes animas statuimus. Neque verò tellus ut plurimum apta illis sedes est, tum quia jam nihil commercii habent cum terrâ, nihilque terreni, tum quia hæc proprium viatorum domicilium est.

51. *Non est Paradisus terrestris.*

Quis igitur locus? An Paradisus terrestris? Ita quidem censet Carthusianus de Judicio particulari, c. 31. sed minimè audiendus. Primùm quia jam ille non extat, quippe cum reliquâ terrâ, ejusque altissimis montibus diluvii aquis per integrum annum eam occupantibus, obrutus, violatus ac dissipatus. Quod vel inde patet, quod terra tota, præsertim circa Mesopotamiam, & Armeniam prorsus comperta sit, & habitata. Atque ita sentiunt Oleaster, Eugubinus, Catharinus, Pererius, Jansenius, Suarius, Bonfrerius, aliique. Nec refert quod Ecclesiasticus cap. 44. dicat Enoch translatum esse in Paradisum; tum quia ea vox *Paradisi* Græcè non habetur; tum quia quemlibet locum amœnum significat, ubicumque situs sit. Sed fac extare Paradisum terrestrem, quod plerique Patrum autumant, certè ille innocentiæ locus est, & voluptatis. At animæ illæ, & reæ sunt, & beatitudinis mora mœstissimæ. Ille, sedes est Enochi, & Eliæ, fælicitate naturali, imò, & divinis solatiis, authore Suario, fruentium. Quomodo ergo carcer expiatorius animarum? Præterea sensibilis illa ejus amœnitas, ab arboribus, fluviis, floribus, & id genus rebus sensum delectantibus, profecta, quæ Carthusianum ad eam sententiam pellexit, ut amœnitatem loci illius expiatorii variis ostentis significatam in Paradiso quæreret, animas corpore liberas, atque ipsa cognitione naturæ rerum pasci solitas, parum profectò afficit, vel etiam admodum nihil. Quare meo quidem judicio alius illis inveniendus est locus, alia custodia.

52. *Vbi sit ordinarius locus.*

Ubinam itaque illâ? An fortè in aëris aliqua regione? erit qui autumet, nempe ad faciliorem in terras descensum subsidio mortalium flagitando. Nam firmamentum quidem, quod à terra octuaginta millionibus leucarum distat, aut locus aliquis illi vicinus, videri potest animarum ope nostrâ continenter egentium minus commodum domicilium. Sed tamen cùm eorum pernicitas summa sit, & status à beatifico proximè absit, & D. Melchtildis in visione inferiùs, num. 142. memoranda locum illis cœlo vicinum assignet, nihil rationi dissentaneum dixerit, qui earundem domicilium vel in firmamento, vel etiam proximè Empyreum collocarit: cùm locus respondere debeat dignitati.

Porrò

53. *Cur vocetur Cœli atrium.*

Porrò locum illum nonnulli, rectè cœli atrium nominant; sive quòd quemadmodum atrium domui ac palatio proximè contiguum est, ita locus ille cœlo; sive quòd ob altitudinem, cœlestis atrii similitudinem habeat, præsertim cum velut ex atrio in palatium, sic ex eo detur aditus in cœlum Empyreum, ac regiam Beatorum.

54. *Cur velut pratum ostendatur.*

At, inquis, cur in plerisque ostentis, ubi de eo agitur, velut amœnissimum pratum, hortúsve elegantissimus juxta ac florentissimus describitur, si in aëre, alióve superiore loco situs est? Respondeo, ad denotandum animarum in ea degentium statum. Utique animæ illæ dotibus naturæ pariter ac gratiæ florent, quæ quidem jam exerunt sese, tum quia extra inferas tenebras, ignemque vindicem: tum quia nihil nisi cœli desiderium patiuntur, quod earum splendorem non supprimit. Quæ etiam causa est, cur fulgidæ appareant. Adde spem proximæ beatitudinis vernante horto optimè expressam, & amœnitate pratorum ridenti bellè adumbratam videri.

55. *Ubi extraordinarius ejus locus.*

Cæterùm ut Purgatorium pœnæ sensûs duo sortitur loca, ordinarium scilicet, & extraordinarium; ita & Purgatorium pœnæ solius damni. Ordinarius ille est, de quo proximè egimus. Extraordinarius, quemcumque spiritibus Deus extra ordinem assignat. Sanè extat apud Petrum Damiani, lib. 3. epist. 10. Historia cujusdam mulieris, cui Mauroza nomen, quæ sacro Assumptæ Virginis die Romæ in hujus æde Capitolinâ visendam alteri se obtulit, dixitque se cum aliis ope Mariana lustralibus tormentis istâmet luce liberatam, passim loca illius honori dicata perlustrare, ut gratias pro tantâ gratiâ perageret. In cujus rei fidem prædixit fore, ut ea, cui se spectabilem præbebat, eâdem post annum lapsum die, vivis excederet, quod, & contigit; cùm hæc corporis maceratione, & reliquâ salutis procuratione ad mortem se comparasset. Quare credibile est alias quoque animas identidem in terris agere, seu ex atrio cœli egressas Numinis permissu, ac voluntate, seu ad certum aliquem, præsertim ubi peccavere, locum, propriè destinatas.

56. *Fausti úmne, an infaustum Cœli atriũ.*

O cœli atrium, ubicumque sis, mentem nostram variâ cogitatione velut discindis. Quale enim te dicam? Fausti úmne, an infaustum? Nam faustum quidem indicat certa spes proximæ beatitatis. Quo nomine huc allici potest Regius Psaltes, dum sic canit: *Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Ut enim atrium templi Jerosolymitani nomine, ita reipsa atrium templi cœlestis referebat. Infaustum autem convincunt ea, quæ deinceps à nobis explicabitur beatificæ visionis mora, quæ utcumque brevis sit, semper tamen nimis est diuturna: de quâ idem Vates: *Heu mihi!* exclamat, *quia incolatus meus prolongatus est.* Jure itaque te faustum dicam, & infaustum: meritò aspirabo ad te, velut ad portum quemdam ex hoc vitæ mortalis oceano naufragiis infami: nec immeritò te metuam, quippè animis jam solutis, & ad iter cœleste expeditis molestissimum. Interea verè beatos prædicabo illos qui statim à morte, recto ac celeri volatu super atrium evecti, in cœleste palatium se è vestigio inferunt.

ARTICULUS IV.

De Purgatorio S. Patricii.

DE illo dicere operæ pretium duxi, tum ne rudi populo imponatur inanium rerum narratiunculis de Purgatorio, unde illius fides detrimentum pati possit, tum ne hæreticis ansâ detur eam calumniis, ut fit, impetendi. Ut igitur ordine procedam, de eo Purgatorio dicam primo, quid circumferatur; tum quid videatur sentiendum.

57. *Ostenditur à S. Patricio*

Carthusianus itaque sic de illo scribit de quatuor novissimis, c. 48. Cum S Patricius, „ prædicaret Hibernis, nec eos per miracu- „ la, neque per comminationem futurarum „ pœnarum, nec per promissa cœlestium „ gaudiorum posset convertere, dicentibus „ ipsis Hibernis se numquam credituros, nisi „ aliquis eorum ipsa tormenta impiorum, & „ gaudia electorum conspiceret. Tunc Do- „ minus meritis & precibus Beati Patricii „ monstravit eum locum, fossam, seu puteum „ per quem intraretur in Purgatorium quod- „ dam, in quod aliqui intraverunt, nec re- „ dierunt: aliqui verò ingressi, fuerunt re- „ gressi, qui scilicet constantes manserunt in „ fide in omni quæ eis evenit tentatione ac „ pœnâ. Ita Carthusianus.

Et paullò pòst pœnam exponit: Post-, modum, ait, miles nomine Egneus „ (Oeneum appellat Henricus Salterienses) „ Purgatorium illud ingressus primò à dæ- „ monibus in ignem validissimum est pro- „ jectus, sed nomine JESU invocato pro- „ tinus est ereptus. Deinde à dæmonibus „ tractus fuit ad campum latissimum, omni „ dolore atque miseriis plenum, in quo „ erant innumerabiles homines utriusque „ sexus, ac diversæ ætatis, nudi, ac in terram „ prostrati, ventre humo adhærente, qui „

omnes

„ omnes clavis ferreis & ignitis in terram
„ tranfixi extendebantur, inter quos, & fu-
„ per quos dæmones percurrebant, & flagris
„ acerrimis miſeros lacerabant. Cúmque
„ ſupplicia illi militi tentarent inferre, ille
„ Chriſto invocato evaſit. Quem conſe-
„ quenter traxerunt ad alium campum ma-
„ jorem, miſeria plenum, in quo, ſicut &
„ in præcedenti campo, innumerabiles erant
„ reſupini jacentes, ſuper quos ſedebant dæ-
„ mones igniti, qui miſeros comedere vide-
„ bantur ac lacerare: aliorum colla, vel bra-
„ chia, totáve corpora ſerpentes circumcin-
„ gebant, & capita ſua miſerorum pectoribus
„ imprimentes, ignitum oris ſui aculeum ip-
„ ſorum cordibus infigebant. Bufones quo-
„ que miræ magnitudinis ignei ſuper quo-
„ rumdam pectora reſidebant, ſuáque roſtra
„ deformia infigentes, corda illorum extra-
„ here nitebantur, quos etiam dæmones fla-
„ gris duriſſimis affligebant. Hæc Carthu-
ſianus. Longum eſſet, ac ſuperfluum cæ-
tera ejuſmodi, quæ perſequitur, enarrare:
ut alios clavis omni ex parte confixos: alios
catenis igneis ſuſpenſos, alios in fornaci-
bus ſulphureis concrematos, alios lique-
factis metallis potatos; tum horribilem
domum tranſeundam, exinde pontem
arctiſſimum. Quæ Carthuſianus ex Sal-
terienſi ferè ad verbum deprompſit.

58. *Paradiſus terreſtris.* Pergit porrò Salterienſis referre mili-
tem Oeneum, ſuperatis ope divinâ funeſtis
hiſce locis ad Paradiſum quemdam per-
veniſſe, cujus porta illi ſponte reſerata ſit,
de quo Paradiſo hæc memorat. Primùm,
portam ipſam luce ſuâ Solis ſplendorem
vincere, tum ipſi occurriſſe ſupplicantium
cum vexillis ac cereis, & velut aureis pal-
marum ramis, vim hominum ingentem,
ætatis ac dignitatis, ſexúsve omne genus.
Exinde in Paradiſum introducto tantum
ejus fulgorem viſum eſſe, ut quemadmo-
dum lucernam ardentem Sol meridianus,
ita Solem meridianum hæc lux Paradiſi
obſcurare poſſet. Ejus autem amœnita-
tem ſimilem eſſe vernantium pratorum,
hortorúmque pulcherrimorum amœnitati.
Odorem verò talem, ut eo ſolo ſemper ſe
vivere poſſe arbitraretur. Magnitudinem
porrò eo ſe protendere, ut ejus terminum
aſſequi oculis nequiret. In eodem degere
innumeros, variis regionibus ac ſedibus,
variis item veſtibus, omnésque dulciſſima
harmonia laudes Numinis concinere, at-
que agere quietos, citra omnem frigoris,
aut æſtus aut alius rei incommoditatem.
Deinde allocutionem narrat Pontificum
quorumdam, qui hæc militi. Paradiſum
iſtum non alium eſſe, quàm Terreſtrem,
ex quo Adamum inobedientia expulit, &
ſimul cum poſteris mortis æternæ reum fe-
cit. Ejus, ac poſterorum commiſeratione
carne indutum eſſe Deum; Inde baptiſ-
mum originis labi potiſſimum eluendæ,
tum pœnitentiam cæteris noxis expurgan-
dis ab eo eſſe conſtitutam; recta item ope-
rá: &, ſi quid à morte ſordium reſtaret,
luſtrales flammas. Harum porrò tempus
animis incognitum, quemadmodum, &
ſpatium moræ in Paradiſo terreſtri. Cæte-
rum quotidiè ſe cibo cœleſti ſemel paſci,
cum Cœlites aſſiduè eo paſcantur. Quem
& militi infuſum eſſe commemorat, flam-
mâ quadam ætherea in eum penitus illapsâ.
Hæc de Purgatorio S. Patricii, quæ brevi-
ter retexo ac recognoſco.

Principio obſervandum eſt Jocelinum, 59.
qui res & acta S. Patricii perſcripſit, de iſto *Refutatur*
Purgatorio prorſus ſilere. Deinde, qui *generatim.*
locus nunc Purgatorium S. Patricii dicitur,
nullum hujuſmodi ſupplicium oſtendere.
Et antrum quidem, ſeu domunculam la-
pideam, lateribus eſſe anguſtis, ac fornice
depreſſo, in qua homo procerus ne ſedere
quidem, niſi ſubmiſſo capite poſſit; ſed la-
pideo pavimento inſtratam, nec ullibi vo-
raginem apparere. Et ſanè credibile eſt,
ut fama creſcit eundo, falsáque veris con-
fundere amat, non aliud umquam, quàm
hoc hodiernum; quod, ut aiunt, hodiéque
à peregrinis frequentatur, S. Patricii Pur-
gatorium fuiſſe, nec alium puteum, aut
antrum. Nam dicere Pontificem aliquem
illud inferiùs claudi juſſiſſe, ne vorago, &
loca ignea apparerent, nec illius Pontificis
nomen, aut facti tempus, ullúmve aliud
adjunctum aſſignare, futile eſt, atque ut
temerè aſſeritur, ita ſapienter, ac rectè
negatur. Præterea vel Purgatorium illud,
eſt ordinarium, vel extraordinarium; non
priùs, ut patet, ſive quòd ordinarium mor-
tuis, hoc vivis deſtinatum ſit, ſive quòd
plus mille leucis deſcendendum fuiſſet illi
militi, & plus mille, ut ad auras, & in Pa-
radiſum terreſtrem evaderet, aſcenden-
dum, unáque penetranda telluris ſpiſſitu-
do; quæ omnia citra miraculum multiplex
fieri nequeunt. Omitto in Purgatorio
ordinatio nec uncos, nec clavos, nec do-
mos, nec pontes eſſe, quæ omnia ille vi-
diſſe fertur. Neque verò illud S. Patricii
Purgatorium extraordinarium defuncto-
rum dicas, quia vivus ille, aliíque S. Patricii
tempore, vel poſtea, vita, & corpore con-
ſtantes, eò ingreſſi dicuntur, nempe ut
purgarent noxas, quod diſertè Salterienſis
de milite affirmat. Neque dixeris eſſe
vivorum, quia in eo mortui cruciantur,
indéque evadunt ad Paradiſum terreſtrem.
Denique utcumque voces, quomodo miles

ille in ignem à dæmonibus conjectus, emerſit vivus, & illæſus?

60. *Refutatur figillatim.* Jam exploratum eſt animas corpore ſolutas nec clavis affigi, nec uncis ſuſpendi poſſe, atque omnia hæc cruciatuum genera, metaphoricè accipienda, nec revera extitiſſe, ſed repræſentata eſſe. Id quod de tota hiſtoria hac peræquè affirmari poteſt, imo de pleriſque illius partibus debet. Enimverò gloriam ipſam cœleſtem intueri, quod petebant barbari, & increduli, nullo modo potuêre, ſed ſolam ejus ſimilitudinem: deinde non ſplendidior eſt nunc, opinor, Paradiſus terreſtris, ſi quidem uſpiam eſt, quàm olim cum ab Adamo & Evâ habitaretur: quis verò umquam audiit, vel portam ejus Sole ſplendidiorem, vel ipſum intus adeò micantem, ut præ illo Sol iſte obſcurus videatur? Quis non intelligit perſtringendos fuiſſe utriuſque oculos, omniumque iſtic futurorum, ſi innocentiæ ſtatus permanſiſſet, tanto Paradiſi fulgore? Præterea quæ de amœnitate illius perhibentur, priùs expoſita ſunt. Magnitudinem verò tantam, ut oculis comprehendi nequiret, ecquis in animum ſuum inducat? Cum & Paradiſus terreſtris, Paradiſus, ſeu hortus, non regio ampla fuerit, & firmamentum ipſum à tellure adeò diſſitum oculis attingamus, & medium capiamus. Quid dicam de verſicoloribus veſtibus? de vocum harmoniâ? de cibo cæleſti, quo animæ illius incolæ quot diebus ſe paſci dicunt: cum niſi ſymbolicè hæc accipias ac metaphoricè, Theologicis è ſcholis explodendus ſis? Nam nec ulli animæ veſtes ac voces conſonæ, nec adhuc purgandæ cœleſtis cibus, id eſt, viſio beatifica ullatenus conveniunt, neque poſſunt convenire.

Conſtat itaque ea, quæ de Purgatorio S. Patricii circumferuntur, metaphoricos intelligenda eſſe; deceptum igitur fuiſſe militem illum, qui corporeis oculis ſe illa ſpectaſſe aſſeruit: cum eorum ſola ſpecies potuerit repræſentari. Neque id mirum, cùm Paulus ipſe ignoraret raptúsne fuerit in tertium cœlum ſolâ mente, an etiam corpore. Niſi fortè ſpectaſſe malimus, non quòd ita ut repræſentabantur revera eſſent, ſed quòd eorum imagines, atque, ut Græci vocant, idola, illius oculis fuerint objecta, quâ ratione nonnulli Philoſophi docent etiamnum Antichriſtum conſpici poſſe. Quibus adde D. Lidùinam ejuſmodi tormentis, mente quondam, & quidem cum ſenſu doloris acerbiſſimi, interfuiſſe.

CAPUT TERTIUM.

Infælicitas piorum manium ex captivitate.

PROOEMIUM.

QUONIAM omnis hîc noſter labor ad ſolatium, auxiliumque piorum manium refertur, & jam de Purgatorii loco abundè diſputavimus, eruenda ſunt ex eo deinceps, quæ ſimul earum miſeriam demonſtrent, ſimul excitent in nobis miſerationem. Cum igitur ad eum locum captivitas pertineat, tum conditio ejuſdem ac ſitus, de his duobus hîc agemus: Si modo Lectorem præmoneamus, ut meminerit hæc in pœnam defunctis contingere, idque illis probè cognitum eſſe.

ARTICULUS I.

Expenditur, quàm infælix ſit ipſa captivitas purgandarum animarum.

61. *Servitus eſt miſera per ſeſe.* SERVITUS (inquit Juriſconſultus *ff. de verb. & rerum ſignif.*) ex iis eſſe videtur, quæ contra naturam ſunt. Idémque ſancit Imperator, & meritò: quoniam libertas generi humano adnata, & naturæ rationis compoti, eſt perquam conſentanea. Quare Deus liberrimus, Angeli liberi, & homo de ſententiâ Ambroſii, communique Patrum Græcorum juxta ac Latinorum, propterea maximè imago

eſt

est SS. Trinitatis, quod liberum arbitrium sortitus sit. Cum igitur illud situm sit in Dominio voluntatis, potestatéque agendi quod voluerit, quando voluerit, & quomodo voluerit, consequitur nihil illi magis adversari, quàm vim ac servitutem. Itaque servitutem, ac captivitatem, omnium malorum esse postremum, nec bello dumtaxat, sed morte fugiendum, à celeberrimis authoribus pronunciatum est. Sanè cum ad Xerxem Persarum Regem Lacedemonii duo profecti essent, ad pœnas sponte sese dedituri, quòd Persarum legatos Lacedemonia necasset, ipseque Rex mortis immunes, & in honore habendos apud se manere vellet, respondêre illi numquam id sibi persuadendum: scire enim se, quàm ingens bonum in libertate positum sit, quam nemo sanus, vel cum regno Persarum commutare vellet.

62. *Defunctis durissima.* Cùm igitur pii manes libertate innatâ, miserandum in modum spoliati sint, consequitur illius jacturâ non minus eos affligi, quàm mortales generosos captivitate. Nec enim amor ille libertatis, morte extinguitur, cum naturam sponte sequatur, imò cum naturæ rationis compoti sit consentaneus, vehementiùs in illis vigeat necesse est, quoniam sola in eos ratio, & pleno quidem jure, dominatur. Neque verò quod mortalibus usuvenit, captivitatis suæ malum lenire possunt accessione alicujus commodi, aut voluptatis, quod mortalium servitus interdum affert, aut admittit. Siquidem animæ corpore solutæ, ut organis sensuum carent, sic & eorum commodis, & oblectamentis; atque ut non carerent organis, nihil est in eorum captivitate, quod commodo illis esse possit, aut voluptati. Quamobrem si teste Egnatio lib. 6. c. 10. Venetorum Dux Andreas Dandulus, dum universâ classe partim captâ, partim mersâ, patriæ suumque casum ingemiscens, Genuam captivus ducebatur, capite ad Prætoriam puppim sæpiùs allisso, spiritum tandem emisit. Si Spargapises Tomiridis Massagetarum Reginæ filius à Cyro captus, dum se vino liberaliùs ingurgitasset, postquam ad se reversus, ubi locorum esset cognovit, ipse sibi manus intulit ut refert Herodotus Hist. lib. 1. satis constat pios illos manes ex sua captivitate tantum mœroris capere, quantum mortalibus ad conscisendam sibi mortem sufficit, & verò aliquando suffecit. Sed, ut opinor, Deus illum mœrorem in aliquibus moderatur: ut & alios, qui naturæ sponte nascerentur: de quibus identidem suprà dicturi.

Porrò amor libertatis, servitutisque odium, pro dignitatis portione crescunt. Exploratum enim est, dum Leo III. Pontifex maximus, dum Innocentius II. & Clemens VII. item Pontifices, dum Valerianus, & Ludovicus, aliique Imperatores, dum Franciscus primus Galliæ Rex, aliique Reges capti sunt, longè plus mœroris ex suâ captivitate cepisse, quàm gregarios aliquos milites, aut cives vulgares. Etenim ut dignitati ac præstantiæ debetur dominatus, ita servitus ac captivitas maximè contraria est. Atqui animis corpore liberis magna, & multiplex dignitas accedit. Etsi enim per obitum statu merendi, novámque Dei gratiam colligendi exiverint; tamen illius lucri facultas, compluribus prærogativis, ac bonis suppletur, ac superatur. nam ut à minoribus exordiamur. Primùm audiendi nobis non sunt, qui animas corpore exutas movendi se exuunt facultate. Siquidem ut corpore conjunctæ seipsas & illud movere possunt: sic & ab eo separatæ; maximè cùm naturæ rationis compoti proprium sit consortium amare, atque adeo posse se ad illud movere. At quali motu? utique Angelico non dissimili, id est velocissimo, quoniam & ipsæ ex genere spirituum sunt, etiam corporis mole minimè detentæ, aut aliunde impeditæ, quo minùs nativa, quâ pollent celeritate, se provehant. Vis porrò nosse, quanta hæc sit? Cùm S. Christina jam semel mortua, ante thronum Numinis, in cœlo fortè Empyreo staret, cantabatur in sacrificio funerali pro ea facto primùm Agnus Dei. Cúmque tertiò repeteretur, jam ejus anima denuò corpori reddebatur, ad ingentes illos piorum manium causâ cruciatus perferendos.

63. *Propter suam dignitatem nativam.*

Quid de cognitione dicam? enimverò anima corpore exuta pro insitâ vi seipsam primùm clarissimè cognoscit, atque, ut aiunt in scholis, quidditativè, quod illigata corpori minimè potest: discrimen est, quod dum hospitatur in corpore, ab eo pendet, ut intelligat, atque adeò phantasmatis eget, utiturque ad cognoscendum. At illius vinculo libera sine illis res cognoscit, ac proinde modo planè spirituali essentias rerum intuetur, & maximè suam; ex quo conficitur etiam Angelos ab eâ conspici. & cùm oculum mentis semper habeat apertum, nec rerum distantia ab earum cognitione impediatur, consequitur insuper seipsam semper cognoscere; imò (si Scoto assentiamur, specierum necessitatem ad spiritaliter intuendum neganti) semper eam intueri, quidquid natura sinu suo complectitur, modò Deus

64. *Probè cognitam.*

ſuum præbeat concurſum, quemadmodum in libro de Angelorum Tutelâ philoſophati ſumus.

65. *Maximè ob ſupernaturalem excellentiam.* Verùm quæcumque illa animæ corporeis vinculis exutæ nativa excellentia, minimi eſſe debet, ſi eam, quæ ſupra naturam eſt, contemplêre. Quantum enim eſt pios manes è gratiâ Dei, id eſt, è ſtatu filiorum illius, & Sponſarum Chriſti excidere non poſſe, quod fide divinâ certum eſt? tantum ſanè, ut ſecuritas illa ingenti gratiæ cumulo, tot in vitâ periculis expoſito præferenda videatur. Porrò ex eâ efflorescit perennis, ac ſummus Dei amor, atque actio gratiarum: tum ſumma animi quies, ac libertas ab omni nævo, etiam leviſſimo, quoniam ſi vel leve peccatum admittere poſſent, & illud ſemel, iterum, ac ſæpiùs iterare, ſic poſſet eorum pœna, magis, ac magis protrahi, etiam ultra diem decretorii Judicii. Illa autem libertas, quanti æſtimanda ſit, novit ille, qui Deum novit, & injuriæ in illum, vel leviſſimæ, gravitatem. Novêre homines ſancti, qui vel illius unius causâ brevem longiori vitæ anteponunt; tametſi longior amplioris gratiæ fructum certò illis promittat, imò anteponerent, tametſi longior certam ſalutem ſponderet. Quoniam cùm longior vita peccatis pluribus obnoxia ſit, malunt ſcilicet brevi emori, quàm diu vivere, ut majore cœli gloriâ potiantur; quia Numinis gloriam ſuæ augmento longè præferunt.

66. *Benè cognitam & expenſam.* Sed demus parem eſſe, ſeu corpori vinctæ, ſeu ſolutæ dignitatem; certè cùm vinctæ impar ſit cognitio, ſtudium quoque libertatis, & captivitatis odium impar eſſe neceſſe eſt. Siquidem ut incognita dignitas, ac libertas non vellicat animum ſtudio ſeſe conſervandi: ita parum cognita, parum tangit deſiderio fugiendæ captivitatis. Cùm igitur piorum manium maxima ſit notitia, vel dignitatis, vel libertatis, ſummum quoque captivitatis horrorem iis ineſſe oportet. Accedit quod mortales miſeriam captivitatis ſuæ non metiantur abjectione dignitatis illius ſupremæ, ac ſupernaturalis, ſed humanæ dumtaxat, ut Regiæ ac Senatoriæ, quæ divinâ illa, ſupra quàm dici poteſt, inferior eſt. At pii manes divinam in ſe celſitudinem intuentur, eámque ut rem aliam quamlibet ſuis librant ponderibus, & quantum valet, æſtimant.

67. *Unde æſtimatur mœror.* Quare cùm pro dignitatis magnitudine probrum captivitatis creſcat, & mœror ex eâ perceptus probro ut plurimum adæquetur, ſi libet hunc cum mortalium horrore componere, aio ego unicum è piis manibus majori horrore captivitatis ſuæ teneri poſſe, quàm plurimos generoſiſſimosque Reges. Cùm verò illi mortem captivitate potiorem ducant, liberè pronuntio, aliquas animas malle mortem acerbiſſimam, ſi fieri poſſet, ſæpiùs pati, quàm ſuam ſubire, vel ad modicum tempus, captivitatem.

Præſertim cùm vincula in eas injecta ſint eo tempore, quo mortalitatis vinculis exolutæ maximum libertatis ſuæ fructum capere debebant: quo, inquam, corporis graviſſimo onere liberatæ modò in terris, modò in Sole, modò in Luna, modò in firmamenti ſyderibus conſiſtere, modò aliò tranſvolare unico ferè momento naturæ vi poterant. Quæ res procul dubio, etſi ſolam naturam ſpectes, non poteſt non eſſe acerbiſſima. 68. *Maximè quod ea priventur ſtatim à morte.*

Quæ cùm ita ſint, recordare primùm, mi Lector Chriſtiane, quanta ſit piorum manium, vel ex hoc capite miſeria, quæ plurium mortium inſtar illis eſſe poſſit. Et cùm miſeriæ adæquari debeat conatus miſericordiæ, intelligè tantum illum eſſe debere, quantus meritò requireretur ad redimendos crudeli morte plurimos ſimul Reges, atque Imperatores, cùm ut diximus, illi longè Regibus antecellant. Atqui pro ejuſmodi redemptione, quot bella ſuſciperentur! quantum argenti, & auri offerretur! Quid? *cùm audiſſet Abraham captum Lot, fratrem ſuum, numeravit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem, & octo: & perſecutus eſt uſque Dan, & diviſis ſociis irruit ſuper eos nocte, percuſſitque eos, & perſecutus eſt uſque Hoba, quæ eſt ad lævam Damaſci: reduxitque omnem ſubſtantiam, & Lot fratrem ſuum cum ſubſtantia illius.* Geneſ. 14. adeò ut pro nepote illo ſuo, quem fratrem de more Scriptura nuncupat, caput ſuum cum ſervis ſuis omnibus incerto marti, mortique objecerit. Et tamen mollis erat illa Lothi captivitas præ captivitate piorum manium; & homines Chriſtiani patri, ac matri, fratrique, ac filiis purgante cuſtodia educendis tenuem ſtipem impendere recuſant. At levis ſit illa Abrahæ miſericordia. Leo Abbas, genere Cappadox, ſanctitate illuſtris, pro trium monachorum lytro ſemetipſum in ſervitutem tradidit, & cum præ debilitate pergere ultra non poſſet, à barbaris dominis eſt interemptus. Sanctulus, verè ſanctus vir, pro quodam Diacono mortis damnato, quem Longobardi captivum attinebant, fidejuſſit, eóque fugere juſſo, ejus loco victima remanſit, & militis acinace cecidiſſet, nî Deus ſurrectum brachium immiſſo divinitùs rigore tenuiſſet. Et Chriſtiani captivitatem 69. *Epilogus ad captivitatem levandam.*

captivitatem animarum morte haud paulò duriorem precibus, aut sacrificiis redimere cunctantur? Quis, quæso, barbarus, quis Scytha, aut Turcus preces negaret, si precibus fratrem, aut amicum asserere in libertatem posset? Quid barbaros homines loquor? Notum est vel Tygridem, vel Ursam raptis catulis furere, mortibusque occurrere, ut eos recuperent: Et nos hac in parte, & Tygribus, & Ursis humanitate, benevolentiáque in filios, ac genus nostrum, usque adeo cedemus, ut cognitâ eorum tam miserabili captivitate, non sicci modò, sed & socordissimi lytrum eorum, omnium longè facillimum, preces, etiam sæpè rogati solvere negligamus. Hæc, & ejusmodi reputate animis, Christiani, & videte quid, vel ex hoc captivitatis animarum capite, nomini, ac pectori Christiano conveniat, & nisi deponere nomen vultis, officium hoc in genere vestrum facite.

ARTICULUS II.

Expenditur calamitas piorum manium ex loco captivitatis.

BIFARIAM de Purgatorii loco differere licet: vel enim ex sententiâ mitiore, quam amplexi sumus, illum ab orci baratro prorsus sejungente: vel ex severiore, ad orci fauces statuente. Et quoniam utraque probabilis est, & posterior illa Angelicum Doctorem, cum scholâ suâ, Bellarmino item, aliisque, authorem habet: ex utraque calamitatem animarum expendere visum est, ac priùs de mitiore custodiâ agere.

§. 1.

Quàm durus sit animis Purgatorius carcer, licet à tartaro sejunctus.

70. *Carcerum diversitas.*

PROVERBIUM est, nullum carcerem esse pulchrum, adde, aut suavem: sed tamen alii aliis tetriores, ac duriores. Constantia, Henrici Imperatoris uxor, ad res quasdam procurandas à viro Caietam, & inde Salernum missa, primùm Caietæ à latronibus onerata contumeliis est, tum Salerni comprehensa, dein à Tancredo, Siciliæ Rege, quem regno pellere Henricus nitebatur, Panormum traducta, & illic in Regiâ custodita est. Est, & senatorius carcer, captivi domus, aut curia civitatis, aliudvé dignitati non impar domicilium. Et olim quoque tria erant carcerum genera: primum ære alieno gravatorum: alterum immorigerorum, ac dissolutorum, donec ad frugem rediirent: tertium sceleratorum, quod postremum etiam distinguebatur, nam illius pars interior capite damnatis assignata: Et Romæ quidem Tullianum à Tullo Rege institutore vocabatur, erátque sedes duodecim depressa pedes, inculta tenebris, odore fœda, & facie horrenda, ut Sallustius in sua catilinaria describit. Ex quo apparet, quò quisque reus vilior, ac criminosior erat, eò tetriore custodia detentum: quod hodieque observatur. Cùm ergo carceris conditio ad reorum infamiam multum conferat, videndum, quid habeat lustralis carcer, cur piis manibus per se gravis ac molestus sit.

71. *Carceris Purgatorii profunditas.*

Tria custodiam dehonestant quàm maximè: profunditas, tenebræ, ac arctitudo, sive à loco, sive à vinculis, ac compedibus, utcumque locus sit amplus. Siquidem profunditas loci abjectionem demonstrat, eò majorem, quò major: tenebræ reos indignos esse luce ostendunt; arctitudo etiam motu, qui vitæ argumentum est. Age nunc purgatorii profunditatem recordemur. Asseruimus supra depressum esse ad milliaria plus mille, & situm uspiam circa terræ centrum. Huc ergo descendamus animo, & abjectionem custodiæ, atque adeo piorum manium depressionem metiamur. Constat terram non situ magis, quàm dignitate inter elementa infimam esse. Quò enim plus materiæ, plúsque gravitatis habet, quàm cætera, eò ampliùs à spiritibus inter res conditas præstantissimis distat, estque indignius eorum receptaculum. Porrò illius centrum, & quæ loca illud circumcingunt, cæteris ejusdem terræ partibus ignobiliora esse necesse est, sive quia minùs aëris & aquæ, ac proinde plus materiæ sortita sunt, sive quia longiùs à cœlo, spirituum utique ac Beatorum palatio, dissita. Nec refert, quod ignem nobilissimum elementorum, velut utero gestent, quoniam illuc velut in vindictam miserorum depressus est, atque adeò ad suppliciorum gravitatem, & infamiam.

72. *Expenditur molestia à profunditate.*

Ergo animæ naturæ & gratiæ claritudine illustrissimæ, dum eò se loci detrusas vident, nimirum, ut nobis longè clariùs infamiam cognoscunt, ita dolentissimè ferunt. Etenim molestissimum est cœlo natis, atque ad Regiam illam divinitatis inhabitandam terreno domicilio egressis, ad profundissimam terræ specum deturbari. Quid enim hoc aliud, quàm ita haberi, ac si ne sub terrâ quidem consistere

dignæ essent? Quid aliud quàm ita plecti, ac si reis, ac criminosis omnibus inferiores? Siquidem pro noxarum atrocitate reorum caveæ profundiores sunt, uti pro meritorum præstantiâ sublimior thronus in cœlo præparatur. Et verò optimè noverunt carceris sui depressionem ad probrum suum, atque infamiam à Deo Judice inventam, ac destinatam esse. Abundè intelligunt justitia vindice, & æquissimo jure factum, ut infra res hujus mundi prope omnes collocarentur, quæ Deum infra omnes posuêre. Denique agnoscunt rectissimè sese in corde terræ positas jacere (locum enim Purgatorii sic vocat S. Vincentius Ferrerius Serm. 2. Dom. 5. post Trinit.) quandoquidem terram, ac terrena nimis cordi habuêre. Quamobrem cùm, ut superiùs dictum est, eorum dignitas celsitudinem Regum, atque Imperatorum immenso intervallo superet, eámque & perbenè noverint, & pro merito æstiment, & insuper non infra Reges dumtaxat, sed etiam infra mancipiorum ergastula retrusæ sint, scilicet una unica ex ipsis, hoc etiam ex capite plus mœroris percipere potest, quàm caperet Rex aliquis, ac Princeps, si in Tullianum aliquod compingeretur.

73. *Item ex tenebris.* Accedit autem huic mœrori ingens caligo, eúmque nimium quantum exasperat. Quamvis enim animæ separatæ corporeâ luce nihil egeant ad intuendum, quippe quibus ipsa sua intelligentia pro luce sit; tamen privatione lucis tali loco, ac tempore non parùm cruciari videntur. Quod tormentum, ut explicem, principio ponendum est, ut exploratum, lustrale ergastulum tenebricosum esse: tum quia remotissimum à Sole, aliisque mundi luminaribus, & immensa telluris mole ab iis divisum; tum quia si aliqua lux ibi affulgeret, ab igne affulgeret. At ille idem plerisque creditur, qui averni, & sulphureus dicitur. Atqui sulphureus, & parùm lucet, &, ut Plinius loquitur lib. 35. c. 15. *Suo repercussu pallorem dirum præsentibus suffundit*, & denique fumum atrum vomit. Hoc igitur posito, aio tenebras purgantis carceris permolestas piis manibus esse. Etenim tenebræ damnatorum inter eorum tormenta numerantur. Nam Jobus c. 10. tartarum vocat *terram miseriæ, & tenebrarum, & opertam mortis caligine.* Et Christus de orco agens: *Proiicite*, inquit, *eum*, scilicet Judæum infidelem, *in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium*, Matth. 8. Et demum Petrus Epist. 2. cap. 2. *Quibus caligo tenebrarum reservatur.* Porrò si, quod necesse est, post diem saltem supremi Judicii, concedas damnatos tenebris cruciandos; conficiam haud improbabiliter etiamnum cruciari. Quamvis enim tunc induendi sunt corporibus, tamen eorum non tam corpora, quàm animæ tenebris cruciabuntur. Ergo, & hæ jam iisdem cruciari possunt: ergo, etiam cruciantur, cùm avernus æquè jam tenebris inhorrescat, atque post Resurrectionem. Si autem damnatorum animæ iis torquentur, consequitur & animas piorum purgatorio carcere detentorum iisdem torqueri. Confirmantur hæc ex Christi verbis proximè superiùs allatis. ait enim: *Mittite in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium*, id est, summus dolor (qualis esse solet uberrimè flentium, ac dentibus stridentium) in orco tenebricoso erit; ut intelligamus è tenebris illum dolorem profecturum, statim atque improbi iis immergentur.

74. *Quomodo tenebris crucietur anima separata.* Si quæras, quâ ratione dolorem animis creare hodiéque possint tenebræ: non difficilis videtur responsio. Primùm quidem non physicâ, ut aiunt, actione, quoniam nihil sunt, nisi privatio lucis: nihil igitur verè efficere possunt: objectivè itaque dolorem pariunt, sive sunt id quo animis obversante, (semper autem obversetur oportet) illæ dolorem necessariò concipiunt. At dices: unde illa doloris necessitas? ex eo, inquam, quod animæ celsitudine suâ indignum, pudendúmque sibi reputent, in loco obscuro degere: Indignum enim est, filias lucis, tenebris involvi: pudendum ideò involvi, quòd lucem divinam parvi penderint. Rursùs indignum est hæredes lucidissimi cœli, clarissimæque visionis Dei capaces in tenebris attineri: pudendum ideò attineri quòd præ cœlo terram, præ Numinis beatâ visione, sordida obscuráque terræ bona deamaverint. Denique indignum est, vitam meritas æternam, in eâ lucis absentiâ videri luce ac vitâ indignas: pudendum ita videri, quòd vitæ caducæ inania commoda plus æquo, & subinde plus vitâ æternâ sectatæ sint. Quibus, & ejusmodi addi potest impulsus quidam, cui resisti nequeat, vindicis justitiæ animas ad tristitiam hasce propter causas concipiendam urgentis, quo posito res tota ex facili intelligitur.

75. *Et quantopere.* Atque ex his satis colligitur magnitudo doloris, quem ex tenebris ergastuli illius percipiunt, aut percipere possunt; hic enim multiplici illi indignitati, ac probro æquiparatur. Quare tantus pudor, mœrorque ex hoc capite manat, quàm probrosum est, luce, cœlo, vitâ æternâ dignas,

dignas, ut indignas iis omnibus haberi. Quæ multiplex infamia tantò triſtior illis, gravioréque eſt probris omnibus humanis, quantum dignitates humanæ, & inanis gloria, quæ probris, & contumeliis impetuntur, juri ad cœli domicilium, vitámque æternam, & ſolidæ gloriæ animarum hinc effloreſcenti concedunt. Etenim eò eſt gravius probrum, atque acerbius, quò dignitas, quæ probro afficitur, major eſt.

76. *Probrum piorum manium cum probris Mariæ Stuartæ, collatum.* Libet hîc recordari probrorum omne genus in unam Mariam Stuartam, Reginam Scotiæ invictiſſimam, diverſis temporibus congeſtum, & idem omne cum unicæ animæ infamia comparare. Nupta erat Franciſco II. Galliarum Regi Maria in primulo juventutis utriuſque flore, ſed ſexto, & decimo à nuptiis die lilium illud Gallicum mors demeſſuit. Ergo redibat juvencula vidua in hæreditarium Scotiæ regnum, & ecce Eliſabetha Angliæ Regina, Anglicani Regni uſurpatione deturbari timens, inſidias illi in itinere meditatur, ac deinde ubi irritas fore videt, perfido jurejurando fidem obligat, & pacem ſancit. Poſt hæc Henricum Stuartum, ex Comite Lenoxio ſocium thori Regnique Maria fecerat, & ille non multò poſt perduellibus necem Reginæ machinantibus, vel connivet, vel annuit. Exinde Maria fratri ſuo naturali, Comiti de Mouray, poſt bellum nefarium contra ſe ac patriam ductum, pepercerat, Regémque deinceps, ne illum alterius jam parricidii reum trucidaret, impediverat, & ipſe Mouray interempto authoritate ſuâ Rege, Reginam peſſimâ fraude adigit ad novas nuptias cum parricidii executore contrahendas. Eadem populum ſuum amaverat, foveratque unicè, & hic eam Regni poſſeſſione exturbatam carcere concludit; unde aliquando libera fugere ex patriâ cogitur. Quo quidem tempore multis officioſiſſimis verbis, miſſóque in Fidei pignus nobiliſſimo adamante ab Eliſabethâ in Angliam invitata eſt; ſed vix eò venit, cùm ad ſubeundam iniquiſſimi Comitis Mouray accuſationem, perfidè ab illâ adigitur, & in cuſtodiam datur: in quâ ex quadraginta quatuor, quibus vixit, annis, mediam ferè partem miſerè exegit, tandémque violento ac tyrannico judicio, nefandáque conſanguineæ fraude oppreſſa, ferale ſuggeſtum ſubiit, ac cervicem ſecuri ſubjecit.

77. *Præfertur.* Quæ quidem omnia, & indigniſſima facinora ſunt, & in Regiæ celſitudinis throno probroſiſſima: adeo ut ſi in generoſiſſimi, ſanctiſſimique pectoris heroïnam non incidiſſent, certè mœrore eam confeciſſent, mortem haud dubiè, ac ſæpiùs cuivis alteri illatura. Sed tamen pace dicam Heroidis invictæ, ludus ſunt ad probrum animæ unicum ex tenebris purgatorii carceris inuſtum. Nam iis quidem probris Regina illa exercita eſt, quaſi ſi dignitate Regia, vitáque indigna foret, licèt utrâque digniſſima: at anima in tenebris jacet, perinde ac ſi luce cœleſti, vitâque regiâ, ac immortali (quibus ob gratiam, charitatémque digna eſt) eſſet indigna. Ut ergo longè intolerabilius eſt Regi dedecus, ſi diademate, ac Regno indignus habeatur, atque ut indignus accipiatur, quàm Senatori, ſi gradu ac ſede Senatoriâ: ita animæ multò graviùs in tenebris attineri, quaſi luce, ac Regno cœleſti indignam, quàm Regi, aut Reginæ quantumvis latè imperantibus, quaſi vitâ, regnóque indignos contumelioſis modis haberi. Imo prius illud animæ gravius eſt, aut certè eſſe poteſt, quàm Regibus, ac Principibus quibuſque generoſiſſimis grave eſſet, ſi gradu deturbarentur ſuo; cùm dignitas cœleſtis, vitáque immortalis, etiam ſubductâ viſione Dei beatâ, longè nobilior ſit, excellentiorque omni mortalium amplitudine.

78. *Miſeria piorum manium non ex loci anguſtiis.* Itaque venio nunc ad ergaſtuli purgantis anguſtias, quibus & illius calamitatem, infamiámque exaggerari perſpectum eſt. Non equidem hîc ago de loci ipſius arctitudine. Nec enim arctum eſſe cenſeo. Etſi enim omnes animæ luſtrandæ puncto ſpatii contineri poſſint, propter expertem materiæ, quantitatisque ſubſtantiam: tamen & locum ſatis amplum inſita naturæ vi occupare queunt, & nî fallor in Purgatorio occupant. Non minorem certè illis ſingulis tribuo, quàm corpori humano, etiam giganteo, commodum (cùm animæ gigantum ejuſdem ac noſtræ rationis eſſent) quia in tantâ ſubterraneæ regionis vaſtitate fruſtra in anguſtias loci, naturæ minùs conſentaneas compingeretur. Denique amplam eſſe luſtralem cuſtodiam colligitur ex communi Theologorum ſententiâ, arbitrantium utique poſt diem Judicii extremi, orcum, ut innumera corpora damnatorum capiat, amplificandum ſpatii, quo Purgatorium continebatur, adjunctione.

79. *Sed ex eorum ad locum alligatione.* Aliæ igitur hîc ſunt anguſtiæ, arctitudo alia; colligatio nimirum qualis olim Ægyptiorum in tenebris moleſtiſſimè detentorum. Ut enim illi in tenebris divinitùs immiſſis deprehenſi, loco ſe movere non poterant, quaſi vinculis eſſent conſtricti, ita animæ ſic in cuſtodiæ ſuæ tenebris attinentur,

attinentur, ut non modò ex illâ, sed neque è suo loco exire queant. Causa utriusque affixionis est varia. Nam Ægyptios quidem pavor ingens, quem tenebræ horribiles è densissimis nebulis, & aëre spississimo coortæ, omníque lumini, etiam Solis, ignísque, impenetrabiles incutiebant, quasi catenâ vinctos tenebant. Quippe ex tam densis tenebris suspicabantur mundi ordinem perversum, & ubique pericula, præcipitiáque latere, monstris præsertim, ac spectris sese undique ostentantibus. At pios manes aliud catenæ genus omni motu prohibet. Nimirum intelligunt ita justissimum Judicem in suarum noxarum pœnam statuisse, ut in ergastulo illo, præciséque in assignatâ sibi illius parte immotæ maneant. Id enim simile vero, ut colligi potest ex eo Christi imperio: *Ligatis manibus, ac pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores.* Hæc enim colligatio, denegationem omnis se movendi facultatis satis indicat. Nec refert, quod de improbis manibus potissimùm intelligatur; est enim hac in re piorum par ratio, ut pœnas quique suas suo loco, atque adeò magis, minusvé molesto, persolvant, superiori scilicet, vel inferiori. Et hæc voluntas illis est satis, citra omne imperium novum, subtractionémque concursus divini ad motum necessarii: propterea quòd piissimæ illæ mentes, contra voluntatem Dei tendere nec possunt, propter statum peccandi nescium, nec volunt, propter voluntatis suæ summam cum divina consensionem.

80. *Arctissima.* Cæterùm ejusmodi sunt illæ angustiæ, ut nullis aliis quorumlibet captivorum cedere videantur. Nam quælibet aliæ, quælibet, inquam, custodiæ, vinculáque laxari vi quadam, attritúve possunt: purgatoriæ non possunt. Deinde arctiores sunt carceribus quibusvis, aut caveis, aut etiam vinculis. Nam carcerum quidem laxitas aliqua esse solet. Caveæ autem illæ celebres, sive in quam Valerianus Imperator à Persarum Rege conjectus est, educendus quoties illi Cæsaris tergo, velut scabello ad scandendum equum uti lubebat: sive in quam Bazaïetes detrusus, per totam Syriam à Tamberlane circumductus est, sive in quam Sedecias Judæorum Rex oculis orbatus compactus est, ritúque feræ tractus Babylonem: illæ, inquam, & similes ferreæ caveæ non sic eos arctabant, quin corpora movere possent; &, ut non possent, tamen iis identidem educebantur. At pii manes loco sic affixi sunt, ut eum nequeant ullo modo mutare, aut se magis, minusvé extendere. Quare eadem Judicis voluntas eos certo spatio adstringentis quibuslibet vinculis arctiùs continet.

Quàm verò iis probrosæ sint istæ angustiæ, ex eo liquet, quòd, ut diximus, cùm movendi facultas vitam naturæ spontè consequatur, motúsve vitæ sit argumentum, multari impotentiâ se movendi ob vitæ anteactæ noxas, est ob easdem haberi motu vitâque indignas. Idque patet in capitalium criminum reis, qui etsi eo carceris loco positi sint, unde nequeunt evadere, tamen ad infamiam manicis quoque ferreis, ac compedibus gravantur, quasi mortem commeriti. certè de Josepho sic Propheta Regius: *Humiliaverunt*, ait, *in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit, animam eius*, id est, *animum mœrore confecit.* Sed esto nihil inde infamiæ animis aspergatur, quàm durum illis est sic adstringi! Nam si feris intoleranda sunt vincula propter vagandi cupiditatem innatam, & consuetudinem libertatis: si aviculæ ipsæ caveis contineri vix queunt, semperque aspirant, subsiliuntque ad liberum volatum; major certè piis manibus inest proclivitas ad liberè exspatiandum: quia, & plus agilitatis inesse oportet, quàm avibus, & plus ad libertatem propensionis, quàm vel iisdem, vel belluis. Quod si etiam puellari, etiam semimortuo corpori, intolerabile est diu eodem situ, etiam molliissimo in lecto jacere; si facinorosus ille unicam noctem, S. Liduinæ consilio, immotus in strato hærere vix potuit, indéque tartari æstimans pœnas, ad meliora se convertit: quale & quàm asperum futurum est animis excitatissimis, ac celerrimis, cœlóque natis, ac libertati; eodem loco diutissimè detineri, ac motu prohiberi? profectò non existimo, quemquam esse, qui gravissimis, acerrimisque morbis conflictari non mallet, quàm ad mensem, aut hebdomadem cogi manus, ac cætera membra omni motu abstinere: & sunt qui mortem eo tormento leviorem putent; quanto igitur supplicio erit piis manibus uni loco illigari, ut omnino se movere nequeant. Adde singulis animis de complurium sententiâ plus in cœlo spatii manere, quàm totus orbis terrarum occupet. Ex quo efficitur molestissimum iis esse, in exiguum custodiæ lustralis orbiculum, angulúmque compingi. Imò, & gravissimum futurum, etsi totâ custodiâ vagari possent: quoniam ipsâ totâ præ cœlestis Regni, quò tendunt, immensitate, minor longè, quàm punctus est.

81. *Probrosa illis, ac permolesta.*

Quamobrem moveat te, ô Christiane Lector, tã duri per se carceris acerbitas ad piorum manium solatium, ac liberationem. 82. *Flectat ad misericordiam.*

Cum

Cum enim, & illius altitudo, & tenebræ, & arctitudo saxea etiam pectora ad commiserationem eorum flectere possint, ac debeant singula, quantò promptiùs, fortiúsque universa. Certè dum catenæ Neapolim adventant (sic reos insignes vocitant, qui ex toto Neapolitano Regno vincti Neapolim mittuntur) id infælicis spectaculi pleroſque commovet ad misericordiam in nefarios licet, & profligatæ vitæ nebulones.

83. *Exemplo Patris Carafæ, & aliorum.* Et R. P. Vincentius Carafa Societatis JESU, vir sanctimoniâ pariter, ac genere perillustri, cum nobilium Equitum Sodalitio D. Virgini sacro, prælatâ Cruce, cantandas inter Litanias, dux, & princeps agminis obviam miseris ex affectu miserationis ibat, deductisque in grandiorem Vicarii aulam, pedesque lotis opiparæ mensæ demum accumbentibus cum iisdem Equitibus famulabatur, tum appositâ ad pœnarum carcerisque patientiam oratiocõfirmabat. Denique aliqua stipe donabat. Quid Josephum Patriacham è cisterna, Jeremiam Vatem è luto, ubi solo capite extabat; Sedeciam è carcere Babilonio hostium ipsorum commiseratione eductos loquar? An par est parentes, fratres, atque amicos in horrido illo Purgatorii carcere non modò deseri, sed & omni ope à nobis destitui? An non carcerem, ac vincula meretur, qui spretis, naturæ, amicitiæque vinculis, suos è tam infelici custodia, quod facilè potest, non asserit? Ergo Christiani preces, stipem ac sacrificia cumulate: vel funes sunt, vel lytrum, queis captivos vestros vindicetis: ô! tam optatis benevolẽtiæ vinculis eos devincite: vobis æternùm obstricti manebunt: tam pretioso & necessario lytro redimite, vestri semper erunt, etiam cum in cœlo regnabunt. Denique quo licet pacto illos tam molesto carcere liberate, cælestia palatia vobis reserabunt.

§. 2.

Quàm horridus sit piis manibus carcer lustralis, si orco sit continuus.

QUAMQUAM censuimus expiatoria loca orco contigua fortasse, certè quidem non esse continua: res tamen in ancipiti esse non desinit; præsertim cùm contraria sententia authorem laudet Divum Thomam, ejusque asseclas permultos numeret. Quamobrem tamquam probabilis, & forsitan vera, non leve pondus addit animarum ærumnis. Igitur eâ positâ, tria nobis expendenda, locus, societas, & dæmonum hominumque damnatorum in Deum maledicta, quatenus pios manes affligunt.

Locus profectò ejusmodi nimium quantum eos cruciet, necesse est. Cùm enim cœli sint candidati, & decreti cives, neque eo jure excidere ullo modo possint, fieri nequit, quin acerbissimum illis sit in orci faucibus collocari. Quid enim hoc aliud, quàm eodem ergastulo, quo rei læsæ dvinæ Majestatis extremis suppliciis torquentur, concludi; atque adeò Numinis amicos, sponsas, ac filios in invisо hostium ipsius immortalium carcere attineri? Si pater quispiam moratum alioqui, generosumque filium, leves ob culpas extrahi è domo paternâ, & à lictoribus trahi juberet ad publicum prædonum carcerem; quàm esset id tormenti genus dedecorosum illi, atque acerbum! Si virgo nobilis ac pudica ob offensum leviter sponsum juberetur abs eo trudi in sagarum incendio adjudicatarum ergastulum: quàm hoc illi foret pudendum! Quid hæc memoro? nam si amicus ab amico non graviter læsus in judicium eum vocaret, durissimum ac intolerabile esset illud probrum, non modò si compingi vellet in carcerem; quàm durum esse oportet piis animis, filiis, inquam, ac sponsis, & quidem Deo amicissimis in dæmonum carcerem ablegari? Certè quantum præstat, filii, sponsæ, atque amici Numinis dignitas, filiis, sponsis, atque amicis hominum, & quantò acerbior est erebi carcer carceribus hujus vitæ, tantò graviorem esse hoc in genere necesse est, piorum manium dolorem hinc perceptum, dolore filiarum, ac sponsarum mortalium: maximè, cùm in unicam animam, triplex ista dignitas cadat, amici, filii, ac sponsæ Dei. Itaque nullum in terris dedecus par illi excogitari potest. At parum hoc. Siquidem haud scio an damnatorum hujus generis probrum nonnullâ saltem ratione non vincat. Nam hi sanè cœlo indignissimi sunt, mancipia sunt, orci victimæ sunt, cùm igitur orco mancipantur, cùm remotissimo à cœli regiâ loco tenentur, cùm in hostium Numinis barathrum detruduntur, parum, aut nihil probri illis accedit. Verùm animis cœlum commeritis, atque Dei filiis, ac hæredibus eodem deturbari velut è cœlo, quò caritas, & gratia divina eas vocabat, id verò probrum omnium maximum esse censendum est. Quamobrem cùm innumeræ, longissimæque lites, cùm etiam plurima duella, belláque suscipiantur pro tuendâ loci dignitate, cum eâ dejici non paucis morte asperius sit: cogitate ô Christiani! quàm dolendum sit sanctis

84. *Propter loci conditionem horridus.*

manibus ad tam vile pudendúmque nebulonum ergastulum amandatos esse.

85. *Propter societatem.* Quid jam de dæmonum, ac damnatorum cum animis societate dicam? etsi enim sine imperio divino, cui reluctari nequeant damnati, nolint pii manes transmeare, non possint ex orco ad orci fauces, neque contra ex faucibus ad illius interiora, tamen loci continuitas, & unum carcerem, & commorantium consortium, & societatem efficit. Quàm autem hæc piis manibus invisa, pudendáque esse debeat, manifestum est, partim ex justissimo eorum odio in dæmones, hominésque damnatos (quippe Dei, suósque hostes) partim ex horum rabie plusquam caninâ in pios manes, quippe Numinis, quod execrantur, imagines & amicos. Si enim mortalibus non admodum sanctis, Deíque amantibus gravissimum inest odium in cacodæmones, ac damnatos, adeò ut vel eorum nomen picturámque exhorreant, quantum erit piorum manium in eosdem odium, qui ut cognitione multum præstant mortalibus, sic & amore. Rursùs si dæmonum in mortales rabies omnem intelligentiæ nostræ captum superat, quanta erit in pios manes, cùm, & de salute suâ securi sint, ac certi de Numinis in se amicitia, & ejus laudes æternùm celebraturi; denique tantum non beati! Nimirum quemadmodum odium Dei, fons & origo est diabolici in homines odii, ita quò ampliùs bonorum divinorum illi possident, quóve certiùs ea sunt possessuri totâ retro æternitate, eò ardentiore invidiâ diaboli, unáque homines damnati illos insectantur, nam utrorumque eadem hîc ratio est.

86. *Et odium dæmonis in pios manes.* Atqui satis hîc nota est crudelis odii indoles. Notum est Romulum Urbis parentem à Senatu, quem ipsemet in amplissimo gradu collocarat, dirissimè laceratum esse. Pervulgatum est Amanum Amalecitem, Mardochæi Judæi odio, edictum Artaxeris, apud quem plurimum poterat, procurasse, quo tota Judæorum gens internecione exscindi jubebatur. Refert quoque Bodinus, quemdam Mediolanensem horribile facinus excogitasse, etenim inimicum premens, pugione faucibus admoto, eum se jugulaturum minitatus est, nî Deo renunciaret: renuntiavit, tum renunciare jussit ex animo: & infælix, spe gratiæ, paruit, neque id satis, eandem renunciationem sæpiùs iterare compulit, ac demum eo jugulato, sibi gratulatus est impius, ac perfidus de corpore, animóque inimici se vindictam sumpsisse. Quare cùm dæmones multo graviore odio animas habeant, quis dubitet quin diris, & imprecationibus eas infestent, quin disperire secum pervelint, quin Deum maledictis lacessant, quòd eas à fraudibus suis, ac machinationibus integras, syncerásque præstiterit? Has igitur diras, has in Deum illatas contumelias, id atrocissimum damnatorum in se odium, cùm clarissimè intueantur animæ, quàm immaniter, vel inde torquentur! quàm graviter odêre perditos illos osores sui, ac Numinis! quàm acerbè ferunt eâdem se cum illis custodiâ constrictos esse.

Vide Theatrum Beylinck.

87. *Propter damnatorum blasphemias.* Sed caput est hoc in genere, atrocissimúmque piorum manium tormentum, præ quo cætera joci instar dici possunt, in fandam scelerum, quæ orcus evomit, colluviem coram spectare, atque auribus mentis diras omnes percipere. Constat id pronunciatum ex Sanctorum sensis, ac factis. Nam divo quidem Ignatio Societatis JESU Conditori, averni pœnas contemplanti nihil in illis intolerabilius visum est, quàm damnatorum impia in Deum dicta inaudire. Maria verò de Victoriâ spectatissimæ virtutis fœmina, Cœlestinarum Institutrix, cùm flagitia perditissimi hominis narrantem audiret, sustinuit illa quidem tantisper; at cùm de ejusdem injuriis in Sanctissimam Eucharistiam dicere cœpisset, vix quatuor, aut quinque verbis super ea re auditis, tum ipsa suspirare ex alto, tum se huc, & illuc vertere, tum non se continere, quin sororem in eâ narratione pergere prohiberet, hisce verbis: *Filia, noli ulteriùs procedere, quia morior præ dolore*; tum identidem sic exclamare medullitus: *Deum meum tam bonum adeò offensum fuisse!* Quid fieret, dixissetvé, si orci maledicta in Deum immenso graviora audire illi contigissent!

88. *Ratio ab exemplo Christi.* Sed mirum minimè est hunc Sanctorum hominum fuisse sensum. Christus in Olivetico horto dum ex tristitiâ ingenti sanguinem ubertim ex toto corpore pluit, non sic ex cruciatuum sibi subeundorum contemplatione afflictus fuit, quàm ex iis, quæ prænoverat sceleribus improbissimæ, ingratissimæque humanæ gentis, cujus causâ erat cruciandus. Ratio est, quòd culpa omnis, cum injuria in Deum sit, consequenter malum sit ejusdem Dei. Nemo autem ignorat illius quantulumcumque malum, propterea quod Numen infinitæ Majestatis, ac bonitatis sit, majus esse quantocumque rei creatæ malo, atque adeò quantâcumque pœnâ, & quod ei consequens est, minimam noxam, minimámque Numinis injuriam, maximis, vel orci pœnis pluris æstimandam esse. Christus ergo cùm id pernosset, minimum delictum suis omnibus cruciatibus pluris faciebat,

& cùm

& cùm tanta crimina ingratiſsimorum hominum futura prævideret, ſcilicet longè majorem ex iis dolorem, triſtitiámve concepit, quàm ex notitiâ inſtantium ſibi tormentorum.

89. *Exponitur quantus hinc dolor defunctorum.* Atqui piæ mortuorum animæ, & judicio, & voluntate cum Chriſto, ſponſo ſuo maximè conſentiunt. Maximi itaque ducunt damnatorum contumelias, dirásque in Deum, ac Superos, eásque moleſtiſsimè, egerriméque ferunt. Et quidem meâ ſententiâ, Sanctorum mortalium horror, dolórque hujus generis, nullus eſt ad dolorem illarum. Siquidem ſi doloris mortalium ſeges, ac materia ſpectetur, vel hæc præſens eſt, vel abſens: At ſcelera, maledictáque in Superos, quibus Sancti interſunt, pauciſſima ſunt; igitur & dolor ex illis rarus, & exiguus ſit, neceſſe eſt. Sin autem abeſt ea materia, ſolóque auditu, aut cogitatione percipitur, compertum eſt malum abſens, etſi graviſſimum, parum ferire mentem, nec magis afficere voluntatem. Et ita evenit piis hominibus, averni diras, & contumelias in Deum contemplantibus. Prorsùs autem alia eſt ratio animarum luſtrali cuſtodiâ detentarum. Nam eas illic vindex Numinis juſtitia collocavit, ut aſpectu extremæ calamitatis dolorem participarent. Intuentur igitur penitus mentes, percipiuntque ſenſa dæmonum, hominúmque damnatorum, vident acerrimum eorum dolorem, perſpectam habent deſperationem, execrationémque Numinis, imprecationes infandas audiunt, denique haud ſcio, an quidquam in orco fiat ad vindictam reorum, ac perduellium, quod eas lateat, & quod inde conſequitur. conſcias exiſtimo dirarum, contumeliarúmque prope omnium, quas dolor illis exprimit.

90. *Gravior ignis pœnâ.* Quare cùm in iis diris ſitum ſit ingens Dei malum (utpote, quia ingens ejus injuria) & piiſſimæ animæ magnitudinem illius, atrocitatémque pervideant, nullatenus ambigendum ſupereſt, quin acerbiſſimum dolorem inde hauriant.

91. *Epilogus ad commiſerationem horum ad beſtias damnatorum.* Cæterùm veſtram hîc potiſſimùm opem imploro, ô mortales! non equidem, ut Danielem quempiam è Leonum famelicorum lacu tollatis: quamquam enim id calamitatis genus maximum eſt, tamen ad hoc, quod deſcripſimus liquet eſſe nullum. Non ut hominem ad beſtias damnatum theatro educatis, licèt enim nequiſſimi, hoſtes infeſtiſſimi, aut plerumque homines pernicioſi, & immanes, qui ob multiplicia crimina veniâ indigni erant, cum beſtiis depugnare cogebantur: tamen neque id ſupplicii cum hoc piorum manium conferri meretur, quemadmodum nec belluæ terreſtres cum tartareis ullo modo ſunt comparandæ. Et tamen Rex Darius illacrymatus eſt, dum carum caput, & inſontem Danielem Leonibus objectum reviſit, & illa ad beſtias damnatio meritò inhumana Chriſtianis viſa eſt, & ab Honorio Imperatore prohibita. At ſupremus, & æquiſſimus Judex hanc ipſam ad ſtygias beſtias damnationem, debitam vitâ functis pœnam cenſuit, verùm facili pretio redimendam. Nonne igitur Chriſtiano pectore indignum eſt illud denegare? Eſt ſanè, imò etiam inhumanum, & belluinum dici poteſt. Quaſi ergo non ſatis eſſet piis manibus ad ſtygias illas beſtias eſſe damnatos, nonnulli crudelitate quadam in beſtias ſeſe induunt, & ingrati animi, velut unguibus miſeros parentum, aut Mæcenatum manes dilaniant. Parcite ô Chriſtiani! & potiùs eorum miſeremini. Alioqui enim cavendum ne ſicut illi, qui Danielem in Leonum lacum demittendum curaverant, eo jam libero, ipſimet demiſſi, ac ſtatim devorati ſunt: ita vindex Numinis juſtitia in lacum illum Purgatorii altè demittat miſerrimè torquendos,

CAPUT QUARTUM.

De pœna damni piorum manium: sive de jactura beatitudinis.

PRÆFATIO.

92. *Pœna damni quæ includat.*

QUÆ de captivitate, ejúsque loco hactenus disputata sunt, vel revocari possunt ad pœnam damni, vel ad pœnam sensûs: ut liquidum est consideranti. Cæterùm etsi acerbissima, tamen præludia sunt dumtaxat ejus mœroris, qui nunc nobis propositus est: non tam ad dicendum, quàm ad mirandum, & deflendum. Etenim nisi expertus, nemo capere animo potest, nedum exprimere verbis illam doloris immensitatem, quem exilium à beatissimo Numinis conspectu, aliæque huic consequentes pœnæ fidelibus manibus creare natæ sunt. Quas ut ordine digeram, primùm hoc capite de temporariâ visionis beatificæ jacturâ, tum de amoris, ac gaudii beatifici privatione deinde sequenti, de sempiternâ jacturâ ingentis gloriæ per socordiam factâ, déque multiplicis gratiæ repudiatione, denique de peccato, & postremo de satisfactionis hac in vitâ neglectu, erit differendum. Adeste igitur genii, piorum manium tutelares; vestra enim agitur causa, dum carissimorum vobis capitum ingens ex tantâ jacturâ morâque dolor proponitur, quippe liberorum ærumnæ, matrum pectora æquè, aut magis, fodicant.

ARTICULUS I.

Animarum ingens tristitia ex privatione intuitus beatifici.

93. *Certum est purgandas animas Deum non videre.*

TRISTITIÆ hujus quam expendimus, duo sunt fontes præcipui: prior est præstantia rei, cujus jactura fit; posterior, ejusdem desiderium. Ut igitur de priori priùs agatur, statuendum principio, tamquam exploratum pios manes Numinis aspectu minimè frui. Causa est in promptu, tum quia ideò carcere lustrali detinentur, quòd ad intuendum Deum minimè expediti sint, quippe quòd pro noxis necdum fecerint satis, atque adeò pœnas adhuc dare debeant, quarum potissima est divini illius conspectûs privatio, tum quia si Deum contuerentur, jam beatitudine potirentur, ac proinde omnis pœnæ dolorisque forent expertes. Et illud est, quod Joannes indicat Apocal. 21. ubi de cælesti Jerusalem agens: *Non intrabit*, ait, *in illam aliquid coinquinatum*, sive ut ex Græcis patet, aliquis coïnquinatus. Id quod Isaias Vates sic expresserat: *Populus tuus omnes iusti.* c. 60. nimirum quod obligatio ad pœnam, etsi non noxa, aut macula vera sit, tamen ex noxâ nascitur, dúmque perseverat, necdum censetur noxa prorsùs abolita, propterea quòd in eo suo partu, atque effectu, quasi vivere videatur.

Porrò privatio visionis beatificæ, cæterorúmque visionem consequentium, cum tristitiâ inde exortâ Theologis pœna damni dicitur, quod & damnum sit, seu jactura, & in pœnam infligatur, utque à pœnâ sensûs, id est ab igne, aliísve justitiæ vindicis, si qua sint, instrumentis distinguatur. 94. *Quid pœna damni.*

§. 1.

Prior ejus causa, retardatio possessionis Dei.

PARS PRIMA.

Quid Dei possessio?

HIs igitur constitutis, quærimus, quanta sit vel ad breve tempus jactura visionis beatificæ. Cui quæstioni respondeo, tantam esse, quantum est bonum ex adverso possidere ipsum Deum. Enimverò clarus Numinis intuitus, perfecta ejus possessio est. Quî sic? ais. Nam si Principum, Regúmque palatia intus, forísque contempler, non continuò ea possideo. Imò verò, si sapientes consulas, veriùs, vel sic possidebis, quàm Principes, vel Reges ipsi quavis corporeâ ratione apprehendendo, 95. *Præstantia visionis beatificæ, quod sit Dei possessio.*

dendo, detinendóque. Quippe quòd visus, ac quælibet cognitio, quædam rei objectæ spiritualis apprehensio sit, longéque penitiùs, nobiliúsque illam sistat præsentem, quàm manus complexu sisti possit. Sed esto, res corporatæ cognitione, præsertim imperfectâ, non posideantur: alia est ratio spiritualium, alia Dei, qui cùm manibus apprehendi nequeat, sed solâ cognitione, & clara quidem cognitio, qualis est beatifica, illum ut in se est, menti exhibeat, atque adeò sistat præsentem, quid abesse potest, quin Dei dicatur possessio? Accedit quòd rerum corporatarum intuitus, facultatem fruendi rebus visis, aut cognitis minimè præbeat, quæ tamen facultas ad veram possessionem requiritur. At visio Dei eam omnino præstat. Nam beatus hoc ipso, quo illum clarè intuetur, eo frui, ac pro arbitrio delectari potest. Est ergo intuitus Dei, perfecta ejusdem adeptio, ac possessio.

96. *Soláne an etiam cum amore nil refert.* Nec refert ad propositum celebris illa Theologorum controversia, an in eâ solâ beatitudinis essentia sita sit, quod contendit Angelicus Doctor cum suis assectis. Etsi enim Divo Bonaventuræ contra S. Thomam tendenti concesserimus, amorem gaudiúmve ad beatitudinis essentiam pertinere, atque ad absolutam omnibus numeris summi boni comprehensionem, ut illud visione apprehendi, gaudio constringi, utroque satiari animus possit: tamen visio Dei, amoris, ac gaudii radix, ac parens est, atque adeò vel efficit ipsa perfectam Dei possessionem, vel invehit, quod nobis impræsentiarum sufficit.

97. *Quid Deus.* Ut itaque illam Numinis possessionem expendamus, videndum porrò quà licet, quidnam sit Deus? Quæ quidem perquàm ardua quæstio est, solíque ipsi Deo pertractanda, cùm se ipse solus omninò comprehendere possit. Quare Clemens Alexandrinus strom. lib. 2. *Deus*, ait, *res quædam est captu, ac venatu difficilis, semper recedens, atque à persequente se removens.* Verumtamen quia res exigit, ut de illo dicatur aliquid, & Theologia nonnullam Numinis notitiam præbet, dico Deum sic utcumque definiri posse, ut sit ens infinitum in omni genere entis, seu perfectionis.

98. *Exponitur.* Etenim hac definitione statuitur primum existentia Dei necessaria. Si enim posset non existere, quæ omnium perfectionum est fundamentum, existentia, caduca, fluxáque foret. Quomodo igitur non imperfecta? quomodo esset infinita. Deinde eadem definitione æternitas divina constituitur. Nam si Deus cœpisset aliquando, etiam aliquando non fuisset. Item si finire posset, posset non esse; quæ summa impotentia est. Cùm verò quidquid Dei est, ut mens ejus, ac voluntas, bonitas, fælicitas, miseratio, justitia, denique decreta omnia, singula, & universa aliud non sint prout in ipso sunt, quàm ipse simplissimus Deus, constat ipsa quoque æterna esse, atque adeò, & fuisse semper eadem, & esse, & fore; ac, quod ei consequens est, vitam, ac voluptatem, fælicitatémque divinam totam simul esse quæcumque fuit, aut est, aut futura est. Quamobrem divina quidem, quæ sola vera est æternitas, rectè describitur. *Interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.* Agnoscitur præterea sapientia Numinis immensa, quam si expendere voles, intellige ipsum essentiam suam mente comprehendendo, cognoscere clarissimè, distinctissiméque res omnes, quæ ab eâ condi possint, quásque harum singulæ efficere, aut recipere, imò quidquid quavis occasione, conditionéve posità essent effecturæ, passuræve, quidquid item tota retro æternitate, quibusvis momentis, locis adjunctis revera facturæ sint. In quo ipso quàm multiplex sit immensitas, vide. Nam hoc momento objici mihi, admoverique possent infinita, quorum singula si admoverentur, novit divina illa mens, quid cogitarem, quid agitarem, quid hinc sequeretur, fierétve usque in immensum. Novit autem æquè distinctè, atque si res unica jam nunc fieret. Stabilitur insuper eadem definitione amor Dei immensus, tum essentiæ suæ, divinarúmque personarum, tum rerum ab ipsâ procreatarum, quippe quæ illius quædam imagines sint, & rudimenta, scintillæve divinitatis. Ex quo amore manat misericordia in homines toties immensa, quot homines sunt, quot fuêre, & erunt: quia omnium gratia Deus hominem induit, quæ infinita divinæ Majestatis abjectio est; mortem etiam subiit, quæ immensa quoque misericordia est; imò toties immensa sit necesse est, quot momentis eorundem causâ vitam theandricam vixit: quoniam ejus singula momenta immensi sunt pretii. Adde esse nunc toties item immensam misericordiam, quot noxis parcit, maximè mortiferis. Denique quoniam in infinitum procederet hæc de infinito oratio, indidem conficitur potentiam ejusdem Numinis, sanctitatem, veritatem, dominium, justitiam, fælicitatem, omnem demum perfectionem esse pariter infinitam.

99. *Comparatur cum creaturis.* Hoc est igitur Deum videre, æternitatem, sapientiam, amorem, misericordiam, potentiam, sanctitatem, veritatem, dominium,

nium, justitiam, fælicitatem infinitam, omne denique perfectionum genus revera possidere. Quod si minùs mentis oculos feriat, quoniam infiniti ratio, ab ea corpori immersa, & phantasiâ administrâ ad intelligendum utente, omniáque tamquam corpore, loco, magnitudine circumscripta cognoscente, non satis percipi potest. Componamus, si lubet, Deum cum rebus conditis, ut illius præstantiam meliùs æstimemus. Age sume tibi libram, ejus alterâ lance Deum solum, alterâ Deum cum omnibus rebus, quæ sunt, quævé esse possunt, mente colloca, & trutina: Tum dic quâ parte præponderet. Qua non solus est, inquis: at perperam. Nam Theologis Deus cum rebus cæteris ab eo distinctis sumptus, non valet ampliùs, quàm solus. Quid ita? quia Deus omnem perfectionem, atque omne bonum creatum, ac creabile eminenter in se complectitur, sive longè excellentiori modo continet. Si instes saltem res conditas addere Deo aliquid ab eo distinctum, illudque per se permaximum esse. Aio ego illud, quidquid est, ad Deum non plus, quàm pulvisculum esse ad mundi universitatem: & authorem laudo Vatem Isaïam cap. 40. ita id pronuntiantem. *Ecce gentes, quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ:* vel ut Hæbræi: *Quasi pulvis minutus stateræ*, quo scilicet statera minimè movetur, *reputatæ sunt.* Atque ut stemus priori responsione, statim postea: *Omnes gentes*, ait, *quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei,* vel potiùs, ut Forerius vertit, plusquam nihilum, sive minus nihilo. Causa est, quòd minus distet ens finitum à nihilo, (licèt distantiam illam infinitam dicas) quàm à Deo: quandoquidem ab hoc toties infinito intervallo distat, quot sunt perfectiones divinæ, quæ numero infinitæ sunt, uti & præstantiâ, & pretio.

Pars secunda.

Quanti ea possessio, eiúsque iactura sit facienda.

100. *Quanti æstimanda ejus possessio.*

Satis intelligis, Christiane, quid sit Deum adipisci ac possidere. Quanti igitur illud æstimas? Suarius disp. de Purg. sect. 3. certè Theologicâ lance rem perpendens tanti facit illam visionem, vel possessionem per dieculæ spatium, ut omnium hujus vitæ bonorum integram, diuturnámque possessionem illi posthabeat. Augustinus verò plus etiam illi tribuit. Nam, *tanta est*, inquit, *pulchritudo, & iucunditas lucis æternæ, ut etiamsi non liceret ampliùs in eâ manere, quàm unius diei mora, propter hoc solum, innumerabiles huius vitæ anni, pleni deliciis, & circumfluentia temporalium bonorum, rectè, meritóque contemnerentur: non enim falso, aut pravo affectu dictum est, Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Ita ipse Tom. 1. de lib. arb. l. 3. cap. 25. Audis visionis beatificæ usuram per dieculæ spatium præferendam possessioni bonorum hujus vitæ omnium diuturnæ, imò per innumeros dies continuatæ? Causam profero. Etsi enim visio illa non sit perfectissima Numinis intuitio, possessióve (hæc enim cùm objectæ rei, seu essentiæ divinæ prorsùs adæquetur, soli Deo competit, vocaturque stricto vocabulo, comprehensio) tamen vera, germanáque ejusdem essentiæ, divinarúmque perfectionum, ac personarum intuitio, possessióque est, nobiliorque, ac verior, quàm possessio opum, ac honorum, quæ exterior est, cùm hæc sit vitalis, & intima. Item nobilior, ac verior, quàm possessio deliciarum, ac voluptatum: quæ quiá sensibus maximè percipitur, materialis, atque indigna homine est, animúmque afficit quidem, sed leviter, ac turpiter. Cùm ergo beato Dei contuitu veriùs, ac nobiliùs adipiscamur Deum, quàm opes, honores, deliciæ mundi hujus possint possideri, & insuper Deus infinitis partibus omnia ejusmodi bona, non modò quæ possidentur, sed quæ condi, ac possideri possunt, exsuperet, consequitur beatam dieculæ unius visionem longissimæ eorum bonorum possessioni anteponendam esse. Quod spatium si à mundo condito extendamus ad illius excidium, sat scio, non plus justo visionis beatificæ excellentiæ tribuendum. Imò opinor posse in dubium vocari, an momentum ejusdem visionis tanto illo spatio possessionis bonorum omnium temporalium non præstet, quoniam visio multò superioris ordinis est. Et erunt, qui hac ipsa causa, vel æternam ejusmodi bonorum possessionem illi postponant, quibus non illibenter assentiar. Certè pulvisculi possessione, qualis, qualis est, facilè in æternum quis se abdicet, ut brevissimo tempore regno aliquo potiatur. Quid tamen Regnum ad Deum?

101. *Quid pro ea ferendum.*

Porrò hinc colligitur visionis beatificæ, vel ad brevissimam moram fruendæ causâ, ingentia, si opus foret, supplicia perferenda esse. Docet id Suarius de Purg. sect. 3. hisce verbis: *Tale est illud bonum, scilicet visio, ut si opera nostra, vel afflictiones per se spectentur, esset superabundans præmium illorum, etsi ad breve solùm tempus concederetur, ergo è contrario retardatio tanti*

tanti boni, & privatio eius, licèt temporalis maximum malum est, infinitè, ut ita dicam, excedens omnia huius vitæ nocumenta. Hæc ipse. Ex quibus liquidò patet fruendi illius gratiâ, omnia hæc subeunda esse: si quidem divina Majestas id exigeret. Venerabilis Beda etiam usque ad tartari cruciatus se porrigit. *Si enim,* inquit, *quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum videre digni essemus in gloriâ venientem, & Sanctorum eius numero sociari, nonne erat dignum pati omne, quod triste est, ut tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur?* Serm. 18. de SS. Enimverò si labor, ac conatus præmio adæquari deberet, præmium hoc, hæc possessio summi boni, utcumque brevis, ingentis pretii est. Summo igitur, ingentique conatu, summo labore esset adeunda. Et cùm omnia huius vitæ bona longissimo intervallo superet, huius vitæ laboribus, ac voluntariis pœnis emi non posset. Rursùm cùm etiam opera supra naturam sita, etiam ex charitate profecta, nimium quantum dignitate, & excellentia vincat, sive quod omne prorsùs excludit peccatum, sive quod summi boni adeptionem includit, estque omnium, quæ esse possunt vitalium actionum perfectissima, etsi opera illa immensâ cum charitate, immenso cum cruciatu, & difficultate coniuncta esse ponas, paritérque diutissimè, constantissiméque tolerata, tamen vel temporariam Dei visionem promereri non poterunt. Quare extende te, ut libet, anime, & quantum licet humanitus, intelligentiam explica cogitandis cruciatibus, fac in unum hominem hæc omnia convenire, secari, discerpi, acubus figi, membratim concidi, lento igne torqueri: fac deinde hæc supplicia divinitùs continuari, ad annos octo, & viginti, ut Sancto Clementi Ancyrano, vel ad decem & octo, ut Sancto Agathangelo: Adde his morborum omne genus, hisque spatium triginta & octo annorum, quamdiu his conflictata fuit Diva Liduina; pone insuper omnia hæc, & alia quævis supplicia perferri ex amore Dei ardentissimo, si tamen ipsa per se spectentur, neque ut coniuncta cum meritis Christi infinitis, beatificâ visione, licèt brevissimâ, minimè erunt condigna. Quin etiam iis adiunge avernalis incendii tormenta, & fac ut voles ardentiore charitatis igne tolerari, nequidem ad eam dignitatem pervenient. Quid si, inquis, faciam etiam æterna? at neque tum eò perventura sunt, propterea quòd, ut actus Fidei, & Spei, etsi æternùm durare ponantur, nunquam ad dignitatem Charitatis divinæ pertingent; utcumque sint intentissimi: ita Charitatis actus, quantumvis ardui, ac diuturni, nunquam ad visionis beatificæ excellentiam, ac pretium sunt perventuri.

102. *Quanti facienda beatifica visionis iactura.*

Ex his igitur manifestum est brevem beatificæ visionis iacturam prorsùs incomparabilem esse. utique nihil ad illam fore, si tota hæc mundi machina æternùm periret: imo si cum hac ipsa mille, ac mille, quas Deus conderet, aliæ: nihil etiam ad illam reputandum damnum illud ingens, quod situm esset in omnium Fidei, Charitatis, & cuiuslibet virtutis actionum, quæ fuêre, sunt, & erunt, imò & esse possunt prohibitione: cùm infimi è Cælitibus beatifica brevis, & ad momentum, visio, utpote longè superioris ordinis, illas universas dignitate pretióve superet. Nihili denique ad illam eandem ducendos cruciatus omnes, etiam tartareos, atque adeò malum in eâ iacturâ positum, pluris omni malo pœnæ, ac tormenti faciendum esse.

103. *Præsertim cum insuper sit expressa Dei imago.*

Quod si verò ratio illa possessionis, Dei contuitu inclusa, tam præstans, ac pretiosa est, quid de visione totâ censendum, quæ insuper est formalis, expressissimáque Numinis imago? Est enim ratum illud Joan 3. *Similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Quippe notum est Theologis, ac Philosophis, notitiam omnem esse rei objectæ repræsentationem. Cùm ergo visio Dei perfectissima illius notitia sit, nimirum perfectissima divinæ essentiæ divinarúmque personarum repræsentatio, & imago est, ac proinde intellectus Beati ea illustratus, & velut indutus, vivam gerit similitudinem divinitatis: animúsque suo intellectu instructus divinitatem in se exhibet, & tamquam Deus, certè perquam similis est Deo. Inest autem in eo ipso mira excellentia. Res enim quælibet eò perfectior est, quò propiùs accedit ad omnis perfectionis fontem, & idæam, id est, ad divinam essentiam: Atqui beatifica visio divinam essentiam, Triadémque per se ac perfectè attingit, estque vitalis omnium divinorum decorum imago, omniúmque, quæ in Deum tendunt, actionum suprema: & quod huic consequens est, mens beati, ubi visione illa ornatur, ad supremum provehitur dignitatis apicem. Quare visionem Dei meritò recenseas cum Angelico Doctore, inter ea quæ dici queunt infinita: meritò cæteras divinitatis imagines infra illam habeas: meritò iacturam illius, vel ad breve spatium temporis hoc etiam nomine, quòd imago sit Numinis, immensam pronunties.

Cùm

104. *An privatio visionis sit privatio Dei.*

Cùm ergo eam jacturam faciant pii manes, & multò clariùs, quàm nos cognoscant, exploratum est ab iis maximi æstimari. Et verò quî aliter fieret, cùm Numen ipsum saltem ad tempus amittant? Quippe ut visio Dei, vera divinitatis possessio est: sic etiam illius temporalis privatio, est etiam ipsius privatio divinitatis. Item quemadmodum Deum intueri, est divinitatem quodammodo induere, & transformari in Deum: ita ab eo intuendo retardari, est ad tempus spoliari jure ac formâ divinitatis. Nec refert quod gratia piis manibus inhærens, eósque sanctificans, annexum sibi habeat Spiritum Sanctum, atque adeò divinam essentiam iis præsentem sistat: nec enim illud, quidquid est, rationem habet possessionis vitalis, sed ad summum cujusdam unionis moralis cum Spiritu Sancto, ac divinitate. Sicut si cui homini aurum alligatum esset, esset ille quidem auto conjunctus, non tamen illud possideret, quippe quòd eo uti pro arbitrio, ac frui nequiret. Quare & Deo privantur pii manes, quia illo uti ac perfrui non possunt, licèt illi per gratiam, charitatémque conjuncti.

105. *Quanti facienda.*

Quid porrò dicam de te, ô jactura Dei? quid de te, ô spoliatio quædam formæ divinitatis? Sed quid vos, ô pii manes! de illâ dicere potestis? Audio, respondent, sentiri potest, explicari non potest. Fac enim Principem è Seraphinis aliquem ab ipso mundi ortu ad illius finem, jacturis rerum conditarum cogitatione multiplicandis mentem intendere, immensa illa jacturarum summa ad momentum ejus, quâ de agimus, pulvisculi jactura erit, ad jacturam Universi: Itaque si Protoplastæ nostri per originis innocentiam jus ad Imperium totius terrarum orbis, ad illius usque exitum duraturum habuissent, illudque per noxam suam perdidissent, jactura illa, nostræ hujus umbra non fuisset. Si Lucifer, quod appetiisse dicitur in homines supremum dominium, in omnem retro æternitatem prorogare potuisset, illudque per scelus suum amisisset, ad jacturam unius animæ lustrandæ, nihil ista fuisset. Quid pergimus? congerat Deus ipse jacturas quascumque, etiam æternas rerum hujuscemodi conditarum, ad jacturam divinitatis, qualem hîc descripsimus, etsi brevissimam, nihil aliud erit totus ille jacturarum numerus, quàm vel momentum ad æternitatem, vel punctum ad immensitatem. Est igitur quævis pœna damni, pœna maxima, est damnum prorsùs incomparabile.

§. 2.

Expenditur posterior ejus tristitiæ causa, sive magnitudo desiderii Deum intuendi.

Pars prima.

Cur in defunctis tristitia sequatur ex jacturâ visionis beatificæ.

106. *Ex privatione visionis beatificæ non necessario sequitur par illi tristitia.*

Etsi divinæ essentiæ contuitus, res sit adeò per seſe præstabilis, non continuò sequitur ejus privationem, licèt per seſe quoque summa jactura sit, parem sibi, aut etiam ullam omnino parere mœstitiam. Patet id in Patribus olim Limbo detentis, quibus dilatio beatitudinis, visionisvé beatificæ, vel nihil admodum, quod aliqui censent, vel perparum molesta erat. Patet & in pueris absque baptismo mortuis; queîs eadem, etsi æterna visionis privatio, nihil prorsùs tristitiæ aspergit, ut sentit Angelicus Doctor non uno loco, & communiùs sentiunt Theologi, tum quia, ut loquitur ille: *Pœna quæ est per propriam passionem, respondet culpæ admissæ per propriam operationem*, quæ nulla in illis fuit, tum quia licèt cognoscant seſe ad visionem illam fruendam esse conditos, tamen intelligunt peræquè non suâ culpâ nempe actuali, illius consecutione privatos esse, nec ejus proximè capaces fuisse. Cùm ergo sapientis minimè sit tristari ex absentiâ boni, quod nec perierit tuâ culpâ, nec umquam in tuâ potestate situm fuerit, & ii pueri judicio, sapientiáque præstent, conficitur è jacturâ illâ nihil tristitiæ concipere. Itaque ad tristitiam huiusmodi requiritur primùm facultas fruendi bono, cuius absentia mœrorem ingenerare dicatur. Requiritur etiam culpa, quæ te eo bono privet, denique requiritur eius boni, quod adimitur, desiderium; quod quò ardentius, eò tristitia ex illius privatione profecta est gravior. Declarantur hæc ampliùs familiaribus exemplis. Quid enim doleam me Hispaniarum regno non potiri, si, ut res est, nullum mihi ius in illud, nulla umquam potestas potiundi obtigerit? At si obtigisset, & si meâ culpâ periisset, gravissimus ex eâ dolor existeret. Præterea fac, me posse opibus affluere, fac & affluere iam nunc, si nec eas amem præsentes, nec absentes desiderem, sanè amittere difficile non erit. At si earum cupiditate, aut amore ardeam, magnus amor, parens erit magni doloris, quoniam amor doloris mensura est.

Porrò

107. *Sequitur tamen in piis manibus.*

Porrò ad tristitiam piorum manium adest facultas Deo fruendi, nisi culpa, seu culpæ debita pœna retardaret, & deinde ingens desiderium, quàm celerrimè id ipsum assequendi. De priori dubitare nefas est, nam & conditi sunt ad fruendum Deo, etiam attigere terminum viæ, & gratiâ divinâ, per quam in Dei filios adoptati sunt, ornantur. Nihil igitur est præter culpam, aut ortam ex eâ pœnæ in Purgatorio luendæ obligationem, quod eos hæreditate cœli arceat. At enim, inquis, adhuc retinent habitus pravos, variis actibus, dum viverent, acquisitos. Contra Suarius, ut in cæteris, doctè, solidéque occurrit hunc in modum: vel impressi erant illi appetitui sentienti, ut habitus intemperantiæ, iracundiæ, amorisque sensibilis, & hi cum appetitu, qui corpori inhæret, simul cum vitâ ponuntur, vel residentin voluntate, ut superbiæ, temeritatis, & huiusmodi, & hi in ipso mortis puncto extinguuntur (sive per actus contrarios divinâ virtute elicitos, sive subtracto illis concursu divino) aut certè, in ipso gloriæ ingressu, eo statu sic exigente per virtutes etiam naturales divinitùs infusas, iisque repugnantes expelluntur, quemadmodum omnis error, & ignorantia per inditam scientiam pariter generalem.

108. *Propter illius desiderium ingēs.*

Est itaque metienda iam nobis magnitudo desiderii, quo illi Numinis filii ad hæreditatem suam, id est, ad ipsius Numinis possessionem aspirant. Divus quidem Thomas in 4. dist. 21. quæst. 1. artic. 1. *Quantò*, ait, *aliquid magis desideratur, tantò eius absentia est molestior, & quia affectus, quo desideratur summum bonum post hanc vitam in animabus sanctis est intensissimus, quia non retardatur mole corporis, & etiam quia tempus fruendi summo bono iam advenisset, nisi aliquid impediret, & ideò de retardatione maximè dolent.* Ita ipse. Nec quisquam est, qui inficiari possit id quod de summi boni desiderio præcipit, intensissimum, ac vehementissimum esse; quamvis dolorem alii aliunde imminui contendunt. Age ergo causam hîc primùm investigemus tam ardentis desiderii. unam invenio, sed bimembrem, nempe quòd Deum, summum utique bonum, vehementer ament. Nam desiderium est rei, quam ames, absentis, igitur amori commensum sit, necesse est. Et nos quidem de summo illo bono, déque ejus possessione, ut licuit, proximè superiùs egimus. Nunc ergo quantus sit in illud piorum manium amor, videamus.

109. *Quod patet ex eorum cognitione.*

Erui porrò ea mensura potest ex eorum cognitione. Licèt enim ea non alia sit, quàm fidei, qualem, & quantam nacti erant vivi, (non enim accedit eis in Purgatorio ulla virtus supra naturam sita, quâ, dum viverent, carerent) tamen eâ fide instructus animus à corpore divulsus longè aliter Deum cognoscit. Siquidem cùm liber sit omnibus, quæ ab imaginatrice facultate, pravisque affectibus emergunt, impedimentis, multò liberiùs, puriúsque res sibi objectas, ac proinde Deum ipsum percipit. Cum verò insint in Deo bonitas, misericordia, sapientia, veritas, justitia, & cæteræ amoris causæ, & has ipsas liquidissimè intelligit, atque adeò adamat. Deinde cùm animus in eo statu sit, ubi nec inertia inveniri queat, nec aliud quidquam excogitari, cur pro viribus non agat quidquid agit; consequitur illum secundùm totam latitudinem, ut aiunt, fidei, cæterarúmque virtutum operari, quod nihil aliud est, quàm fidem exercere, quantum potest, & quod huic consequens est, non illâ velut sopitâ, aut languidâ, aut semimortuâ (quod mortales solent) sed excitatâ, vividáque in summum bonum ferri, & proinde fidei, ac cognitioni æquare amorem. Accedit isti piorum manium fidei nova, quam in judicio particulari ex Christo Judice hauriunt, notitia justitiæ, fideique divinæ, imò, & aliarum Numinis perfectionum. Constat enim eos ipso mortis momento clarè cognoscere, & Christum Judicem, & ejus justitiam, misericordiámque, ac fidem, quando intelligunt sese ob hæc, & ista merita post vitam in gratiâ divinâ finitam adjudicatos cœlo ad tantam, aut tantam gloriam: at luendas sibi priùs pœnas noxis debitas, tales, aut tales, tantóque temporis intervallo. Quid dicam omnem illam notitiam constantem esse, ac semper æquè vegetam, nec ullo umquam tempore interrumpi? Cùm enim animas corporeis impedimentis solutas, nihil ab illius cognitionis continuatione prohibere possit, & ex adverso pulcherrima illa rerum omnium, Deus Opt. Max. iis semper obversari queat, neque ipse quidquam præter decorum agere, aut omittere: non video cur vel momento à Numinis contemplatione absistant.

110. *Quæ tormentis minimè turbatur.*

Neque verò credendum est eas ab ea averti tormentorum atrocitate. Etsi enim id accidat mortalibus, ideò accidit, quòd eorum mens phantasmatis ad cogitandum utatur: hæc autem spiritibus animalibus inhæreant, quos dolor acerrimus excutere, ac dissipare natus est, atque, ut non dissiparet, phantasiam sibi affigit, atque adeò & mentem, ut ei non vacet aliis intendere. Verùm mens corpore soluta, ut sine phan-

tasmatibus intelligit, ita & iis impedimentis libera est, valetque simul plurima velut sinu suo complecti: nec perturbationi ulli subjecta est, ut patuit in misero illo Epulone, cujus, etsi in orco commorantis, ac desperantis sermocinatio cum Abrahamo, nihil præfert perturbationis.

111. *Et patet ex securitate salutis.* Cæterùm eadem salutis ex judicio cognita securitas, non modò amorem exacuit, sed etiam ornat, ac perficit. Cùm enim animæ probè intelligant, & Judicis fidem in servandis promissis, & proinde nihil deinceps fore, quod timeant, efficitur ut culpam non horreant timore pœnæ, sed Dei injuriæ, & pœnam fortiter patiantur non alio fine, quàm ut Numinis æquissimæ voluntati faciant satis. Præsertim cùm etiam exploratum habeant eam pœnam patientiâ, ac fortitudine nec remittendam, nec contrahendam esse.

112. *Et Numinis amore.* Patet ergo ex Numinis, ejúsque perfectionum notitiâ, quæ piis manibus inest, ingentem earumdem esse, & purissimum in Deum amorem: nec minus ejus fruendi desiderium. Verumtamen alia sunt non pauca, quæ illius utriusque vim majorem quoque in modum commendant. Enimverò quod de Fide disputavimus, id insuper de amore affirmandum est, eum exerere se, & intendere, quantum valet, seu, quod in scholis aiunt, secundùm totam habitus latitudinem operari. Hinc autem magna laus amoris piorum manium emergit: sequitur enim ardentissimum esse, certè haud dubiè ardentiorem, quàm in vivis extiterit. Rem demonstro. Constat habitum caritatis sub vitæ finem auctiorem esse, quàm antehac umquam fuerit; nec enim decrevit umquam, & bonorum operum beneficio semper accrescit. Igitur in morte magis, quàm antea excellit, atque adeò animus eâ instructus actus elicere potest & nobiliores, & ferventiores, quàm alias umquam; si quidem omnem conatum ad opus adhibeat. Atqui, ut ponimus, adhibetur à piis manibus, omnes enim gratias actuales insitæ sibi caritati velut debitas ad amandum Numen summo nisu impendunt. Quid? quod eadem caritas, Regina utique virtutum, eas omnes ad opus admovet, atque excitat, ad summos, inquam, perfectissimósque actus, eósque ad propositum sibi finem destinat. Itaque vel ex hoc capite ardentiùs Deum adamant vitâ functi, quàm mortales, maximè cùm rarissimè eveniat, ut hi, quàm possunt maximo studio, nisuque virtutes exerceant. Semper enim desidiæ irrepit aliquid, quod vigorem, ardorémque officiorum virtutis consopiat. Sed miseriæ caput est hac in vitâ, quod proprius, ut loquuntur, amor, illáque effrænata commodorum cupiditas in omnem intenta occasionem, in omnem sese insinuans actionem, plurimum ex eâ sibi decerpit, ac proinde vim illius, & præstantiam, & ardorem valdè accîdit. Qui amor proprius è Purgatorio in æternum exulat. Quod si quis & in eo vigere velit beatitudinis appetentiam, ac desiderium, illiusque impulsu ferri animas ad fortiter patiendum, non ægrè id permisero, sed eâ lege, ut desiderium illud amori Dei nihil officiat, sed simul cum eo velut aurigans, aut potiùs animas sursum trahens ampliori accendat desiderio divinitatis potiundæ.

Pars secunda.

Confertur amor defunctorum cum mortalium amore Dei.

113. *Comparato cum amore Sanctorum mortalium.* Cæterum cùm mortalium amor Numinis subinde vehementissimam suam vim exeruerit, ex eo metiri licebit piorum manium charitatem. Et mihi quidem jucundum esset tantisper in eo genere narrationis immorari, velut ad animi quietem: sed quia passim hæc occurrunt, prætereo, & universim hæc pronuntio. Cùm plurimi hominum cum exiguâ gratiâ, ac remisso caritatis habitu è vivis emigrent, nec ratio ulla se prodat, cur vel habitus ille in mortuis augeatur, vel ultra latitudinem suam, supráque insitam potentiam operetur, non videtur opinandum eos vitâ functos dum lustrali carcere clauduntur, aut perfectiùs, aut ardentiùs Deum diligere, quàm sancti illi viri, fœminæque dum viverent, dilexerunt, præsertim dum insueto caritatis æstu raperentur in Deum; maximè cùm in ejusmodi potissimùm raptibus, atque incendiis non modò actus æquarent habitui caritatis, sed longè illum superarent, beneficio scilicet gratiarum actualium, maximâ copiâ se animis superinfundentium. Quod si ex iis aliqui labeculam in Purgatorio eluendam subinde habuerint, aio illos, in eo multo ardentiùs, quàm unquam aliàs, dum viverent, Deum adamasse. Quod de aliis omnibus, ac singulis asseri debet, ut ante probatum est. Sed de visionis divinæ desiderio aliter forsitan, ut brevi dicemus, est philosophandum.

114. *Sed non aliorum plerorumque.* Quod igitur de piorum manium amore, mortalium amori præponendo definiri potest, hoc est, universas, & singulas animas vehementiori studio ferri in Deum corpore liberas, quàm illo inclusas. Deinde ut plurimum liberarum amorem præstare amori

amori plerorumque mortalium, maximè si actuum amoris vehementia, & ardor, imò & nobilitas spectetur: quando plerique mortales non ex amore divino, saltem intenso, certè quidem habitui caritatis minimè commenso in opus se dant, non etiam ex aliarum virtutum impulsu, nisi rariùs: sed vel ex consuetudine, nullóque honesto fine proposito, vel ex morosæ voluntatis motu, vel vulgi arbitrio, ductúque, vel etiam ex animi pravo studio. Certè piissimo ac doctissimo viro Remundo Lullo quondam divinitùs significatum est, è mortalibus millenis non posse numerari centenos, quibus nonnihil amoris divini inesset. Ex his porrò centenis nonagenos impelli ad officium timore pœnæ avernalis. Insuper ex istis nonagenis non esse binos, quos cœli amor ageret. Denique ex millenis ægrè unicum inveniri, qui syncero Numini placendi desiderio ad opus propelleretur. Qui nuntius viro Dei amantissimo incredibilem mœrorem attulit. Cùm ergo animæ purgandæ castissimo in Deum amore, omnique caritatis nisu ferantur, nec ab eo unquam desistant, utcumque cruciatibus, ac doloribus conflictatæ; perspectum est, multo & excellentiorem, & perfectiorem, & ferventiorem in eis vigere Numinis amorem, quàm in plerisque mortalibus.

Pars tertia.

Comparatur desiderium defunctorum cum mortalium desiderio Dei.

115. *Tamen desiderium sanctorum mortalium superat.*

Verùm enimverò longè magis constat, etiam multò ardentiùs Dei contuendi desiderium vigere in defunctis. Quippe mortales multa in terris remorantur, etiam Dei amicos. Quid, quæso, remoraretur animas in flammeo illo ergastulo? Deinde animæ à jacturæ suæ consideratione, atque adeò à Numinis contemplatione vix, aut ne vix quidem cessare queunt: mortales contemplationi summi boni, ut maximè velint, nequeunt diu inhærere. Præterea eas urget viæ terminus, & triumphi tempus. Non sic mortales, quibus & peregrinandum adhuc, & militandum. Denique licèt adhuc earum oculos caligo fidei teneat, ut mortales, tamen non tanta tenet. Quippe hanc illustrat, ut diximus, judicii particularis certa memoria, & ex eo hausta certa Judicis optimi, justissimique notitia, & beatitudinis assequendæ securitas. Quare si beata Theresia hujus mortalitatis moras adeò oderat, ut cùm pulsari æs campanum audiret ad indicandum temporis, atque horarum fluxum, summis lætitiis incederet, quod contractiora exilii sui tempora sentiebat. Si jam jam laudatus Remundus vias ac nemora gemitibus implebat, quòd adhuc attineretur hoc corporis ergastulo, divulsus ab eo, quem plus oculis amabat; adeò ut emori videretur præ mortis desiderio. Si beatus Godefridus Comes de Campemberg, & Henrici Imperatoris cognatus, cùm S. Norberti institutum complexus esset, & comitibus religiosis fratribus auram captaret, præ summi boni desiderio humi se prosternebat, compositusque in modum moribundi medullitùs exclamabat: O! si veniat hora illa nostri obitûs! ô, si ad hanc horam aptare me digneris Domine Deus! Postremò si Vincentius Carafa tanto mortis desiderio caperetur; ut cùm quispiam è domesticis efferebatur; gaudio exiliret, spéque proximè illum sequendi; & cùm è morbo ipsemet convalescebat; tristitiâ langueret, quod velut ex aditu cœli exturbaretur adhuc in carcerem mortalitatis: si, inquam, tantâ mortales cupiditate cœli conflagrarint, quid de piis manibus sentiendum?

Nam mortales quidem, etsi caritate superent defunctos, & cum Theresia, aliisque nonnullis ex solo synceri amoris impulsu, studióque arctioris cum Deo necessitudinis ad mortem aspirent, tamen illud desiderium valdè lenire possunt spe divinæ gloriæ ex ipsorum superstitum laboribus, atque animarum lucro amplificandæ; qui finis castissimæ caritatis est. Deinde si amorem in cœlo puriorem amant, atque exposcunt, obversari potest illis, & facere satis recordatio commodi ex longiore vitâ capiendi, ut collectis pluribus gratiæ gradibus, plures gloriæ cœlestis colligant, atque adeò ardentiori, excellentiorique amore, eóque æterno Deum prosequantur, qui finis etiam synceri, illibatique amoris est. Quamobrem maneat desiderio patriæ cœlestis, visionisque beatificæ incomparabili ardere pios manes, & ex iis infimos sanctis mortalibus nihil hoc in genere concedere, sed longè præstare. 116. *Quæ causa.*

Pars quarta.

Confertur cum qualibet propensione naturali.

Ut autem mira vis hujus desiderii ampliùs innotescat, operæ pretium erit eam cum impetu rerum cæterarum conferre. Ac primùm si ab elementis ordiri placet, vis nosse quanta sit vis, atque impetus lapidis molaris ex alto ruentis? singulis 117. *Et omnem violentiam vincit.*

horis ducenta milliaria posset ingenita gravitate transmittere. Quid de igne dicam? Ejus vi glans ferrea tormento excussa, tichonis quidem Brahæ, perillustris sanè mathematici sententia, spatio novem dierum si primus impetus duraret, totum terræ ambitum circumvolitare, id est, novem millia milliarium conficere valeret. Sed eadem vis longè clariùs patet in fulgure, quod essentiâ igneum est. Illud enim è nubibus vi suâ ruptis exiliens penè momento quaquaversum se insinuat. Sed hæc velocitas nulla est, ad cœli, cælestiúmque syderum motum. Nam firmamenti stella, terræ orbem universum horâ unicâ bis millies obit. Quanta igitur, Deus bone! ejus celeritas, quanta Genii eam moventis nativa agilitas! quanta primorum Geniorum, cùm hæc naturæ præstantiæ respondere debeat pernicitas.

118. *Et vires naturæ.* Sed jam robur, atque vires ignis, aliorúmque mobilium tantisper contemplemur. Ignem mihi sumo, quia omnis prope vehemens motus ab igne proficiscitur. Quid enim ventus? Exhalatio *calida, siccáque*, ait Philosophus. Quid terræ motus? Commotio ejus ab halitu ejusdem viscеribus incluso excitata: Atqui exhalatio, seu halitus, igneæ naturæ est, etsi vapori, qui aqueæ, plerumque immixtus. Porrò quas strages non edidêre venti? non solùm in mari, ubi potissimè dominantur, sed etiam in terrâ? Urbes evertêre, montes aliò transtulere, Regiones vastavêre. In nostro hoc Belgio, etsi minus obnoxio eorum furori, Anno millesimo sexcentesimo sexto, plurimas turres, editásque domos, & celsissimos obeliscos aliáque vi suâ decussêre. Unde extat hoc illius anni Chronographicum: *oMnIa CaDVnt*. De vi porrò, ac damnis terræ motuum nihil attinet dicere. Eo qui Christo exspirante contigit, aiunt aliqui non solùm Judæam concussam, sed & eas civitates corruisse in Asiâ, quarum interitum Tacitus ac Plinius tempori Tiberii adscribunt: & duodecim in Thraciâ urbes periisse refert Augustinus lib. 2. c. 3. de Mirab. S. Scripturæ. Quid? quod anno nono Constantini Copronymi tam horribiliter tellus contremuit in Syriâ, ut urbium aliæ penitùs exterminatæ sint, aliæ graviter vastatæ, aliæ à montanis ad campestria cum muris, ac domiciliis suis integris excussæ, ad spatium sex circiter milliarium: & Mesopotamia ad duo in longum milliaria fuerit disrupta. Ex quibus facilè est opinari, si Solis, ac syderum motus propius à terrâ abesset, hanc illius impetu statim in pulverem funditùs abituram.

Cùm igitur tam potenti nisu, vel tellus ad centrum suum, vel ignis ad suum aspiret, cùm venti, ac orbes cælestes tam rapido vehementique impetu ferantur, quo illorum natura, horúmque rector Genius impellit, videndum, an piorum manium desideria ad finem suum, ac centrum quantocyus perveniendi impetu ac violentia illis concedant. Id verò tantum abest, ut ita sit, ut etiam omnis illa elementorum vis, mera sit umbra vehementiæ ejusmodi desideriorum. Etenim propensio elementorum ad centrum, bono, quod in eis nanciscuntur, respondeat, necesse est. Ideò enim ad centrum feruntur, quod iis in eo benè sit. Quale autem illud, & quantulum bonum telluris, aut ignis est, quòd centrum teneat, in eóque quiescat? Igitur omnis illa vis exhalationum ignearum terra erumpere connitentium, horribilésque illius tremores creantium: omnis item vehementia lapidis molaris rapidissimo lapsu ex alto ruentis, præ vi desiderii piorum manium ad divinum suum centrum anhelantium nulla est, quia ad bonum illud, quod in Deo, ac centro suo pii manes nanciscі habent, nullum vel exhalationum, vel lapidis molaris in centro suo quiescentium, bonum est. Et idem de cælestium orbium, astrorúmque pernicitate, ac vehementiâ motus dicendum esset, si ab intrinseco, ut aiunt, seu propriâ sponte ad circularem motum ferrentur; quod nonnulli Philosophi jam suspicantur, nec sine probabili ratione: cùm inclinatio ad perpetuum & circularem motum iis ab authore naturæ indita esse possit.

119. *Quia est summi boni desiderium summum.*

Cæterùm, & cælestem illum, & elementarem motum vis aliqua creata remorari potest: at vehementiam desiderii piorum manium quid retardaret? Nam si Paulum, aliósque Sanctos mortales, nec tribulatio, nec fames, nec nuditas, nec persecutio, nec gladius, nec mors, nec ulla creatura separare à Deo possit, propter vim divinæ caritatis, eorum animis penitùs inhærentis, quid prohibere posset impetum animarum ad Dei possessionem contendentium? Quod tormenti genus illarum velut cursum remoraretur, cùm & earum caritas omnes suas vires in eo impendat, nec fervorem possit remittere? Itaque mallent simul omnia tartari tormenta singulæ sustinere, quàm Deo suo vel tantisper privari, quando tolerantia illà inferioris ordinis, atque adeò minus malum est, quàm summi boni privatio. Denique nihil earum propensionem ad centrum illud inhibere valet, præter unicam Numinis voluntatem, à quâ ne latum quidem

120. *Quod retardari nequit.*

quidem unguem possunt in posterum recedere.

§. 3.

Concluditur, demonstratúrque piorum manium ingens tristitia ex subtractione conspectûs Divini.

121. *Generatim ostenditur gravitas pœnæ damni.*

CUM igitur potentissimus, ardentissimúsque sit fidelium defunctorum in Deum amor, cùm ejusdem desiderium illi amori etiam antecellat, continuò efficitur tristitiam ex Dei privatione exortam pariter ingentem esse. *Frustrata quippe cupiditas* (Augustino teste lib. 21. de civitate Dei, cap. 3.) *sive non perveniendo quò tendebat, sive amittendo, quò pervenerat, vertitur in dolorem.* Et verò magnitudo cupiditatis illius, amorisque, mensura doloris est ex dilecti absentiâ enascentis. Quare tristitiam qua de agimus, necesse est esse permaximam. Sanè Angelicus Doctor docet minimam damni pœnam graviorem esse gravissimâ hujus vitæ pœnâ: cujus ratiocinationem proximè superiùs attulimus. atque hanc sententiam sic egregiè more suo explanat Suarius. de Purg. sect. 3. *Magnitudo tristitiæ oritur ex magnitudine boni amissi, seu mali præsentis, & ex vehementiori illius consideratione, & ex magnâ affectione ad illud. Hæc autem omnia excellunt in pœnâ illâ. Talis enim est visio, & beatitudo cœlestis, ut possessio illius, vel per diem excedat omnia bona huius vitæ simul sumpta, & per diuturnum tempus possessa. Tale etiam est bonum illud, ut si opera nostra, vel affectiones per se spectentur, esset superabundans pretium illorum, etsi ad solum breve tempus concederetur: ergo è contrario retardatio tanti boni, & privatio eius licèt temporalis, maximum malum est, & infinitè, ut sic dicam, excedens omnia vitæ nocumenta. Secundò animæ illæ sanctæ ponderant, & expendunt optimè gravitatem illius mali, & quod gravissimè pungit, cognoscunt se suâ culpâ, & negligentiâ illud sustinere. Tertiò vehementer amant Deum, & consequenter eadem intensione appetunt illum videre: ergo necesse est, ut vehementem tristitiam inde concipiant.* Hæc summus ille Theologus, quæ nos hactenus exposuimus, & deinceps tantisper adhuc expositum imus. Quippe animis illis acerbiùs est profectò privari Deo, virâ utique suâ divinâ, ac supernaturali, quàm fuit vitâ naturali: cùm jacturam hanc suam prout par est immenso pluris æstiment, quàm æstimavêre mortem. Mors autem naturalis omnium terribilium terribilissimum est, Philosopho teste, atque adeò omni cruciatu durior, ac molestior. Et experientiâ constat equuleos dirissimos, longissimósque alios cruciatus ad vitam tantisper tuendam patienter tolerari. Deinde supplicia hujus vitæ quantacumque sint, inferioris ordinis mala sunt, quàm pœna damni minima: sive quia privatio possessionis Dei possessionem ipsam, quæ superioris ordinis est, quodammodo imitatur, sive quia culpam respicit, unde profecta est: ita ut tristitia ipsa culpam pro objecto, ut aiunt, partiali sortiatur. Cùm ergo culpa, Dei malum sit, atque adeò gravius omni malo creaturæ, animas illas penitus eam cognoscentes graviùs afficit, quàm supplicium ullum utcumque atrox possit afficere. Denique piis manibus optabilius est, & esse debet Deo perfrui, quàm tristius foret omne subire supplicium: ergo Deo, vel ad tempus suâ culpâ privari duriùs, & intolerabiliùs est, quàm multari quolibet supplicio. Etenim, ut Dei possessio majus bonum est, quàm malum sit tolerantia omnis supplicii: ita illius possessionis privatio in genere mali superat cujuscumque tolerantiam supplicii Ex quibus consequitur graviùs affligtari defunctos, vel brevissimâ beatitudinis morâ, quàm lustralium flammarum tormento, tametsi mortalibus, omnia sensu suppliciorum visibilium metientibus, videatur paradoxum.

122. *Item speciatim ex ratione peregrini.*

Quibus ut illud utcumque aperiam, ea subjicio, quæ mortalium animos magis ferire, & rem nostram velut specula quædam exhibere videntur. Primùm enim revocandum est in memoriam pios manes, etsi extra viam ac vitam positi sint, tamen à termino, seu patria adhuc abesse. Etenim cœlum nobis patria est, cujus utique cives ipso Christi sanguine conscripti sumus: & heu! quot animæ, corporisque miseriis, quot laboribus, ac periculis exposita est vita hæc nostra, seu via ad patriam cœlestem! Quot homines in eâ, velut in procelloso mari calamitosissimum salutis naufragium faciunt! Cùm igitur fideles mortui, hisce discriminibus perfuncti, & totam vitæ viam emensi eò vehementiùs ad patriam anhelant, quò propiùs ab illâ absunt, quis explicet quanto mœrore afficiantur, quando vindice justitiæ divinæ manu longè ab eâ repelluntur in horridam illam Purgatorii regionem, ubi fame, siti, aliisque ingentibus incommodis conficiantur? Similis quidem fuit illorum calamitati funestissimus Sosæ Lusitani

Ducis in patriam redeuntis casus. Emanuël Sosa, qui Diensi præfuerat arci, vir opulentus, & splendidus, ductâ in matrimonium Eleonorâ Garciæ Sala, Prætoris Indiæ, filiâ, tactus patriæ desiderio, pressam divitiis rostratam excelsam Cocini conscendit. Sequebatur uxor, & parvi liberi, & comitum capita prope sexcenta. Vix solverant, cùm fœdo naufragio terræ allisi, periêre ab ipso statim initio Lusitani circiter quadraginta. Reliqui haud semel operti fluctibus, & in diversa raptati, & incursu scriniorum cruenti, semianimes in sicco vestigia posuêre. Tum per infesta Cafrorum incursionibus, & noxiis animantibus, loca progressi, extremâ premuntur inopiâ, quam denique bestiarum cadavera, & ossa quælibet igne tosta tantisper sustinuêre: At sitis, latronúmque, ac leonum metus vehementer exasperavit. Denique cùm amici Regis malè spreto consilio ultra perrexissent, in barbarum Principem inciderunt, à quo post varias fraudes fustibus convitiisque per summam perfidiam tectis, ac vicis exturbati, ac vestibus exuti sunt. Quo rerum articulo Eleonora generis memor, ac pudoris, cum pugnis, ac colaphis barbaros ad necem irritasset, denique mariti hortatu, ac deficientibus viribus absistens, arenis sese infodit: ubi fame miserandum in modum consumitur cum adjacentibus liberis. Ac tandem ipse Sosa cùm in sylvas pabulandi causa sese penetrasset, à feris laniatur. Sed similis, ut dixi, at longè impar est defunctorum sorti casus hic licet tristissimus. Siquidem ut longum ne faciam, quantum patria cœlestis præcellit Lusitaniæ, loco, & dignitate: tantò ardentiùs est defunctorum desiderium Sosæ desiderio: & quantò optabilior est Ambrosia, vitáque Beatorum cibo mortalium ac vitâ, tantò illius fames, ac privatio tristior est fame ac morte Sosæ.

123. *Ex dignitate filiorum Dei.*

Verùm hujusmodi defunctorum mœror non parum exacerbatur ex filiorum Dei, quâ pollent dignitate. Nam de illis præsertim intellige illa: *Ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes*: licèt enim adoptivi, tamen per gratiam sanctificantem divinæ consortes sunt naturæ, & per singularem Numinis tutelam ab eo statu nunquam excident. Porrò multa de Patris æterni Majestate, bonitate, sapientiâ, pulchritudine, potentiâ, aliisque immensis perfectionibus certâ fide perceperunt, etiam ex ore, ac litteris fratris sui, ac naturalis filii Dei: quippe *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Adhæc ut se tanti Patris conspectu dignos præberent, illius hostes, dæmonem, mundum, ac carnem multiplici prælio vicêre. Et ecce dum tempus est in illius conspectum, amplexúmque veniendi, idque ardentissimè expetunt, rejiciuntur tanquam alieni, & velut hostes in teterrimum carcerem conjiciuntur. Quis igitur cum hoc eorum dolore mœror filiorum poterit comparari? Absalon certè ob Ammonem fratrem interemptum, conspectu aditúque Regis Davidis interdictus, cùm dolorem inde profectum ferre ampliùs nequiret, dixit ad Joab: *Obsecro ut videam faciem Regis: quod si memor est iniquitatis meæ interficiat me.* Ubi vides illum mortem malle, quàm suam hujusmodi sortem: sed quantò plus est conspectu Numinis arceri, quàm aditu Regis Davidis? Neque verò est cur aliquid uspiam quæramus simile, nedum compar huic amantissimorum filiorum tristitiæ, cùm nec patres, nec filios invenire possimus, qui, vel cum æterno patre, vel cum piis manibus amore possint ullo modo conferri.

124. *Et hæredes cœli.*

Porrò si iidem pii manes Numinis *filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Adeò ut ipse Deus eorum hæreditas sit, quantus quantus est: quemadmodum est hæreditas Christi, licèt dispari modo, ac jure possidenda. Cùm igitur illa tanta sit, quanto ejus adeundæ desiderio flagrant hæredes nostri, cùm videamus pro terræ portiunculâ, tot bella, tot pericula suscipi? Etenim satis exploratum est terrarum orbem punctum esse ad firmamentum: & hoc item punctum esse ad Empyreum. Empyreum autem præ Deo minus esse puncto. Cùm igitur desideria crescant, pro rerum, quas optas magnitudine, si quidem perfectam earum notitiam assequâre, ingens est defunctorum ardor adeundæ cœlestis hæreditatis, & illius retardatio possessionis molestissima sit, oportet. Repetebat vi, & armis sua regna Conradinus Conradi Imperatoris filius, comite & adjutore Federico Austriaco, non impari virtute juvene: quando bellico Caroli Ducis Andegavensis, qui illa tenebat, astu victus, unâque cum Federico è fugâ retractus est. Horrendum dictu! Carolus nobilissimos, ac fortissimos juvenes nullâ aliâ de causâ publico in theatro tortoris manu obtruncari jussit, spectavitque ipse ex editâ turri hoc suæ inhumanitatis specimen omnium oculis horrendum. Sed longè horribilius est, post factam regni cœlestis ac divini jacturam licèt temporalem, in oculis omnium defunctorum, qui longè plurimi sunt, certè plures, quàm in regno aliquo

esse

esse possint incolæ, mœrore pudoréque confici, præ quo mors ipsa deliciæ dici potest.

125. *Et sponsarum Christi.* Venio tandem ad sponsarum nomen, dignitatémque, postremum fontem lachrymarum, quibus fideles animæ in illâ beatitudinis morâ perfunduntur. Constat enim eas Christi esse sponsas, & nos non uno loco dicemus. Constat item statim à morte tempus adesse nuptiarum, conjugii sacratissimi cum Christo perficiendi. Et ipse sponsus earum unamquamque invitavit hisce verbis: *Veni de Libano sponsa mea, veni coronaberis.* Et ecce quando morte obitâ veniunt, gratiæ, cæterarúmque virtutum ornamentis ad nuptias cœlestes paratæ: quando ad castissima sponsi oscula, complexúmque aspirantes, dicunt: *Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis*, eheu! non modò ab osculis, complexúque sponsi, sed etiam ab illius conspectu severè arcentur: neque jam illum sponsum, sed judicem iratum experiuntur, & velut ipso indignæ, imò & eius inimicæ in lamentabile exilium relegantur. O sortem peracerbam! quam tamen uti & alias priores repulsas maximè exasperat illarum causa. Quænam enim illa? nempe quia miseri illi, seu peregrini, seu Dei filii, seu cœli hæredes, seu animæ Christi sponsæ à summo illo bono sese averterunt, ut sordidæ, leviculæque voluptati, ut lucro rerum terrenarum inani, ut fumo gloriæ captando liberè vacarent. Quare jam maximè persentiunt hujus carminis Regii veritatem: *Verumtamen vani filii hominum*, vel ut Hebræi significantiùs: *Vanitas filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum*, sive ut iterum Hebræi cumulatiùs, *ad ascendendum ipsi de vanitate in idipsum.* Psal. 61. quasi canat Vates, filios hominum non modò vanitatem esse, ac merum mendacium, dum appensis velut in judicii statera, illinc beatitudine, hinc bonis terrenis, illam heu! iniquissimè his postponunt, sed vanitate ipsâ vaniores, ac leviores esse, præque illa ascendere, si eadem cum eâ bilance trutinentur.

126. *Omnem superat mœrorem.* Itaque si cum hac sponsarum nostrarum ingenti tristitiâ mœrorem Polydoræ Sancti Alexii sponsæ composuero, quando ipse primâ nuptiarum nocte pio dolo circumventam clam deseruit, póstque ignotus obtento intra paternas ædes tugurìolo stipe victitavit: si huic dolori alios alterius generis adjunxero, sive Sanctæ Helenæ Constantini matris, & aviæ Crispi Cæsaris, cùm intellexisset fortissimum illum juvenem, castissimúmque Josephum Faustæ ejus Novercæ pessimâ fraude à parente Constantino veneno sublatum; quasi patris torum violare nisus esset, cùm contra perdita mulier ejus pudicitiam tentasset: sive Sancti Eustachii, quando jacturâ omnium bonorum factâ, Theopista primùm ejus uxor Naucleri perfidiâ illi erepta est, tum, & duo ejus filii in trajectu fluminis ursо ac lupo in prædam cessêre: sive Annæ Tobiæ conjugis, quando filio cum Raphaële comite iter ingresso cœpit flere, & viro dicere: *Baculum senectutis nostræ tulisti, & transmisisti à nobis*: ac deinceps eo ultra diem condictum cunctante: *Flebat irremediabilibus lacrymis, & dicebat Heu! Heu me! fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis*: sive denique alios aliorum dolores cum dolore, de quo agimus, comparavero, lucernam Soli opposuero, cùm & Dei jactura cæterarum rerum jacturam immensùm superet, & pii manes ejus jacturæ momentum æquissimâ lance expendant, & amor illius, ac desiderium in iis summa sint, & postremò causa jacturæ indignissima.

§. 4.

Occurritur objectis.

127. *Spes dolorem defunctorum parum minuit.* PRIUSQUAM ulteriùs progrediamur visum est nonnulla refellere, quæ adversus sententiam Divi Thomæ prolatam objectantur. Nam contra illum tendit Bonaventura in 4. dist. 20. art. 1. quæst. 2. ubi docet minimam damni pœnam, pariter, & sensûs, minimè graviorem esse maximis hujus vitæ, cui Bellarminus in hæc verba subscribit: *Licèt enim absentia summi boni ex se generet in amante summam tristitiam, tamen in Purgatorio mitigatur hæc tristitia, & levatur magna ex parte propter certam spem illius boni acquirendi. Ista enim certissima spes adfert incredibile gaudium: & quò magis propinquat finis illius exilii, tanto magis gaudium crescit. Itaque solùm in inferno pœna damni est summa: quia est annexa desperationi.* Sic Bellarminus. Verùm, ut opinor, non magnoperè urget. Etenim facilè quisque concedet tristitiam illam, si certâ spe non mitigaretur, supplicia hujus vitæ omnia superaturam. Atqui spes illa nihil obstat, nam si quid obstaret gravitati pœnæ damni, pariter

pariter levaret dolorem exiguè perceptum. Est enim utriusque par ratio. Quî fit igitur, ut pii manes Bellarmini sententiâ gravissimam omnium pœnam ab igne patiantur? si ponas tantam esse vim hujus doloris, ut etsi illius sensus ob eandem spem minuatur, tamen adhuc maneat omnium acerbissimus: idem dicam de tristitiæ gravitate: videlicet quamvis spe illâ remittatur, adhuc tamen manere omnibus hujus vitæ cruciatibus acerbiorem. Sin autem velis spem beatitudinis non conferre, ut dolor ab igne profectus, minus sentiatur, sed ut feratur leniùs; idem subjiciam pro tristitiâ, utique spe beatitudinis non effici leviorem, sed ferri pacatiùs. Et certè spes illa nec minuit præcipuum tristitiæ objectum in eo situm, quod quidquid est moræ, & jacturæ animis suâ culpâ contingat: nec efficit, ut dilatio minùs displiceat: non igitur tristitiam levat. Nec refert quod spem certam præsertim, non mediocre gaudium naturæ spontè consequatur. Cùm enim gaudium illud aliam causam, aliúdve objectum sortiatur, quàm tristitia, potest unà cum tristitiâ, sine hujus decremento consistere: præsertim cùm anima corpore soluta diversarum affectionum capacior sit, non minùs, quàm ejus mens, atque intelligentia diversarum cogitationum. Certè Suarius non admodum abnuit, quin, uti in animâ Christi summum gaudium partis superioris cum summo mœrore inferioris pariter constitit: ita in piis manibus fieri credatur. Malim tamen citra miraculum rem peragi: ita ut intensissimus quidem sit dolor: sed lætitia moderatior, propterea quod ea spes, utcumque certa, tamen quamdiu durat, ingenti desiderio, dilationique beatitudinis conjuncta sit, & quidem ob culpam, atque adeò liquidum gaudium parere non possit. Quippe ad liquidum gaudium naturale requiritur, ut tibi nihil triste obversetur: ad mœrorem autem etiam summum, sufficit materia illius gravissima, etsi alia sint, quæ delectare alioqui possint. Porrò hæc omnia mirificè confirmantur ex Immaculatæ MARIÆ gravissimo omnium martyrio. Quis enim neget & voluntatis illius cum divinâ majorem fuisse consensionem, quàm quæ in piis manibus reperiri queat: & spem certissimam beatæ resurrectionis Christi, ex quâ summum gaudium manare debuisse videtur? Et tamen constat una cum conformatione illâ voluntatis, & certissimâ spe tam optatæ matri resurrectionis filii, plus doloris persensisse Virginem, quàm Martyres omnes: imò, quàm animæ purgandæ persentiant.

128. *Neque is sensim decrescit.*

Sed unus adhuc scrupulus Lectori eximendus est. Asseruimus enim superiùs probabile esse dolorem ab igne lustrali profectum, sensim minui: an eodem modo de tristitiâ philosophandum est? Sic enim rectè arguit Bellarminus: *Pœna illa, quæ est prope finem, debet adeò esse remissâ, ut amplius remitti non possit, hîc autem inveniuntur pœnæ, quæ plurimum remitti possent: sequitur ergo non quamlibet Purgatorii pœnam esse maiorem maximâ huius vitæ pœnâ.* Sed quamquam totum id probabile censuerimus, ac modò censeamus, non tamen affirmavimus, aut affirmamus. Deinde ut affirmaremus, discrimen inter utramque pœnam assignari potest, quod ex omnium Theologorum sententiâ ignis agat, ut instrumentum Dei; plus minúsve, pro meritis eorum, quos urit: quare ut est instrumentum ejusdem ad graviùs aliquos, aliquos leviùs affligendos; ita esse potest ad graviùs eosdem principiò, leviùs deinceps afficiendos. Porrò tristitia ex privatione Dei exorta tam in decursu, quàm initio idem, & invariabile habet objectum, scilicet privationem visionis beatificæ, & excellentioris gloriæ iacturam ex culpâ profectam: Et licet principiò privationem illam visionis beatificæ respiciat ut diutiùs duraturam, ac deinde ut breviùs; privatio autem diuturnior acerbiorem nata sit creare dolorem, quàm brevior, tamen ut rectè Suarius, præcipuus quidam mœstitiæ sensus enascitur ex iacturâ amplioris gloriæ, quæ iactura semper eadem manet. Deinde dato non concesso, eo respectu aliquatenus decrescere posse tristitiam, non continuò sequitur ita decrescere, ut huius vitæ molestias maximas adhuc non excedat. Præsertim cùm etiam ob culpas admissas omnem modum excedere debere videatur, ut postmodum demonstrabitur.

129. *Cur Patres in Limbo non multum cruciarentur.*

Postremò si quis obiiciat Sanctos Patres limbo olim detentos non multum mœroris ex dilatione beatitudinis concepisse, ut patet ex Evangelio; ubi Abrahamus Lazarum consolari perhibet, facilis est ex superiùs dictis solutio, quod ad tristitiam gravem ex absentiâ alicuius boni hauriendam requiratur, & facultas eo bono fruendi (quæ tum deerat Sanctis illis Patribus, quia lytrum generis humani necdum erat solutum, atque adeò nec reserata Regiæ cœlestis ianua) & præterea ut tuâ culpâ eo bono priveris: quam culpam ab iis abfuisse pariter constat. Quod si instes ex hac responsione consequi non iam dilationem beatitudinis, sed culpam fontem esse tristitiæ, quod Coninkus, & Dicastillo opponunt: non ægrè occurritur, si dicamus,

quemadmodum

quemadmodum in damnatis privatio beatitudinis cum culpâ necessariò conjungenda est, ut tantum pariat dolorem, ita in piis manibus. Utraque enim simul juncta utrobique unum doloris objectum efficit: adeò ut neque absentia beatitudinis, sepositâ culpâ, admodum affligat, nec culpa sine illâ jacturâ tantopere cruciaret.

§. 5.

Confertur ea tristitia cum doloribus, quos homines pii ex absentia ejusdem Numinis percipiunt.

130. *Pœnæ damni cedit omnis dolor naturalis.*

CONSULTÒ prætereo mœrores, quos ob cari capitis absentiam mortalibus creare solet nativa caritas. Mitto igitur pariter insanos amores, insanósque dolores, dignam parentibus progeniem, eò usque homines adigere, ut dæmonis operam cum animarum interitu adhibeant ad contuendos vel in speculo illos, quos perditè adamant, fallendúmque importunissimum eorum desiderium. Missos insuper facio illos, quibus absentia sponsi, vel sponsæ tabem, tabes autem mortem peperit.

Sufficiet mihi aureum Chrysostomi pronunciatum, quo mœroris naturalis ingenium bellè exprimit, dum carissimam Olympiadem ob suum Chrysostomi exilium incredibiliter afflictam ita solatur: *Mœror*, ait, *grave animorum tormentum est, dolor omnem sermonum vim excedens, ac supplicium omni supplicio, ac cruciatu acerbius. Siquidem pestiferum vermem imitatur, non carnem dumtaxat, sed etiam animam perstringens, ac tinea est, non ossium tantùm, sed etiam mentis, ac perpetuus carnifex, non latus fodiens, sed animi vires labefactans, & perpetua nox, & tenebræ, & tempestas, ac procella, & obscura febris, quavis febri vehementiùs exurens; & bellum induciarum expers.* Hæc ipse, quæ satis constat tantum cedere luctui defunctorum, quantum Numinis jactura probè cognita, atquè æstimata cedit alterius utcumque cari capitis absentiæ, aut jacturæ:

131. *Item dolor Patrum in Limbo.*

Ad sacros itaque Numinis amatores venio, quippe quibus cum piis manibus major hujus generis inest similitudo. Nota sunt Adami, Sethi, Enochi, aliorúmque Sanctorum è Limbo Patrum suspiria, Isaiæ voce expressa: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum. aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Utinam disrumperes cœlos, & descenderes*, & hujusmodi: quæ suspiria utique tristitiam eorumdem indicant: præsertim cum Sapiente teste Proverb. 13. *Spes quæ differtur, affligat animam*, sive ut est in Hæbreo: *Languor fit, & ægritudo cordis*, & Patrum aliqui à ter mille annis Limbo attinerentur. Verùm eam tristitiam multum levabat, ut diximus, tum quòd cœlo frui non erat in eorum potestate, pretio Redemptionis humanæ necdum persoluto, tum quòd nullâ eorumdem culpâ cœli fores occlusæ erant: contra quam piis animis accidit, quæ, & viæ terminum, tempúsque cernendæ cœlestis hæreditatis nactæ sunt, & culpâ suâ eâ excluduntur: unde dolor maximè ingravescit.

132. *Et Sanctorum mortalium à Deo exulantium.*

Antiquos illos Patres sequuntur mortales sancti, quorum, & suo nomine Vates Regius cervi anhelantis ad aquas similitudine suam explicat fontium æternorum sitim, indéque natam mœstitiam. *Quemadmodum*, inquit, *desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Domini? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur quotidie, ubi est Deus tuus?* En sitim Sanctorum, en mœrorem. Et aliàs: *Quare*, ait, *tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo: quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus*: Et aliàs: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. In terrâ desertâ, & invia, & inaquosâ, sic in Sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* Nempe ut acriter sitienti durum est, in solo arido & invio deprehensum errare: ita viris Sanctis in hoc mundo agere.

133. *S. Pauli, & aliorum.*

Verùm Gentium Apostolus suo pariter, ac Sanctorum nomine easdem angustias illustriùs exprimit, dum ait: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rom. 7. nimirum corpus animæ carcerem esse insinuat sanè tristem, & horrendum; vel etiam esse tetrum cadaver, dum corpus mortis, seu mortuum vocat, unde præ fœtore, & horrore exilire animus vehementer exoptet. Quid? quod aliàs dolorem ejusmodi parturientis doloribus comparat. Sic enim ait Rom. 8. *Scimus quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc, non solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus*: scilicet velut ex difficili puerperio, *adoptionem filiorum exspectantes redemptionem corporis nostri.* Quare Augustinus alludens ad illud ejusdem Pauli votum: *Cupio dissolvi, & esse cum*

Christo: affirmat tomo 9. tractatu 9. in 1. Joannis nonnullos esse qui cum patientiâ moriantur, nonnullos qui cum eâ vivant. Ac tum, *vide*, ait, *Apostolum patienter viventem, id est, cum patientiâ hîc non amare vitam, sed tolerare, dissolvi enim, & esse cum Christo multo magis optimum.* Quos inter patientes, & fæliciter miseros, Sanctus Joannes Evangelista, jam senex cùm retulit illa Christi: *Jam venio*, citò subjicit: *Veni Domine JESV, Amen.* Gregorius item Nazianzenus, *Domine*, ait, *solve hanc tunicam mihi adeò gravem: leviorem concede.* Vincentius autem Carafa, Societatis JESU lumen, mortis desiderio, mœroréque ex ejus morâ manante contabuisset, nisi solatio fuisset Numinis voluntas, manere illum in exilio iubentis. Et sanè quot momentis à cœli possessione retardabatur, toties eiusdem iacturam facere videbatur. Et erat hic constans animi illius sensus, quem non rarò sociis prodebat, nisi vitæ huic præsenti solatium ab amore Numinis suppeteret, atque à studio illius gloriæ, illam morte ipsi intolerabiliorem fore. Denique ita constituta erat Sancta Theresia, ut præ Sponsi sui coram intuendi desiderio vitam pro acerbâ morte, mortem pro vitâ haberet: adeò grave illi erat ab eius conspectu, amplexúque vel tantisper retardari. Sed quis disertiùs, pleniúsque hunc sensum exprimat, quàm mellifluus Bernardus. Hîc enim Serm. 34. in Cantica: *Anima*, inquit, *quæ semel à Deo didicit in intimis suis Dei præsentia suspirare, & quærere faciem eius semper, talis anima, nescio an ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius, pœnaliúsque ducat, quàm post spiritualis studii huius, gustatam semel suavitatem, exire denuò ad illecebras, vel potiùs molestias carnis. Audi enim hominem expertum, quæ loquitur. Bonus es, inquit, Domine sperantibus in te, animæ quærenti te. Audi: & alium similem huic. Tibi dixit cor meum: exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.*

134. *Causa ejus tristitiæ prior.* Cujus molestiæ magnitudo ex causâ illius potissimùm innotescet. Quam ego duplicem comperio. Prior est, quam hactenus non semel insinuavimus, quod amoris proprium sit amantem in rem amatam transdere, quantum licet, atque adeò ad arctissimum cum eò nexum impellere. Atqui animus hac in vitâ, non nisi vi viam sibi facit per phantasmatum nubila, ad Numinis contemplationem, eámque caligini semper immistam. Hinc autem fit, ut amor, notitiæ proles, matrem imitatus, lentus sæpè sit, & languidus, qui languor ipsi caritati odiosus, & intolerandus est. Quæ caritas cùm cœlo planè exulet, ubi propter summi boni clarum intuitum suas omnes vires, suúmque exerit ardorem. Scilicet viri Sancti ea incensi, & vehementer aspirant in cœlum, & illius desiderium ægerrimè ferunt.

Sed posterior eius rei causa, etsi ab istâ priore profluat, est tamen ad ingenerandam mœstitiam efficacior. 135. *Posterior.* In eo porrò consistit, quòd iidem Dei amici caritatis impulsu summoperè oderint culpam omnem, quippe Deo inimicam: lethalem verò maximè, quod à Deo animam sponte avellat, & quidem dissidio sempiterno. Cùm ergo vita mortalis culpæ etiam mortali semper exposita sit, & frequentibus levioribus noxis necessitate quâdam coinquinetur, nimirum vitam pariter odêre Sancti, & ambiunt mortem, tot periculorum, noxarúmque immunem. Nec dicas longiore vitâ merita cumulari, iúsque ad ampliorem in cœlo gloriam acquiri, atque adeò ad puriorem, ardentiorémque & quidem perennem Numinis amorem. Sat enim norunt minimam supremæ illius Maiestatis iniuriam, velleviſſimo peccato inflictam, nullo vel Cælitum omnium honore, amoréve quantumvis æterno, compensari posse: tantum abest, ut suo, licèt castissimo in cœlis amore, quem longior vita compararet, plurimas, quibus obnoxia est, noxas compensare possint. Denique probè intelligunt omnem Dei iniuriam, ac offensam, quòd malum sit ipsius Dei ob personæ infinitam dignitatem, omni rerum conditarum bono, quod & in piis operibus, laudéque, & amore Numinis positum est, nec potest non finitum & limitatum esse, longè pluris æstimandum. Atque hac etiam causa Vincentius ille Carafa ad cœlum anhelabat; eâdem Sotuellus ex eadem Societate JESU ad martyrium se animabat. Eâdem Ildephonsa de Luna, Comestabilis Castellæ filia, virgo perquàm religiosa, cùm mortis tempus imminere animadverteret, teste Joanne à S. Maria, clamare cœpit uni è Sanctimonialibus ex intimâ lætitiâ: *Benedictus Deus: En ecce diem extremum, quo offensæ Numinis obnoxia ero.*

136. *Mœror SS. mortalium cedit mœrori defunctorum.* Cæterùm si diuturnitas in hoc vitæ exilio sanctis hominibus adeò gravis, & acerba est, pùs manibus exilii sui moram multo acerbiorem esse necesse est. Siquidem ut superiùs ostendimus, quamvis illi cum his amore supernaturali cœlestium certare possint, cedunt tamen eorum desiderio. Deinde etsi languor amoris viventium caritati invisus, & molestus est, etiam tamen

cœli

cœli desiderium in eis remittit, ac proinde & tristitiam ex eo desiderio alioqui manaturam. Præterea licèt peccandi pericula vitam, cui implicita sunt, efficiant odiosam, quòd peccatum adeò Numini sit injuriosum, tamen ejus amaritudinem lenit ejusdem Numinis voluntas, ut in istiusmodi periculis versentur. Et quemadmodum Deus mundum condere constituit, tametsi præscius innumerabilium, gravissimarúmque noxarum, seu ab improbis geniis, seu ab hominibus totâ retrò æternitate committendarum; ita pios mortales solatur, quod etsi divina mens omnes eorum culpas præviderit, ipsos tamen vivere voluerit; maximè, quod ex illarum condonatione par injuriæ Deo factæ gloria Numinis effloreſcat. Deinde insitum naturæ vivendi desiderium omnem illam vim tristitiæ Sanctorum, velint nolint, nec parum, & facilè frangit. Ex quibus manifestum fit tristitiam piorum manium ex solâ exilii sui morâ perceptum, sine controversiâ omnem illam Sanctorum mœstitiam longè excedere.

§. 6.

Confertur idem dolor cum dolore Beatæ Virginis.

137. *Mœror D. Virginis.* COMPONENDA nunc igitur cum dolore Immaculatæ Deiparæ. Porrò illius magnitudo expendi potest primùm ex Sanctorum Patrum sententiis. Atque Anselmus quidem de Excel. Virginis c. 5. illam alloquens: *Verè*, ait, *pertransiit animam tuam doloris gladius, qui tibi amarior fuit doloribus cuiusvis corporeæ passionis.* Quin imò usque eò assurgit, ut eodem loco affirmet, quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuisse, aut potiùs nihil, comparatione ipsius passionis. Bernardinus verò admirabilem hoc in genere sententiam dixit Tomo 1. Serm. 61. art. 3. cap. 2. Tantus, inquit, fuit dolor Virginis, ut si omnes in creaturas, quæ pati possunt, divideretur, omnes subitò perirent. Cui apertè consequens est tantum doloris sustinuisse Deiparam, quantum sustineret, qui omnium animantium, hominúmque mortiferos dolores, mortésque unus pateretur: quod sanè est admirabile.

138. *Causæ acerbitatis.* Causæ autem tantæ acerbitatis proferri possunt, partim quòd animus doloris capacior sit, quàm corpus, cujus sensum insolita vis doloris obtundit, partim quòd Virginis amor omnium hominum, Angelorumque amores vinceret, unde erumpere oportuit ingentem de Christi adeò dilecti cruciatibus dolorem; præsertim cùm eum ipsa, ejúsque dignitatem penitiùs, quàm cæteri omnes, cognosceret: partim tormentorum Christi immensitas quædam, quæ cor tenerrimæ, optimæque Matris eodem, quo Christi corpus, animúmque ictu configebat, partim Virginei doloris diuturnitas, saltem ab annunciatâ Verbi Incarnatione, usque ad finem vitæ Marianæ, partim & maximè atrocissimæ injuriæ Divinitati Christi inflictæ, infligendæque peccatis mortalium, eorúmque secutura exinde æterni carceris supplicia.

Ut autem ad collationem propositam propiùs accedamus, procedamúsque distinctiùs, duplex observandum est doloris Mariani objectum in uno Christo repertum, duplex scilicet ejusdem Redemptoris dolor, prior corporis, posterior animi. Nunc itaque aio, Immaculatam Deiparam non tantum tristitiæ concepisse ex contemplatione, aut intuitu cruciatuum corporis Christi, quantum pii manes percipiunt ex retardatione visionis beatificæ suâ culpâ dilatæ. Etenim non plus Matri doloris peperêre cruciatus illi, quàm filio: ut satis liquidò patet. Atqui filio, ac Redemptori nostro non fuêre acerbiores purgantibus cruciamentis, ut patet ex Divo Thoma 3. p. quæst 46. art. 6. 139. *Confertur hic cum dolore defunctorum.*

De posteriore dolore videtur aliter sentiendum. Nam injuria in Divinitatem illata, item plurimorum damnatio ad orcum, scilicet immenso majus malum est temporariâ cælestis hæreditatis privatione. Quemadmodum igitur Christo longè amplius doloris inussit illa injuria, damnatióque, quàm piis manibus sua retardatio: ita & Deiparæ. Cùm, & ipsa Herois sapientissima magnitudini mali dolorem adæquare vellet, & verò posset. Ut enim Deus Opt. Max. Matrem voluit plus animo capere divini amoris, quàm cælites omnes, ac mortales: ita, & ingentis doloris pectus capax illi dedit, præsertim cùm etiam Martyrum Reginam esse vellet, quæ gloria non satis illi congruè tribueretur, nisi cordis ejus *Martyrium*, ut loquitur Bernardus, *cætera martyria doloris acerbitate vinceret.* Atque hoc respectu ratum esse potest Anselmi illud effatum: *Quidquid crudelitas in Martyres exprompsit, nihil esse ad Virginis dolores.* Nam omne illud malum pœnæ, malúmque creaturæ, & breve quidem fuit, atque adeò natum non erat tantoperè illos cruciare, ut Virginem, peccatum (quod Dei malum est ac proinde certâ ratione infinitum) ut item damnatio ad cruciatus in- 140. *Et præfertur.*

gentes, & æternos; quia utrumque Virgineis oculis semper objectum, tenerrimum ejus cor eò teneriùs affecit, quòd noxarum totius humani generis, & innumerabilium tartari mancipiorum supplicia, multitudine, & magnitudine prope immensa sunt, & utraque in damnatis æterna. Atque ita illud superius Bernardini dictum, licèt fidem fortasse excedat, si præsertim, sic intelligatur, ut singulis momentis, tantum Beata Virgo passa fuisse dicatur, quantum sufficeret ad omnes res doloris capaces interimendas, tamen non omninò supra modum esse videbitur.

§. 7.

Eadem tristitia ex mora beatitudinis piorum manium, dictis, atque ostentis comprobatur.

141. *Mœror animæ Comitis ob pœnam damni.*

NARRAT Blosius, vir in asceticis non obscuræ famæ, nonnulla, unde eadem veritas eluceſcit, quæ ego ipsiusmet verbis fideliter reddo. Anima cujusdam juvenis Comitis post mortem apparuit Sanctæ Melchtildi, à quâ interrogata utrùm pœnam aliquam sentiret, respondit se nullam pœnam sentire, nisi quòd amantissimum Deum suum non videret, quem *ingenti, & ineffabili* desiderio conspicere cupiebat. Dicebat enim quòd anima mole corruptibilis carnis adhuc gravata multum impeditur necessitatibus corporalibus, nunc comedendo, nunc aliud faciendo, nunc cum hominibus conversando: sed anima pia, quæ corpore soluta est, quia Deum, summum bonum jam magis cognoscit, *inæstimabili* ejus flagrat desiderio. Ita piissimus Præsul, qui statim addit ex eo desiderio dolorem emanare admodum gravem, & molestum: nec dubitabit, qui expendet illud desiderium *inæstimabile* vocari: Cùm enim dolor desiderio adæquetur, conficitur & hunc omni nostrâ æstimatione esse graviorem. Cæterùm ita pergit.

142. *Mœror aliarum.*

Eadem Virgo Melchtildis aliquando spiritu perducta est in hortum amœnissimum, cœlo vicinum. Ubi erat copiosa multitudo animarum, quæ non aliam pœnam sustinebant, quàm vermem conscientiæ, unamquamque vehementer arguentis; quòd benignissimo, atque dulcissimo Deo suo fidelis non fuerat: unde, & ad eum post mortem sine impedimento pervenire non promeruerat. Qui quidem vermis animam non deserit, donec illa intret in plenum gaudium Domini sui. Ita ille. Quàm autem mordax sit, & atrox ille conscientiæ vermis, atque jugis illa humanæ in dulcissimum Deum infidelitatis memoria, intelligi potest ex sævitie ejus vermis, qui mortales etiam insolentissimos ad laqueum, atque in malam crucem egit. Etsi enim horum conscientia scelerum, desperationi mixta sit, tamen nec jugis esse potest, nec tam liquida, nec tanti æstimare solet, aut etiam valet peccati gravitatem, vel damna, quanti pii manes. Certè novi ego hominem, qui licèt divino lumine prorsùs singulari illustratus, à nescio quo atheismi genere animum ad serium Numinis cultum traduxerat, adeò cruciari conscientiæ tormento solitum per annos aliquot, ut cùm brachium luxatum, & loco summotum, jámque frigidum, ingenti, ut solet, cum dolore in suam cotilen denuò induci sensisset, cùm etiam aliàs ad extrema vi morbi redactus esset, & sacro oleo inunctus, tamen maluisset ea mala, quæ pertulerat, singulis momentis, quàm iisdem conscientiæ cârnificinam perpeti.

143. *Mœror ejusdem generis alicujus Iesuitæ.*

Verùm necdum ipsæ animæ vita functæ nobis disertè significavêre tristitiæ suæ magnitudinem. eam igitur illa nobis testetur quæ Joanni Fernandez è Societate JESU viro Apostolico spectandam se dedit, teste Nierembergio lib. 2. de Pulch. Dei, cap. 11. *Cùm ille ecstasim aliquando pateretur, visus est sibi in spatiosum, amœnissimúmque hortum duci: ibi verò animam conspexit veste adeò miri splendoris, artísque, & operis Phrygioniti circumdatam, ut divinum ei aliquid inesse suspicaretur. Cùm autem ad eam propiùs accessisset, quæ vé esset, suscitaretur; respondit hæc, sese de Societate JESV fuisse, nomenque suum indicavit. Tum Fernandez admirabundus exclamavit, heu! inquiens, haud dubiè illustrem gloriam assecuta es. At anima, excepit, adhuc me tenet acerbus dolor. En iste mihi locus purgandæ assignatus est: quod SS. Triadem, cuius tamen beneficio castitatis florem illibatum servavi, frigidè nimis dilexerim, propterea desideriorum flammâ succensa hîc hærere cogor.*

144. *Mœror ingens Fr. Conversi.*

Huc quoque spectat, & sententiam hactenus explanatam mirificè confirmat, quod in Insinuationibus Sanctæ Gertrudis commemoratur. Verba ipsa Authoris exscribo, nam pia simplicitate sua fidem merentur. *Orans*, inquit de Sanctâ Gertrude, *vice quadam pro animâ fratris Hermanni conversi, nuper defuncti, cùm perquireret à Domino, ubi esset; Dominus respondit, adest. Propter orationes enim, quæ modò pro eo devotiùs funduntur, advocavimus eum, ut aliqualiter epuletur nobiscum.*

nobiscum. Hinc apparuit Dominus tamquam Pater-familias sedens ad tabulam, super quam videbatur præsentari totum, quod pro animâ illâ fiebat in oblationibus, orationibus, desideriis, & similibus. Apparuit etiam anima iam dicta, sedens in fine tabulæ mœrenti animo, & vultu dejecto, velut nondum purgata, nec digna, quæ iucunda contemplatione amabilis vultus Dei consolaretur. Videbatur tamen ex eo aliquantulum serenari, quòd ex oblationibus supra dictis aliquid quasi vapor de calidis ferculis exiens, ad ipsam reflectebatur, unde mirificè recreabatur. Et post nonnulla sic author: *Ex his omnibus, sed & maximè ex affectu supplicantium de horâ in horam semper amplius serenata, cœpit magis, magisque convertere, & levare oculos ad iucundissimum lumen beatificantis Divinitatis, quod irreverberato intuitu aspexisse, est omnium gravaminum etiam memoriam veraciter deposuisse, & abundantiam bonorum æternæ beatitudinis immarcessibiliter induisse. Ista verò quidem, quæ pro ipsa orabat, cùm videret eam in tali statu quiescere, requisivit ab ea dicens, pro quâ culpâ, nunc maximè gravaris, & anima propter propriam voluntatem, & proprium consilium; unde & pro eo nunc tantum gravamen conscientiæ perfero, quod si in unum redigerentur omnium mortalium cordium gravamina, simile mihi non videretur illi, quod sentio. Tunc ista quali remedio posset tibi subveniri? & anima. Si quis cogitaret me pro his gravatam, & caveret sibi à similibus, multum mihi gravamen allevaret.* Hactenus Author. Unde colligere licet mirabilem pœnæ damni atrocitatem. Nam gravamen illud cordis, quod anima omnium mortalium gravamina excedere asserit, utique mœror animi est, ob noxam illam tenacioris voluntatis, ac judicii, pertinétque ad pœnam damni, ut magis ex dicendis constabit.

§. 8.

Paræneſis ad commiſerationem animarum ob moram intuitûs beatifici.

145. *Nulla par jacturæ defunctorum misericordia mortalium.*

EQUIDEM ex dictis abundè colligi potest commiserationem piorum manium summam esse oportere, cùm miseria vel ob solam damni pœnam summa sit. Sed & hoc non minus constare debet tantæ miseriæ mortalium misericordiam parem esse non posse. Cùm enim illa licèt temporaria tantum Numinis jactura, mille, ac mille carissimorum capitum amissionem, imò mille, ac mille mundorum jacturam superet, oporteret tantam excitari in nobis miserationem in unicum è piis manibus, quantam excitari par esset, si mille, ac mille mortales nobis amicissimi, conjugum, ac liberorum, & omnium facultatum jacturam facerent; quantumvis illæ Imperia, & Regna, imò, & mundos æquarent. Certè si singulorum pectus, tantorum affectuum capax esset, quantos universi regni alicujus incolæ, dum carissimum, præstantissimúmque Regem, & alterum Josiam mors acerba vivis eripit, concipere soliti sunt: non existimo, vel tum singulos nostrûm digna commiseratione hanc unicam damni pœnam unius animæ prosecuturos. Quare neque Jeremiæ Vatis lacrymas super Jerosolymæ excidio, neque Salviani planctus super Imperii, Ecclesiæque Romanæ, & Africanæ extremâ clade, neque Mathatiæ, ejúsque filiorum quæstus, ac lamenta super legis, ac gentis Hebrææ exitio, neque verò alterius sancti viri, aut fœminæ, utcumque ad animi motiones facilis, commiserationem aliud esse arbitror, quàm umbram ejus, qua digni sunt singuli manes ob tantam, támque acerbam jacturam, quemadmodum omnis humana cogitatio, jacturæ piorum manium adumbratio tantum est.

146. *Adhibenda tamen similis commiserationi in Abelem mortuum.*

Verùm etsi par eorum miseriæ, misericordia nulla esse possit, concitanda tamen, & ad opem ferendam perducenda est, quanta hoc in orbe potest esse maxima. Sed multum peto: utinam saltem nos ipsi iis defunctis, quibus aliquo nomine obstricti sumus, particulam aliquam, vel opis, vel miserationis, quæ in miseros mortales in causâ omninò impari, sed non dissimili effundi solet, aliquando redderemus! Similis certè fuit piorum manium calamitati, orbitas primorum parentum ex Abelis carissimi filii nece à Caïno fratre patratâ. Quippe miti, placidóque ingenio erat Abel, mente candidus, vultu verecundus, linguâ sincerus: insigni in parentem observantiâ, in matrem amore, in Deum religione. Contra Caïnus indole asperâ, querulâ, intractabili, immorigerâ, divinorum contemptrice. Quæ res parentis utriusque amorem in Abelem longo jam spatio, nempe centum, ac viginti novem annorum, quibus vixisse fertur Abel, vehementer amplificârat. Cùm ergo Caïn nefario scelere fratrem trucidavit, delicias suas, ac prope vitam parentibus eripuit: & Abel nominis sui propheticam, ac malè ominosam interpretationem implevit. Abel enim à Josepho, Eusebio, Origene, Hieronymo, Ruperto, luctus exponitur: Et certè Rabbini

luctui Adami ob Abelis mortem centum annos attribuunt, volúntque illum in valle lacrymarum ad Hebron ploratui eo tempore vitam insumpsisse. Et sunt qui illi subscribant. Quem igitur parem illi mortalium luctum; quam in miseros manes divinæ vitæ exortes commiserationem hac in vitâ invenias.

147. *Similis item luctui Iephtiadis.*

Sed quid dices de planctu Israëlitidum super Jepthiadis, vel morte, vel exilio, sive perenni custodiâ? Ibat ovans illa cum timpanis, & choris in occursum amplexúmque Patris, insignem ex Ammonitis victoriam referentis, quando ex ipso sibi moriendum, & patris quidem gladio audivit, & piissimè acquievit. Cúmque post duos menses, quos ad lugendam sortem suam à patre impetrârat, ad eum reversa esset, ejusdem ense Deo immolata est. *Exinde mos increbuit in Israël, & consuetudo conservata est, ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israël, & plangant filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor*, Jud. 11. Audis planctum, & anniversarium, & quatriduanum Virginei Israëlitidum chori, super morte, vel ut censet Salianus, super quodam exilio, custodiâque Jepthiadis, qualem custodiam Virgines Christianæ Deo consecratæ, voluntate suâ subeunt? Nosti autem, & pios manes attineri carcere, dum reportatâ, partim à Deo parente suo, partim à se de hostibus victoriâ velut ovantes ad amplexum æterni Patris contendunt. Itaque dic age, quæ Christianorum natio adeò celebri, solemníque ritu suorum manium exilium illud infandum, ac morte tristius plangit? Et nos quidem illis solemnem anniversarium damus, sed ferè dimidiatum diem, & illum dividimus universis piis manibus: aut certè parentibus mortuis aliàs solvimus, vel potiùs solvi curamus, dum alia omnia cogitamus.

148. *Aut Irenes Imperatricis.*

Quid alios similes casus, nec imparia illi lamenta referam? Indoluit etiam orbis ipse universus ad infæliciſſimam sortem Irenes Imperatricis Orientis, admodum affinem sorti fidelium Deo defunctorum. Illa cùm Imperii Orientalis resumpsisset habenas, quas Constantinus ejus filius, homo profligatissimæ vitæ, impurissimis amoribus, & humano sanguine sæpiùs contaminaverat, Legatos ad Carolum Magnum miserat, qui suo nomine ejus secum nuptias exposcerent, firmando scilicet Orientis Imperio. Annuit hic, in eámque rem honorificam ad ipsam instituit legationem, sed cùm Legati Caroli Constantinopolim adventassent, comperêre Nicephorum quemdam Irene solio deturbatâ, perfidissimè Imperium occupare. Porrò Imperatricem in Lesbon Insulam deportari jusserat, ubi brevi mœrore extincta est, atqui similiter animæ post mortem piè obitam ad nuptias *cum Rege sæculorum immortali* aspirant: at longè, quàm Irene ardentiùs; & ecce dum eas ambiunt avidissimè, heu! longè à Regis conspectu in profundissimum lacum deturbantur, ubi, nisi essent naturâ immortales (tantus est ob id infortunii dolor) singulis prope momentis extinguerentur: & tamen pauci eas miserantur, pauciores opitulantur, pauciſſimi, quod licet, carcere, & exilio eximunt.

149. *Iuvandi quos vivos in minoribus damnis juvabamus*

Quæ cùm ita sint, tu saltem, ô mi Christiane Lector, animarum Deo fidelium in tantâ aliorum Mæcenatum paucitate, in tantâ mortalium oblivione, curam aliquam suscipe, tantâ earum calamitate, vel ex solâ damni pœnâ manante dignam; imò quia nulla digna esse potest, saltem Christiano pectore non indignam gere: Hanc enim saltem reddere illis convenit, quorum singulis, si tantum quisque miserationis, & lacrymarum daret, quantum profusum pro exiliis, ac vinculis carissimorum capitum, pœnam tamen damni unicam non æquaret. Ergo qui tuorum damna modica, leviúmque rerum jacturam, quales sunt utique omnes terrenæ, non mediocriter plangis, eámque quâ vales ope, & operâ, vel præcaves, vel reparare studes: qui eos ipsos, qui Numinis jacturam nunc acerbissimè ferunt, solari, & adjuvare in negotiis, commerciis minus fælicibus, solitus eras, vide etiam atque etiam, ne auxilio tuo destituas: præsertim cùm eos Dei intuitu donare longè tibi faciliùs sit, quàm eosdem temporalibus damnis eximere. Id inquam vehementer cave ne tu alioqui jacturam illam ingentem visionis beatificæ, minoris, quàm leviſſima rerum terrenarum detrimenta facere videaris.

ARTICULUS II.

Animarum ingens tristitia ex privatione amoris beatifici, ejusq; effectuum.

§. 1.

De jactura amoris.

NON nescio Authores, qui mœrorem ex retardatione visionis beatificæ hausturn, omnibus hujus vitæ mœroribus anteponunt, non divellere visionem

ab

ab amore beatifico: sed ut in cœlo reipsa semper cohærent, simúlque juncta beatitudinem efficiunt; ita hæc conjungere, paritérque ortos ex privatione mœrores. Ego tamen amplioris lucis gratiâ de singulis sigillatim ago, & cùm proximè superiùs de visionis dilatione dixerim, nunc de amoris beatifici temporariâ, brevíque jacturâ dicere aggredior. Cùm igitur quælibet jactura boni, tantum malum reputetur, quantum bonum ejus possessio: expendenda nunc primùm amoris beatifici dignitas ex ejus naturâ, tum ex effectis, quorum præcipua hîc proferemus sanè eximia.

150. *Quid amor beatificus.* Quid igitur beatificus amor? Nimirum pondus quoddam, & impetus animi in Deum coram, & perspicuè, prout in se est, visum. Etenim cùm generatim proprium boni sit trahere voluntatem, summum illud bonum clarè cognitum eam vehementissimè pertrahat necesse est. Trahi porrò illam, ac potiùs rapi in Deum, amare est: trahi autem abs illo cognito ut in se est, utque omnia velut sinu suo complectitur, quæ expeti, & exsaturare possunt, est amando effici beatum. Igitur ad nobilissimum hunc amoris partum operam conferunt, & qui voluntatem pertrahit, Deus, & quæ trahitur voluntas: & quia sola nec sic trahi, nec nobiliorem se fœtum efferre potest, amorem beatificum, per habitum charitatis, corroboretur oportet. Atque hæ sunt causæ, seu parentes amoris. Visio autem beatifica, non amoris causa, sed causarum applicatio est ad effectionem amoris, licèt ex ejus claritate, ingens amoris beatifici præstantia emicet.

151. *Quâ differat ab amore viæ.* Siquidem visio illa ita Deum, Deíque decora omnia exprimit, ut alius planè à seipso per fidem cognito videatur. Ut enim per fidem confusè dumtaxat, & perobscurè cognoscitur: adeò ut non cognosci dici possit, propterea quod nihil divinum prout in se est, obversetur, sed velut speciem, ac formam indutum alienam: ita quando per clarum intuitum pervidetur, planè novo modo apparet, quasi si revera nova divinitas esset, atque adeò nova ejus bonitas, sapientia, charitas, iustitia, nova denique immensitas foret. Atqui eâdem ratione voluntati se insinuat Deus, quâ intelligentiæ se cognoscendum præbet, igitur clarè conspectus, tam potenter, tam novè, admirabilitérque afficit voluntatem, ac proinde tam potentem, tam novum, admirabilémque ex eâ elicit sui amorem, ut amor per fidei notitiam partus, planè diversus essentia, imò prope nullus censeri debeat. Quare Ægidius quidem Coninckus, ita se habere docet amorem viæ, & patriæ, ut pueri, & viri gemmarii amorem, æstimationémque nobilis gemmæ. Lessius autem, aliíque notitiam, amorémque hujus viæ, ac vitæ comparant, cum cœci notitiâ, amoréque lucis solaris; notitiam verò, amorémque patriæ, cum videntis intuitu, amoréque ejusdem lucis. Angelicus denique Doctor 22. quæst. 24. art. 7. tradit charitatem viæ, quantumvis crescat, nunquam ad charitatem patriæ pertingere, eo quòd, ait, *hæ duæ dilectiones habent quantitatem diversæ rationis: quemadmodum linea, quantumvis augeatur, non potest umquam superficiei, seu latitudini exæquari.* Denique Augustinus lib. de Spirit. & litt. c. 36. appellat illam patriæ charitatem, *supereminentissimam.*

Hæc verò, & alia ejusmodi ornamenta cœlestis charitatis, cùm longè meliùs, quàm nos, intelligant purgandæ animæ, quis ambigat, quin gravissimè doleant sibi per culpam suam integrum non esse illis illius flammis exardescere? Etenim amant quidem optimum Numen in suo carcere, & vehementer amant; sed cùm adhuc in fidei caligine, & ipsæ versentur, noverintque quemcumque amorem suum nihil esse ad amorem patriæ, quo jam potirentur, nisi vecordiâ suâ, divino lumini rebelles antehac fuissent, scilicet amoris sui frigus damnant, dolentissiméque ferunt non posse se tam eximio illo, ac cœlesti amore totas nunc inflammari. Eò maximè quòd nescio quo pacto amor hic expetendus videtur, præ visione Dei, ac possessione. Nam possessio quidem spei meta est, atque, ut vocant, objectum; amor autem beatificus castissimi amoris scopus, ac votum; quare mallent omninò quælibet tormenta, & cujusvis boni jacturam perennem perpeti, quàm brevissimam hujus amoris, quippe longè præstabilioris boni, gratioríque rectæ voluntati, quàm horribilis sit, vel jactura quælibet, vel miseria. Itaque hac maximè causâ ingemiscunt amantissimæ animæ cum Propheta Ps. 119. *Heu mihi!* quia *incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar*, sive ut Hæbræi, *cum tabernaculis Cedar.* Quæ vox tenebras, ac nigredinem notat, atque adeò simul fidei caliginem, simul tenebras purgantium locorum. ubi licet non domos mansuras, sed tabernacula peregrinantium incolant pii manes, tamen præ dolore exclamant: *Multum*, id est, *nimis incola fuit anima mea.*

152. *Ex ejus naturæ præstantia ingens dolor.*

153. *Declaratur ex SS. mœrore de inopia amoris.* Nam si mortales ipsi gravissimè cruciantur recordatione languoris in amando sui: si mortem mallent, quàm eum ferre; si

celebris

celebris ille mundi contemptor Jacoponus, rogatus aliquando lacrymarum suarum sanè uberum causam, hanc reddidit, quòd amor, sive Christus Cruci affixus minimè diligeretur. Si Magdalena Pazia, notæ sanctitatis fœmina, præ ejusdem Christi in Cruce pendentis amore ecstasim patiens sic exclamaret: *O Amor! O Amor! quàm parum agnosceris, quàm parum amaris! Si sedes, ubi quiescas, nulla se offert, veni, ha veni in cor meum, ego te ut magistrum eximium, ut supremum Dominum excipiam.* Tum brachiis protensis, quasi advocans, vel manibus plausis quasi ad audiendum excitans, *Adeste*, succlamabat, *adeste animæ, & amate amorem. O animæ ex amore conditæ, & ad amoris amorem, quanto mihi supplicio, ac mœrore constat, ex Deo meo scire, quàm exiguus sit vester amoris amor.* Si, inquam, mortales alieni in Christum amoris languore, tantoperè ingemiscebant; quàm acerbi, quàm perennes erunt defunctorum gemitus pro suo in amandâ Divinitate frigore? præsertim, cùm hæc propter semetipsam multo dignior amore sit, quàm propter benefacta Redemptoris.

§. 2.

De jactura effectuum amoris beatifici.

154. *Ecstasis primus amoris beatifici effectus.*

VERÙM acerbitas illa manifestior erit, propositis amoris beatifici effectis. Hæc recensens Lessius l. 2. de summo bono cap. 12. primam statuit ecstasim: non illam quidem, quâ mens ita rapitur in Deum vi contemplationis, amorisque, ut virium inferiorum, ac præsertim sensuum, imò, & subinde facultatis vitalis operationes intercipiantur, ac cessent, (hæc enim imbecillitatis humanæ index est, incongrua gloriæ) sed hanc, quâ sic animus transfertur in eumdem Deum, ut à seipso prorsùs exeat, sui, ac suorum prorsùs negligens, idque tantummodo, vel cogitans, vel apperens, quod ad dilectum spectet. Quæ quidem ecstasis efficit, ut quisque beatus Deo in omnibus inviolabiliter acquiescat, adeò ut cùm suos etiam orco adjudicari videat, ne tum quidem tristetur, sed potiùs Numinis justitiam dilaudet.

155. *Ejus jactura defunctis acerba.*

Quamvis porrò pii manes ad id genus ecstaseos multum accedant, quippe qui Deo expetenda quadam necessitate, in omnibus acquiescant, velintque ad extremum terminum usque divinæ justitiæ satisfacere, nec nisi eâ re perfectâ etiam oblatam ultrò cœlestem hæreditatem possint velle adire; tamen multum quoque ab ejus perfectione distant. Deinde quod Deo sic adhæreant, id non ab intrinseco, ut aiunt, sed à protectione divinâ proficiscitur, nempe quòd in eo statu sint, unde certus ad gloriam ascensus, & certo tempore; ex quo immunitas ab omni noxâ necessariò manat, quippe quæ, vel illum ascensum omninò prohiberet, si lethalis; vel retardaret, si levis. Non igitur ita sunt comparati virtute charitatis, vel habitualis, vel actualis. Quare graviter illis dolet, quod cùm in viæ suæ termino consistant, non sic in centrum, ac finem suum rapiuntur, ut vi sui impetus omninò illi adhæreant, quod, inquam, illorum amor, si per se spectetur, ingrati animi vitio, aut etiam perfidiæ, atque adeò Dei odio, quem tantoperè diligunt, posset cedere.

156. *Alter, unio.*

Quid jam de altero amoris beatifici effectu, sive de unione dicam? Quanto ad eam studio feruntur animæ? quàm dolenter ferunt se illâ carere! Est enim illa tam optanda, eximiáque, ut ne ipsæ quidem satis capere valeant. Ut enim præteream Beatos cogitationem, aut affectum non posse à Deo ad alia traducere (quoniam summi boni species, & mentem illorum, & voluntatem ad se perpetuò rapit: ut hic, si quando aliàs, ratum sit; animam magis esse ubi amat, quàm ubi animat) ut, inquam, id præteream, quàm dulce est beatis, dilecto illi suo conjungi, ut instrumentum voluntarium motori suo, ac fini, ad omne illius arbitrium, & gloriam ingentem! Ut enim amoris est, velle illi, quem ames, benè; ita nec majus Numinis bonum excogitari potest, quàm ejus gloria vel intrinseca, quæ omnes ejus divinas perfectiones complectitur, vel extrinseca, quæ ejusdem notitiâ, & laude continetur. Illam porrò intrinsecam Deo volunt quàm maximè; & eatenus eorum amor beatificus dicitur, quòd summi, & beantis boni amor sit. Hanc verò extrinsecam gloriam non modò ab omnibus reddi vehementer desiderant, & cum Deo placitum est, curant: sed ipsæmet excellentissimam tribuunt, & Deum perfectissimè cognoscendo, & amando. Nec enim is excellentiùs commendari, laudarive potest, quàm si ab iis ametur, & ita quidem ametur, ut cætera longissimè infra illum habeant, & omnium tum mortalium, tum piorum manium amores, vel minimâ amoris sui parte exsuperent.

157. *Vehementer dolent defuncti,*

Cùm ergo hi piissimi manes probè id intelligant, & sese divinæ illi gloriæ conditos meminerint, quàm durum illis est, vi quâ-

quod gloriam Dei non magis amplificent.

vi quâdam retineri, ne eidem Beatorum instar operentur! Certè perspicuum illis est Numinis bonum quodcumque, atque adeò minimam ejus gloriam pluris faciendam esse omni creaturæ tam bono, quàm malo. Quare si Pauli, si reliqui Apostoli, si Dominici, si Francisci, Ignatii, Xaverii, Vincentii, si denique omnes Apostolici viri operæ pretium duxerunt pro animarum salute ingentes labores exhaurire, cùm pii manes voluntatem judicio suo rectissimo accommodent, quid pro Numinis laude, atque gloriâ non subirent? Si enim Alphonsus Rodriguez, gemma Laïcorum Societatis JESU, tartari cruciatibus sese devoveret pro avertendo vel unius vilissimi capitis exitio: profectò non dubium est, quin omnes hosce labores, quos hactenus animarum studium à mortalibus obtinuit, quilibet è manibus perferre singulis momentis vellet, ut divinam gloriam Beatorum more, vel ad temporis momentum amplificaret. Ex quo efficitur singulos ob negatam ejus rei copiam acerbissimum unoquoque momento dolorem persentire, quoniam amor, ac desiderium alicujus boni, doloris ex ejus jacturâ percipiendi mensura esse solet.

158. *Tertius effectus amoris beatifici liquefactio.*

Venio demum ad Beatorum liquefactionem quamdam, seu immersionem sui in abyssum Divinitatis? in quâ se quodammodo perdunt. Etenim immensitas illa boni divini, eos non ad se solùm, ut mortales, sed intra se trahit. *Nam qui Deum minimè intuetur, foris stat*, ut rectè Lessius de Sum. bono lib. 2. cap. 12. *imò procul ab illo distat, quia Deus se habet ad illum instar procul absentis. Qui verò illum clarè videt, præsens illi est, neque hæret, tamquam exterius in superficie, sed intrò ingreditur, & in illam abyssum se immergit, quantum potest. Amor enim intra dilectum commorari vult, quia hic ipsi est locus, & domus, & requies, & securitas, & omnia. Eò autem plus, vel minus quisque in abyssum illam penetrat, eoque profundiùs, vel minus profundè in eam se immergit, quò plus, vel minus luminis gloriæ, vel charitatis habuerit.* Hactenus ipse. Porrò in eâ splendidissimâ abyssо Beati & sese amittere, & sese invenire dicuntur. Amittere quidem, sive quòd tum primùm, cùm eam subeunt, vident sese instar nihili esse, ad immensum illud essentiæ pelagus: sive quod in eâ, utpote supra res omnes conditas eminentissimâ, omnis formarum & essentiarum distinctio cessat. Invenire autem se in eâdem, nihil aliud est, quàm illic ideam sui, sive, ut loquuntur, suum esse increatum, exemplare, & causale, atque adeò seipsos nobilius essendi genus sortitos cernere. Cæterùm ex his componitur beatus ille circulus, quem Dionysius in amore constituit, quia nimirum ex divinâ luce procedit lumen gloriæ in mentem creatam, ex lumine autem illo procedit amor, qui rursus mentem in Deum trahit, in eúmque immergit. Enimverò vident Beati se, suáque à Deo perpetuò, tamquam è fœcundissimo principio manare, & summis viribus contendunt in illum vi contemplationis, & amoris reverti, & toti refluere. De quibus vide loco laudato eumdem Lessium latiùs differentem.

159. *Inde dolor manium.*

Interea metire hinc, si potes, tristitiæ piorum manium gravitatem. Quàm enim acerbum illis est non immergi in abyssum illam Divinitatis, sed contra in abyssо calamitatis detineri, idque quod culpâ suâ ab eâ se aliquando averterint, & effuderint in res conditas, quæ non tam bonæ, quàm boni umbræ sunt, & revera vanissimæ vanitates! Quid? Sertorius ille Dux strenuissimus, quò fæliciùs pugnabat, majoribúsque prælis hostes vincebat in Hispaniâ, eò impensiùs à Metello, Pompeióque, hostium Ducibus petebat, ut positis armis tutò sibi Romam reverti liceret, dictitans, malle se privatum jucundissimo patriæ aspectu frui, quàm multarum urbium imperio. Quàm igitur fidelibus animis acerbum molestúmq; Divinitatis sinu, qui iis instar patriæ, ac domus est, arceri! & interea probrosè, servilémque in modum custodiâ detineri! Jacob Patriarcha, morti proximus, Josepho filio suo inter suprema id mandati dedit, ut in terram Chanaan, atque in monumentum Patrum suorum inferretur Genes. 49. Joseph quoque eò transferri ossa sua jussit: uterque quidem, ut Christo nascituro propior fieret. Quæ autem illa vicinitas, ad illum intimum, & vitalem ingressum Divinitatis? Propheta Regius Arcæ visendæ desiderio medullitùs ictus: *Quàm dilecta*, exclamat, *tabernacula tua Domine virtutum; concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini*, & aliàs: *Passer*, ait, *invenit sibi locum, & turtur nidum; altaria tua Domine virtutum, Rex meus, & Deus meus!* Quid deinde? nimirum vim desiderii sui non posse exprimi, silentio indicat; utque miseriam expromat: *Beati*, subjicit, *qui habitant in domo tuâ, Domine*, Hierosolymis inquam, *in sæcula sæculorum laudabunt te.* Sic ipse. At animæ illæ sanctæ, non ad arcam, non ad tabernaculum, sed ad ipsum Sanctum Sanctorum, non, inquam, ad signum aliquod potentiæ,

Majestatisque divinæ, sed ad sui in Deum ipsum quemdam effluxum vehementissimè suspirant.

160. *Adumbratur exemplis recentibus.*

Sed propiora producamus. Pazia illa, de quâ nuper, cùm desiderio flagraret amoris Dei, ac sponsi sui, usque eò, ut mediâ hyeme frigidam potare, faciem, & brachia ei immergere, sinúmque mergere cogeretur, oculis languentibus ac pallidis, cœlum, unde ea flamma prorumpebat, subinde suspiciens, identidem exclamabat, se ferendo imparem, æstum sibi intolerabilem esse. Ambrosius cognomento à JESU, ordinis Minimorum, cùm de divinâ charitate ad concionem diceret (dicebat autem sæpissimè) crebro singultu, atque suspirio interpellante expallescere, ac languentibus viribus deficere solitus erat. Votum ei erat in illo amoris æstu vitam ponere, sæpiúsque auditus est palam omnibus precari: *Age bone JESV, dulcis amor cordis, educ tecum tuo vinctum amore hunc animum, debitum tuæ charitati triumphum.* Itaque cum prompto Crucifixi signo, quod habebat semper in manicâ, totum se affectui permisisset, sensu repentè destitutus, eóque in gradu consistens, tantisper superfuit, ut referri posset in cubiculum, ubi Christiano more inunctus, amore Alypta, brevissimè cum morte congressus, supremùm hic amavit. Ita refert noster Joannes Rho. lib. 1. cap. 1. de amore. Et notum est non paucis amabiles hujusmodi defectiones obtigisse, omni videlicet spiritu vitali, nimiâ cordis, cui insidet, dilatatione diffluente. Quare Propheta Regius suo, & aliorum Dei amantium nomine. *Defecit*, camat, *in salutare tuum anima mea*: neque mirum, cùm profanus amor etiam vires exhauriat, tabémque inferat, dum re amatâ, optatâque frui non est integrum.

161. *Sed verè adumbratur.*

At pios illos manes, ut ardentius Numinis desiderium, ita longè gravior mœstitia tenet: nec eos dimittit, aut remittit unquam sui sensum; sed heu! defectio non deficiens, sed perpetua miseros opprimit, nec opprimit. Itaque ad Deum conversi, & ad optabilissimam ejus abyssum totis præcordiis aspirantes, *abyssus*, aiunt, *abyssum invocat*, id est, vocat, *in voce cataractarum tuarum*, Psalmo 41. Abyssus scilicet miseriæ nostræ, abyssum fælicitatis tuæ, & per tuam misericordiam brevi nostræ futuræ. O! quando hac, quâ mergimur, velut disruptis luctuum, ac lacrymarum cataractis obruti, evademus ad illam, & penitus illi immergemur? Interim eheu! *Omnia excelsa tua, & fluctus tui super nos transierunt*, omnes nimirum gurgites tui altissimi, & justitiæ tuæ, velut fluctus nos obruunt, quibus tantò calamitosiùs est tam diu inundari, quantò fæliciùs est bonitatis tuæ pelago immergi. Hæc & ejusmodi miseræ animæ.

162. *Quatuor amoris beatifici effectus: Laus Dei.*

Quibus tamen alia supervenit calamitas ex alio partu beati amoris. Est enim illi proprium erumpere in laudes dilecti, in gratiarum actiones, & optimè ei precari. Cujusmodi præconiis interfuit Joannes: Angelis nimirum in cœlo canentibus: *Benedictio, & claritas, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.* Apocal. 7. Neque id Beatis dumtaxat, sed & sanctis mortalibus solemne. Hinc nota illa Davidis: *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones eius.* Et Paulus: *Regi*, ait, *sæculorum immortali soli Deo honor, & gloria in sæcula sæculorum.* Et duo illa lumina Ecclesiæ, Ambrosius, & Augustinus, Hymnum, *Te Deum*, alternatim concinendo dicuntur composuisse. Denique Ecclesia quotidie Hymnum triumphalem cum Angelorum choris altari sacrosancto adstantibus Deo sub faciendum sacrum decantat: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabbaoth, pleni sunt cœli, & terra gloria tua, hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis.*

163. *Quam defuncti celebrant.*

Et ipsæ quidem lustrandæ animæ Dei laudes prædicant, & in gratiarum actiones pro certâ spe salutis, próque piorum suffragiis, ac precibus sibi destinatis sese effundunt. Denique cùm gratissimæ sint, nihil omittunt, quod observantia, religióque in eo genere exigere videatur. Et memini me legere Comitem quemdam, jam vitâ functum, ab Beatâ Melchtilde auditum, dum canendo gratias bono Deo ageret, *quòd morti traditus fuisset ad salutem, & consolationem suam*, idque se, & quæ ad animæ bonum pertinent, probè nosse affirmaret.

164. *At dolent quod frigidè.*

Verumtamen non parva illis tristitiæ seges, & hinc emergit: quòd laudes suæ præ cœlestibus frigidissimæ, jejunissimæque sint; nec laudum, aut gratiarum nomine dignæ. Quare, ut gratis animis molestissimum est, non posse beneficia saltem beneficiis prosequi, aut amorem in beneficos ullo modo promere: ita piis manibus permolestum est, non posse cœlestium mentium voces, ac musicam æmulari, præsertim, si (quod probatur aliquibus) damnatorum impias in Deum voces, atque execranda maledicta audiant. Est enim amoris ea velut corrigere velle contrariis

trariis laudibus, & dilectum pro meritis prædicare. Quod cùm ob culpam suam illis non liceat, abesse non potest, quin maximam inde tristitiam persentiant. Accedit, quod fortè, ut historiæ tradunt, dæmones, saltem eorum nonnullos, velut justitiæ divinæ administri, excrucient. Est autem grave tormentum, insultatio: gravissimum autem piis manibus, si quod Babylonii Israëlitis captivis, id dæmones illis cum insultatione, ludibrióque proponant: *Hymnum cantate nobis de Canticis Sion*, coganturque ipsi apud se cum intimo dolore respondere: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ?* Psm. 136. in solo, inquam, charitati alieno, quæ scilicet charitas, ut fructus sibi proprios, amorem, ac divinas laudes, quales Deum decent, progignat, in paradisum cœlestem transferri, ibique, velut in patrio solo plantari debet, ubi radiis divini solis per visionem beatificam aptè illustrata, cœlestem concipiat vigorem. Itaque clamant cum Propheta, & vehementer clamant: *Educ de custodiâ animam meam, ad confitendum Nomini tuo*, ad laudes tuas, ut par est concinendas: *Me expectant justi, donec retribuas mihi.*

165. *Mœror itaque ex his universis summus.* Ex quibus denique omnibus affatim intelligitur ingentem ex amoris beatifici jacturâ fluere in lustrandas animas mœrorem. Cùm enim singula, quæ de beatifico amore, singulisque ejus effectis diximus, ejusmodi sint, ut nec universa, quæ sunt in terris bona valeant ullatenus cum iis comparari, profectò nulla terrenorum bonorum jactura, etsi perpetua, cum brevi illorum subtractione meritò conferetur. Quare licèt animæ parem damnorum magnitudini mœstitiam non hauriant: at certè supparem, quanta demum illa est! Estimate illam vos, synceri Numinis amatores, quibus Sponsi divini, qualis qualis absentia, aut potiùs subtractio modica profluentis ex ejus consuetudine suavitatis, morte gravior est (vulgus enim hominum minimè sentit.) Aut potiùs expendite vos illam æquâ, ut potestis, lance, pii manes; quia & vos ea subtractione tantùm non opprimimini, & quidquid de eorum acerbitate judicarint mortales, cum re ipsâ, ac veritate comparatum, somnium censeri debet, aut umbra somnii. Interea tamen, ô mortales! qua licet ope, animarum illam amoris beatifici sitim, mœorémque sanguine Christi levate. Nam, amabo, quid potius illi à vobis exigere, quid vos ardentius dare illis aut potestis, aut debetis, quàm ardentem, excellentémque ejus, quem amatis, amorem? Enimverò fœcundus est, quisquis verus est amor, amorem ejus, cui afficitur, in aliis parere expetit. Quare si Deum amatis, ejus perfectiorem amorem piis manibus providete, maximè cùm eum ipsis non possitis procurare, quin simul illorum in vos benevolentiam efficaciorem, syncerioremque reddatis. Et quispiam, quæso est, qui cùm facile potest, syncerum sui non conciliet amorem? Denique piorum manium sitim amoris beatifici extinguite, & unà sitim vestram ejusdem amoris fæliciter accendetis.

ARTICULUS III.

Tristitia piorum manium ex jactura gaudii beatifici.

§. 1.

Æstimatur ex gaudii excellentia.

166. *Acerba gaudii beatifici jactura.* Non minor emanat dolor ex jacturâ gaudii beatifici, quàm ex visionis, aut amoris. Tria enim hæc pari fermè dignitate censentur, certè quidem æquè necessariò ad beatitudinem requiruntur. Imò quia gaudium, beatitudinis complementum est, (fac enim tibi videnti Deum, quem adames, subtrahi gaudium, non erit cur beatus dici possis) gaudii beatifici jactura, visionis, aut amoris privatione, eatenus acerbior videtur. Cæterùm, ut ejus gravitas æstimetur, expendenda primùm gaudii beatifici excellentia.

167. *Ex gaudii causis.* Porrò gaudium beatificum tres causas sui agnoscit, eásque præstantissimas. Etenim causæ gaudii generatim tres sunt, bonum quod tenes, facultas quâ obtines, & amor quo illi bono adhæres: hæ autem hîc omnes excellentissimæ. Nam bonum quod delectat, summum est, Deus utique infinitæ bonitatis, pulchritudinis, & suavitatis, omnem in se bonitatem, pulchritudinem, & suavitatem excellentiore, quàm alibi esse possit, modò complexus in sese. facultas autem, quæ bonum illud percipit, tenetque, mens Beati est; nobilissima hominis facultatum, & insuper lumine gloriæ supra se subvecta, & ad percipiendam, possidendámque, supereminentem illam essentiam divinam corroborata. Amor denique, quo illi inhæretur, sublimissimus, & summus. Est igitur & gaudium beatificum ex omni parte sublimissimum, & summum. In hanc sententiam Lessius, nec quispiam est, qui infitias ire possit.

168. *Confertur gaudium Beatorum cum aliis gaudiis.*

Quîcum igitur illud componas? Omnis illa quidem delectatio propria sensuum, atque adeò hominibus cum bestiis communis, quæ tanta vi illos rapit, ut beatificam præ ipsâ vilipendant, ac repudient, si cum cœlesti gaudio componatur, putida lacuna est, ad pelagus immensum mellis, ac nectaris. Illa verò liquidissima gaudia, quibus sancti viri hac in vitâ affluxêre, ut Abacuc, dum canit: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo JESV meo.* Ut Paulus, dum ait: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostrâ.* Ut Seraphicus Franciscus, dum se præ gaudio non capiens, sæpè iterat: *Deus meus & omnia.* Ut Xaverius, qui præ impotentiâ lætitiæ cœlestis ferendæ, exclamat: *Sat est Domine, Sat est!* Denique fac ejusmodi omnia in unum pectus gaudia simul infundi; fac ea ab orbe condito integra permanere ad illius finem: vis ingenuè dicam quid illud gaudium futurum sit ad cœleste, vel unius horæ, imò vel unius momenti? candelæ, inquam, lumen ad Solem, vel potiùs umbra ad corpus. Itaque altiùs, & ulteriùs procedamus. fac age creari innumeros mundos ex sanctissimis viris omnes conflatos; fac singulos tantum gaudii haurire, quantum universi mortales, qui fuêre, sunt, & erunt; pone insuper omnium gaudia æternùm illibata, syncerâque manere; & liberè, audactérque pronuntiabo, omnia illa omnium gaudia, non æquare beatuli infantis horariam lætitiam. Cur ita? propterea quòd hæc ipsa altioris ordinis est, quemadmodum, & visio, & amor beatificus, altioris ordinis quàm cognitio, amorque mortalium; ac proinde quantumcumque cognitio, & amor, & lætitia mortalium congeminentur, & cumulentur, numquam ad sublimitatem cælestium aspirare queunt, quemadmodum nec brutorum delectationes ad Sanctorum mortalium delicias. O præstantia gaudii Beatorum!

169. *Acerbissima piis manibus ejus jactura.*

Ergo durissimum est piis manibus, tantis deliciis, ac tanto gaudio ob aliquas noxas suas privatos esse. Etsi enim eorum mœror illi gaudio ex æquo respondere nequeat, cùm & ipse mœror longè sit inferioris ordinis, ut & cognitio, & amor piorum manium; tamen boni, quod gaudio beatifico continetur, magnitudo, jacturæ illius magnitudinem denotat, & hæc tristitiæ ex eâ ortæ gravitatem. Certè ludus est, & jocus, omnis alius mœror illi collatus.

170. *Comparatur ille mœror cum mœrore lacob.*

Jacob quidem Josephi amantissimus Pater cernens polymitam ejus vestem cruore, quem ipsius filii esse credebat, tinctam, ratúsque delicias suas in eo omnes periisse, *scissis vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. Congregatis autem cunctis liberis eius, ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere,* sed ait: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Genes. 37. Mœror ille sanè gravis est, præ quo mors placet: sed levis sit oportet ad mœrorem piorum manium, quibus gaudium beatificum non ex aliquo amabili Josepho, sed ex Deo Opt. Max. hauriendum subtrahitur. Quare quid de dolore amicorum Job dicam? *Audientes tres amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo. Eliphaz Themanites, & Baldad Suites, & Sophar Naamathites: condixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Cúmque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, scissísque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cœlum, & sederunt cum eo in terrâ septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum. videbant enim dolorem esse vehementem.* Job 2. Omninò vehemens dolor hic erat uterque, sed & uterque somnium est doloris animarum. Cur sic? quoniam quidquid deliciarum in Jobo periit ejus amicis, nihil est ad gaudium, quo animæ orbatæ sunt (quia Deo orbatæ) & omnis Jobi dolor gutta est ad oceanum doloris animarum, perinde ut bona, quæ amisit Jobus, nihil ad earum beatitudinem. Sed quid singulorum dolores ejusmodi persequimur?

171. *Et mœoribus improborum.*

Subjice tibi ante oculos mentis avarorum, libidinosorum, ambitiosorum, aliorúmque, qui se effrænatis animi affectionibus permisêre, proprios quibusque, mœrorésne dicam? an furores, ex violentâ subtractione propriæ cuique voluptatis: quanti eos facis? sanè permaximi, ais, & meritò. Ego verò eos multo minoris æstimo tristitiâ animæ lustrandæ, quoniam & Deus, voluptásque ex ejus visione capienda brutas illas, ac sordidas voluptates supra omnem modum vincunt, & hujus amor, auri, honoris, aut putidæ carnis amores.

172. *Et proborum.*

Quin etiamsi mihi proponas Sanctorum hominum mœrores ex subtractâ dulcedine consuetudinis cum Domino, ac JESU suo (tanti autem illi sunt quemadmodum diximus, ut mors suavissima præ illis videatur) tamen procul omni dubio affirmo, eorum acerbissimos supra modum omnem cessuros unius animæ tristitiæ. Quia denique desiderium, & jactura boni, quod mortales tunc amittunt, desiderio, & jacturæ

jacturæ piorum manium, supra quàm dici potest, concedunt.

173. *Augetur dolor ex bonis quibus gaudent Beati.* Quæ res manifestiùs patebit, si bona ipsa, quibus Beati gaudent, sigillatim, ac distinctè contemplemur. Primùm igitur, ac maximè bonis Deo internis, quæ Deus ipse sunt, lætantur, quæ quia obvia, & aliàs proposui, recensere supersedeo. Porrò eatenus gaudium beatificum est, atque adeò summum, quoniam & ea bona summa sunt, & summoperè ab iis amantur, immenso, inquam, amplius quàm ipsi seipsos adament, quate, & iis gaudent immenso amplius, quàm suis ipsorum bonis, ac beatitate. Tum vehementer eos delectant bona ejusdem Numinis externa pro suâ quæque dignitate. Gloria itaque illius ex Christi Domini humanitate, unione hypostaticâ, gratiâ, institutione SS. Eucharistiæ, & hujusmodi: gloria item ex perenni Immaculatæ Mariæ, cæterorúmque Sanctorum beatitudine, ac laude Divinitatis. Præterea ex Ecclesiæ militantis structurâ, & gubernatione, mundi denique totius quibuscumque bonis, quæ omnia ad Conditoris gloriam condita sunt. Postremò ea gloria, quæ ex hostium Numinis sempiternis cruciatibus in justissimum Numen redundat, beatos cœli incolas incomparabili replet voluptate.

174. *Quibus culpa sua excidisse defunctis tristissimum.* Verum enimverò eadem gloria piis manibus incomparabilis quoque tristitiæ materiam præbet, reputantibus utique secum, culpâ suâ fieri, ut iis Numinis bonis seu internis, seu externis, non possint Beatorum instar delectari. Idem enim illis evenit, quod famelicis eveniret, qui accumbentes mensæ opiparis cibis instructæ, vinctis post tergum manibus, ne tangere quidem illos sinerentur. Quod enim corpori cibus, id bonitas objecta animis est. Dum ergo bona Numinis illis obversantur, quibus pasci, ac oblectari vetantur, id sanè perinde est, atque si famem, sitímve gravissimam propositis cibis explere prohiberentur. Quare si antiquitas id tormenti genus tam acerbum censuerit, ut inter maxima orci supplicia numerârit, unde extat fabula Tantali vicinis aquis, ac pomis, summa in fame, sitíque abstinere coacti, necesse est piis manibus esse tristissimum, non posse perfectionibus divinis, non misericordiâ præsertim, ac bonitate, non præcipuis ejus affectibus, Incarnatione divinâ, ac SS. Eucharistiâ, tamquam dapibus excellentissimis refici, ac recreari. Eò maximè, quòd amicitiæ legibus repugnet, amici bonis, ut par esset, non gaudere, & ejus gloriâ, non ut liceret, delectari. Cùm enim Deum ardentissimo amore complectantur, non potest non ingratissimum, molestissimúmque illis accidere, quod divinâ gloriâ non sic lætentur, ut alioqui lætari possent, nisi vitio suo cœli aditum sibi ad tempus occlusissent.

175. *Demonstratur similibus.* Perpende, quæso, quàm intolerandum filio Regis esset, si cùm ad patris gloriam, honorémque, publici ludi, festiváque spectacula instituerentur, ipse abesse, propter aliquod in Regem delictum, imò in carcere cum vinctis iacere cogeretur. Vide mihi Regium iuvenem, fortissimúmque bellatorem Jonatham, & Numinis afflatu, ac favore, & noctis beneficio in castra Philistinorum irrumpentem: Quam turbationem quaquaversum invehit, dum omnia timentes, & inimicas acies in castrorum medio grassari arbitrantes suis se gladiis mutuò conficiunt, & incruentam Sauli in eos cum Hæbræis statim insurgenti relinquunt victoriam! Quid nisi applausum omnium, & communem cum Rege triumphum expectare poterat illius princeps Jonathas, & maximus author? Et ecce tamen, quod contra patris adiurationem, de quâ nihil inaudierat, de melle gustasset, à Saule morti destinatur, & ingemiscens ex alto pectore, *gustans*, ait, *gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu meâ, paululum mellis, & ecce morior*: nonne, & pii manes summi Regis Regum filii, egregii bellatores Deo duce, & auspice Christo, orci Philistinos in morte præsertim vicêre? nonne divinæ gloriæ, cui servierunt, conspectum, triumphúmque exspectant, quando ex victoriâ reduces in alium orbem deferuntur? Et ecce tenebricoso carceri morte acerbiori destinantur, nempe quòd paululum mellis, ac voluptatis illicitæ, ferè primoribus labris, gustavêre. Et discrimen inter Jonatham, & defunctos infælix est, quod ille populi voce, Saule non admodum repugnante, illicò liberatus est, hi verò in carcere relicti heu! miserabilem in modum gemunt, nec audiuntur.

§. 2.

Expenditur idem mœror ex gaudii materia.

176. *Beati gaudent bonis propriis.* Accedit ad eum mœrorem alter, ex alterâ materiâ gaudii Beatorum. Nam hi quidem immensam quoque lætitiam percipiunt ex iis bonis, quæ sua magis dicere possunt, etsi cum aliis beatis sint communia. Itaque visione beatificâ, supra quàm dici, aut concipi potest, delectantur. Ex eâ enim manat quædam communio

munio gloriæ, fælicitatisque divinæ: perinde ac si Beati ipsi Deum intuendo fierent dii. Et id gaudii, licèt per se infinitum prope sit, tamen supra modum omnem augetur, illius visionis firmitate, ac æternitate, quemadmodum damnatorum tristitia nimium quantum exaggeratur æternitate cruciatuum. Deinde eosdem cœli cives mirificè exhilarabit eximius quidam virtutum splendor, quo statim ab ipso cœli ingressu divinitùs exornabuntur. Tum notitia rerum omnium clarissima, eosdem illustrissima jucundissimáque voluptate perfundet. Quidquid enim pulchritudinis, suavitatisque rebus omnibus inest, id omne suavissimè, purissiméque haurient, ac degustabunt Quid dicam de eâ liquidissimâ lætitiâ, qua circumfluent, quòd innumera, præsentissimáque exitii sempiterni pericula sese ope divinâ vitasse cognoscent, & jam omninò, & æternùm securos fore? Quæ res eò illis erit cognitu jucundior, quòd acherunticas pœnas clarissimè intuebuntur, in quas, & ipsi corruissent, nisi misericordiâ Numinis immensâ fuissent servati; & alios corruisse cognoscent, vel suæ socios culpæ, vel minorum reos flagitiorum.

177. *Defuncti exinde tristantur.*

Porrò earum rerum contemplatio piis manibus gravissimam pariet tristitiam. Etenim dilatio tanti gaudii ex visione percipiendi, eò luctuosior sit, necesse est, quò illud cumulatius est, quippe duplici nomine infinitum. Notum enim est exspectationem eò molestiorem esse, quò res spectata jucundior. Quis nescit eo respectu filios regni hæredes molestissimè ferre longa patrum imperia, nisi cupidinem virtute Christianâ reprimant? Certè in Japoniâ Reges diu ante mortem regno se abdicant, ne filii vitam illis cum regno præripiant, longioris moræ, regníque ipsorum pertæsi. Quid? quod Carolo Hispaniarum Principe vivis erepto vulgi rumor percrebuit cum à Philippo II. parente ob importunam regnandi libidinem, jussum necari, unde usurpatum est illud Ovidii in morte ipsius Chronographicum.

fILIVs ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos.

Verùm terrena regna, quantum cœlesti cedunt! quantum Regum gaudia, imò perennes, ac insanæ curæ, purissimæ voluptati Beatorum? hanc igitur culpâ suâ prohiberi gustare, aut potiùs illi se immergere non posse, nimirum piis manibus intolerabile est.

178. *Quam illis triste non lætari pulchritudine Vniversi.*

Jam carere suavitate, quæ ex rerum omnium pulchritudine, structurâ, & ordine, per clarissimam earum notitiam hauriri potest, quàm durum iisdem animis accidat, intelligi utcumque potest ex Beati Alberti Magni casu admirabili, quem sic describunt fasti Mariani: *Albertum, quem nobis Lavvinga Suevorum dedit, Magnum, Virgo magna, in cuius clientelam parvulum se dedit. Atque hæc aspectabilis Alberto monuit ad D. Dominici castra transiret. Ivit Albertus, verùm quod indolem ad studia tardiorem attulisset, penè stationem suam tyro deseruit, iam fugam paranti, & scalas admoventi, cœli scala Virgo iterum se obiecit, utque Alberto animos faceret, iussit inter omnes, & sacras, & humanas scientias eius optionem facere, quæ maximè animo arrideret. Ille continuò Philosophiam expetiit. ne tamen hanc sibi ascriberet, repetituram se dona sua olim Virgo edixit. Itaque Albertus ille nuper omnium risus, per omnium ora nunc volare, Doctórque primùm Hildesmi, tum Ratisponæ, Lutetiæ deinde Parisiorum, Coloniæ Agrippinæ, fama nominis orbem implere. Sed ecce tibi dum in ultimâ senectâ orbis hoc oraculum responsa fundit, subitò deficiente rerum omnium memoriâ obticuit, vivumq; è schola funus, discipulorum corona domum cum lacrymis deduxit: quas ille etiam toties fudit, quoties aures, MARIÆ nomen pulsaret. Porrò quotidie abhinc tumulum suum contemplatus, illum denique inscendit. Anno salutis M. CC XC.* Ita Fasti. Hujusmodi ergo casus dum sentiuntur per lucida intervalla, quàm luctuosi sint, nemo non videt. Verùm ut nostra omnis scientia mera ignoratio est cum cælesti collata, sic ejus jactura ad illius jacturam, quam faciunt pii manes, ne nomen quidem jacturæ meretur, atque adeò nec tristitia mortalium, de scientiæ suæ jacturâ eo nomine digna, si cum tristitiâ eorum de subtractione illius cœlestis comparetur. Certè longè potiori jure, vel ea causa defunctorum quisquis exclamare potest, quàm Tobias senior: *Quod gaudium mihi esse potest, qui lumen cœli non video?* Solem, inquam, justitiæ, ac Verbum Patris æterni, in quo omnis rerum conditarum pulchritudo, ac suavitas, mente percipi, animóque gustari potest: vel etiam ac propiùs ad propositum, Solem ipsum visibilem, & mundi fabricam, cujus intima cognitio longè quàm conspectus, jucundior est, & subtractio veritatis supra omnem modum tristior.

179. *Nominatim quod non ut aloqui possent, Deo gratias agunt.*

Sed multò gravissimum illis est hoc in genere, non posse Beatorum ritu Numini gratias habere, & agere, sibique gratulari quòd sævissima illa, & æterna tartari supplicia ejus beneficio evaserint. Quippe gratissimi sunt, & prope perinde habent, doléntque

dolèntque impediri se ob noxas præteritas à reddendis Deo Beatorum more, & affectu, grati animi officiis, atque si jam non reddendo peccarent. Qui dolor non potest non esse incredibilis, sive ob beneficii istius immensitatem, sive ob amoris, gratíque ipsorum animi miram in Deum propensionem. Si enim pii mortales graviter incusare se soliti sint, quia quam maximam possunt, Deo pro tantis beneficiis gratiam non reponant. Si etiam vulgo detestabile est ingrati animi vitium: Si mortalium in Deum Patrem, seque impiissima ingratitudo Christo adeò intolerabilis visa est in horto Olivetico, ut vi mœroris hæc ipsa maximè inter cætera, quæ obversabantur mala, sudorem ei sanguineum expresserit: profectò piis manibus sua illa quædam ingratitudo pro tam incomparabili beneficio, támque multiplici, gravissima sit necesse est. Ac mihi quidem non levior esse videtur iis pœnis, quæ ab hominibus in ingratos statutæ sunt, quos Persæ præ cæteris facinorosis damnandos, alii exilii, alii capitis reos esse judicarunt. Etsi enim nullâ suâ voluntate ingrati, atque adeò verè ingrati non sint, tamen plus satis novêre culpâ suâ, quam facilè vitare poterant, effectum, ut ne sexcentuplo gratiores essent, quod genus ingratitudinis qualecumque gratissimis, humanissimisque animis perquam invisum est. Nam gratiæ reddendæ imparem se reddidisse, cùm parem posses, quid aliud est, quàm se parem esse noluisse?

180. *Beati gaudent bonis Beatorum.* Postremum caput, ac fons jugis mœroris piorum manium ex retardatione gaudii beatifici, est privatio lætitiæ ex bonis alienis capiendæ. Siquidem cùm Beati sese inter se noverint, amentque ut alteros se, consequitur & singulos singulorum gloriâ ac beatitudine delectari, & universorum. Quare si mortalium voluptas ex filiorum, parentum, amicorúmve militari victoriâ, palmâve in certamine Olympico, aliisque prosperis successibus tam effusa subinde fuerit, ut omni spiritu vitali effuso, vitam, quæ eo nititur, simul profuderit, manifestum est beatificum gaudium ex fælicitate civium cœlestium perceptum, eorum vitam, si eripi posset, singulis temporis momentis, erepturam. Quia & eorum amor mutuus excellentior est, & bonum sublimius, & notitia longè clarior. Imò satis ex his constat, unius Beati voluptatem ejus generis omni eâ, quam ex carorum bonis capere mortales omnes queunt, longè affluentiorem, liquidiorémque esse.

181. Cæterùm & hæc materia gaudii Beatorum, tristitiæ quoque materia est piis manibus, & quidem acerbissimæ. Quid enim? nonne gravissimo dolore conflictatus fuisset tum Jacob Patriarcha, tum ejus carissima proles, Josephus, si post missos currus, ac jumenta, quibus & pater, & omnis eius familia, ac supellex deveherentur in Ægyptum, post omnia ad iter comparata, post confectum iter, cùm jam in mutuos amplexus ruere, & alter alterius aspectu, atque alloquio frui potuisset, à se invicem divulsi, & procul distracti fuissent? At quàm frigidus ille patris cum filio congressus, ad intimam necessitudinem cœli incolarum? Quid? nonne acerbissimâ tristitiâ affectus fuisset Joacim, Summus Sacerdos, & universus Israëliticus populus, si quando ille post Judithæ victoriam, spoliáque ex Assyriis detracta, *de Jerusalem venit in Bethuliam, cum universis Presbyteris suis, ut videret Judith? Quæ cùm venisset adeum, benedixerunt eam unâ voce dicentes. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri. Quia feciſti viriliter, & confortatum est cor tuum.* Judith 15. Si, inquam, in ipso Bethuliæ ingressu vocatâ, venientéque Judithâ, ipse cum suo comitatu in exilium abreptus fuisset, an non incredibili dolore confectus esset? At & iste mœror tam cederet mœrori piorum manium, de quo sermo est, quàm cedit allocutio Judithæ tali re, ac tempore suavissimæ familiaritati cum cœlitibus, gaudióque ex eorum victoriâ, triumphísque percipiendo. Sed veros mœrores loquamur. Jam spe devoraverat universam Israëlis gentem Rex Pharao, cùm sibi, suóque exercitui apertum divisis aquis mare rubrum videret, trementésque Israëlitas, velut sub ferro victimas; jámque triumphabat, jam gaudia certæ victoriæ sibi præcipere videbatur. Verùm quando ruentes in se, suósque, aqueos montes conspexit, nonne tristitiâ priùs, quàm undis obrutus fuit? non dissimili profectò forte licèt diversissimo consilio pii manes, dum ad Israëlis gentem spiritalem, dum ad Dei filios jam jam perventuri essent, eorúmque bonis fruituri, heu! doloris undis immerguntur, at longè quàm Pharao acerbioris, quemadmodum, & sperata gaudia Beatorum, multò sunt Hæbræorum exuviis præstabiliora.

Ex jactura illius gaudii tristantur defuncti.

182. *Comparatur hic mœror cũ mœrore, quo miles occubuit.* Postremò illustrari poterit hoc argumentum ex morte cujusdam Hispani militis, qui nuper anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono in commilitonis cæsi complexu occubuit. Rem ex Epitaphio à R. P. Sidronio Hoschio illis posito cognosce

M. S.

M. S.

Ioannes Laurentius
Miles Hiſpanus,
Franciſcus de Solis
Ex eadem gente ſignifer
Hîc ſiti ſunt.

Duósne viator, an unum legis?
Sic alter in altero vixit,
Vt unum putes.

Dum Capellæ expugnatione
Archidux Leopoldus
Victoriis Gallicis præludit,
Ambo cecidêre.

Laurentius hoſtili telo:
Franciſcus Laurentii deſiderio:
Vnus in urbis aggreſſione,
Alter in amici complexu:
Ille dum loricam invadit,
Hic dum commilitoni parentat.
Vnius vulnus
Amor
Vtrique fecit lethale.

Illuſtre ſic pugnaſſe,
Sine exemplo ſic amaſſe,
Vt norit poſteritas,
Quod antiquitas non vidit.
Alterius virtuti,
Alterius amori

Sereniſſimus Archidux
In vivos, mortuoſq; commilitones
Benignus, pius, munificus
Hoc monumentum

P. C.

Ingentem itaque, & amorem, & triſtitiam eſſe oportuit, quæ alterum illorum commilitonum alterius deſiderio confecerit. Quantam igitur oportet eſſe eam mœſtitiam, qua pii manes afficiuntur ex deſiderio conſortii Beatorum? Nam hi quidem, & amant ſupra modum omnes cœlites, & ſuavitatem ſupra quam mens capere poteſt, majorem ex conſortio illorum exſpectant, non omnium modò, ſed & ſingulorum.

§. 3.

Epilogus dictorum, & collatio triſtitiæ defunctorum cum mœrore Solymæ in Threnis Ieremiæ.

183. *Eſt incomparabilis mœror defunctorum ut Jeroſolymæ exciſæ.*

CONSTET itaque ex hoc etiam capite incredibilem exiſtere defunctorum triſtitiam. Quare ſi cum eâ mœrores illos conjungas, quos hoc articulo expoſuimus: Si, inquam, ut cauſa gaudii beatifici, & ratio bonorum propriorum, & alienorum de quibus gaudium capitur, ſingula mirificè recreant cœlites, ita defunctos illorum dilatio excruciat, quàm ingens afflictabit mœror ex univerſi gaudii beatifici jacturâ? Si verò iis triſtitiæ fontibus adjungas exilium à patriâ cœleſti, tam nobili, tam jucundâ, tam amplâ, ſi dotium corporis ſubtractionem, impaſſibilitatis nempe, Claritatis, Agilitatis, & Subtilitatis: Si cætera quæ hactenus diſputavi, in cumulum, atque in mentes defunctorum congeras, poterítne à mortalibus tanta excogitari mœrotis acerbitas, quæ illi poſſit comparari? Jeremias quidem excidium Jeroſolymæ deplorans, eamque velut matronam nobilem, & afflictiſsimam alloquens: *Cui comparabo te*, ait, vel *cui aſſimilabo te, filia Jeruſalem? cui exæquabo te, & conſolabor te, virgo filia Sion? Magna eſt enim velut mare contritio tua: Quis medebitur tui?* Quaſi dicat: Quod calamitatis exemplum proferam tuæ non imparis? Non poſſum profectò. Tua enim clades Ægyptiorum cladem ſuperat, illatam à Moſe prodigioſa patrante: Chananæorum calamitatem, excidiumque vincit, importatam à Joſue eos devaſtante: Philiſtinorum etiam depreſsionem exuperat, David eos perdomante: Hebræorum denique vaſtitate funeſtior eſt, Philiſtinis victoriâ, & Arcâ Dei potitis, Heli ſummo Sacerdote.

184. *Miſeriæ exponitur.*

Quî ſic, ô Propheta? Quia inquit, Jeruſalem, urbs illa inclyta, Syriæ Emporium, Paradiſus Aſiæ, Religionis arx, & Eccleſiæ columen, penitus everſa eſt. Atqui eò gravior calamitas, quò fortuna fuit florentior. Hinc Vates vix ſe capiens: *Quomodo*, exclamat, *ſedet ſola civitas? Quomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam*

filiam Sion ? proiecit de cœlo in terram inclytam Israël. Deinde quia templum sanctissimum, totóque celeberrimum orbe simul cum Solymis incensum est. Quod incendium, utique post execrabilem profanationem, Regnorum eversione funestius est. Hinc illa: *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ: vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemni*, nempe qui templum violabant, incendebantque Chaldæi. Præterea quia extrema, diuturnáque fame Solymei afflictati sunt. Hæc autem pestis, ac calamitas non paucis mortibus atrocior fuit. Obsidio enim biennium tenuit, adeò ut matres partus suos comederint. Quod piè querens apud Deum Vates: *Vide*, ait, *Domine, & considera, quem vindemiaveris ita: Ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ?* & aliàs iisdem in Threnis: *Manus mulierum misericordium*, inquit, *coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei*, sive quòd matres, etsi naturâ in liberos propensæ, tamen dirâ fame adeò efferatæ sunt, ut eos devorarent: sive quòd ex misericordiâ eos necarint, ut fami, ac tabi, atque adeò lentæ, multiplicique morti citâ nece eriperent, simulque famem suam tantisper placarent. Certè non dubitat Jeremias carmen hoc pronunciare: *Et maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento*, id est, pœna iniquitatis Judaicæ tam longa diráque, festinatâ illâ Sodomorum, licèt horribili, cantatâque toties pœnâ acerbior fuit. Quin etiam tandem eo usque rem exaggerat, ut dicat: *Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ.*

185. *Cui, & præfertur Purgatorii miseria.*

Verùm enimverò omnis illa, qualis qualis effusio indignationis divinæ, si cum purgantis custodiæ ærumnis in solâ exilii, captivitatisque acerbitate positis comparatur, mera gratiâ, blanditiæque vocari potest. Etenim si solitudinem, captivitatémque spectes, quanta hæc piorum, qui non modò in carcerem inclusi, sed & in eo adamantinis clavis affixi sunt, & quidem horrendâ in caligine, mille, & quingentis leucis à tellutis superficie dissiti: neque ad biennium, trienniúmve, sed frequenter ad complures annos? Si verò de vastatione, excidióque agitur: notum est, mortem defunctis omnia rapuisse, & momento quidem, ut veriùs de eâ dici possit, *manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius.* Si denique de fame, perspectum est animi famem homines magis urgere, quàm corporis. Hac autem defunctorum fame, seu desiderio beatitudinis cætera omnia desideria plus nimio vinci, satis ostendimus. Quamobrem sic existimo si plurimorum Jerosolymæ captivorum miseriæ unum caput obruerent, ejus dolorem, unius animæ, saltem è deterioribus, dolori ex suâ captivitate, jacturâque contracto, longè imparem fore.

Ergo *ô vos omnes!* exclamat cum Vate, aut potiùs cum Jerosolymâ, quispiam è manibus, & exclamat igneâ voce, ut pietatem accendat: *Vos*, inquam, *omnes qui transitis per viam*, hujus scilicet vitæ, neque ad ejus terminum nobiscum adhuc pervenistis, *attendite, & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus. Attendite*, inquam, nec enim opus est, ut in tantâ calamitate misericordiam vestram implorem, ipsa satis calamitas rogat, imò urget. *Attendite*, quæso, qui mentem aliàs totam longè levioribus miseriis intenditis. *Attendite*, per quidquid est vobis carum, atque optabile, quantis desideriis feramur ad Deum videndum, fruendúmque. *Attendite* per Deum ipsum immortalem, communem omnium Patrem, quia tormentum addit miseris, qui miseriam illorum ne aspectu quidem, aut cogitatione dignatur. *Et videte si est dolor similis, sicut dolor meus.* Cùm enim homines vulgaris dolor moveat ad commiserandum, cùm gravissimus etiam invitis exprimat miserationem: *Videte*, si meo parem inveniatis. Et quod humanum est, hoc à vobis peto, ut cùm nullus hujusmodi sit, misericordiam nobis exhibeatis: Imò *videte*, si meo suppar est dolor, & per me licet, illi medeamini, me negligite. Sed cùm neque supparem invenire possitis, eheu! me, aliósque ejusdem exilii socios negligere poteritis?

186. *Defunctorum obsecratio.*

CAPUT QUINTUM.

De annexis jacturæ beatitudinis.

ARTICULUS I.

Tristitia piorum manium ex jactura gloriæ, quam consequi debebant, æternæ.

PRÆFATIO.

187. *Jactura graduum beatitudinis, quàm acerba secundùm Suarium.*

POENA damni non modò dilationem beatitudinis includit, verùm etiam adjunctam prębet privationem gloriæ, quam pii manes obtenturi erant, nisi per eorum, dum viverent, socordiam stetisset. Quanta verò tristitia ex hoc velut fonte emanet, ex hac magni Suarii sententiâ collige. *Existimo*, ait, *tristitiam illam, ut est pœna per se imposita ad purgationem culparum, magis esse de gradibus beatitudinis perpetuò amissis, seu non lucratis propter otium, & venialia peccata; quàm propter solam dilationem beatitudinis aliquando consequendæ, & hoc igitur modo gravius tristantur animæ imperfectiores, & quæ maiorem reatum habent.* Ita ipse tract. de Purgat. Qui quidem sententiæ suæ causam non adscribit, credo quòd abundè per se clarum autumet, æternam gloriæ aliàs consequendæ jacturam, temporali damno gloriæ brevi pòst obtinendæ, præferendam esse, ac proinde tristitiam ex æternâ jacturâ graviorem, quàm ex temporali percipiendam. Verumtamen res hæc latiùs fundenda, & more nostro æstimanda est. Quare dicendum primò, quàm talis jactura damnosa sit. Deinde quàm turpis: ex quibus facilè innotescat, quàm acerbam creet tristitiam.

§. 1.

Mœror ingens, quia jactura damnosa.

188. *Superat mœrorem ex dilatione beatitudinis, propter æternitatem.*

DAMNI autem gravitas expendi potest ex iis, quæ hactenus disputavimus. nam si privatio visionis beatificæ, vel ad breve tempus quælibet damna, jacturasque quorumlibet bonorum, immensùm superat: Si amoris beatifici subtractio etiam temporaria, non minoris facienda est: Si denique, & gaudii beatifici brevis jactura tantidem censenda: quanti fiet amissio æterna, & visionis, & amoris, & gaudii beatifici, cujus lucrum per vecordiam nostram nobis perierit? Siquidem æternitas ingens pondus iis rebus adjungit, quascumque seu fælices, seu infælices afficit. Nec causa latet. Quippe quia æternùm infinitis diebus, infinitis annis, infinitis millionibus annorum durabit. Quamobrem acquisivisse, vel amisisse æternam gloriam, est infinitos gloriæ dies, infinitos annos, infinitos milliones annorum lucri feciisse, vel perdidisse; quemadmodum & æternùm pati, est infinitis millionibus annorum pati. Quare sicut impios manes nihil æquè excruciat, atque æternitas tormentorum, ita pios nihil perinde afflictat, atque damni illius æternitas. Quod ut mentem pii Lectoris magis feriat, duo paradoxa in medium profero, quæ etiam studium salutis animarum vehementer accendere possunt.

189. *Demonstratur.*

Aio igitur plures laudis, ac gloriæ divinæ actus procurari, unius, vel puelli animæ salute, quàm hactenus in orbe terrarum acquisitum à mortalibus sit; plures etiam, quàm jam in eo acquirantur, aut postmodum ad finem usque acquirendi sint. Item pronuntio plura peccata caveri, plúsque adeò injuriæ divinæ, si unicam animam tartaro arceas, quàm cavisses, si omnia quæ fuêre, sunt, & erunt, mortalium crimina impedires. Causa utriusque pronuntiati, una æternitas. Nam mortalium flagitia, virtutisque actiones, quia tempore circumscribentur, finem habebunt, beatæ verò animæ laudes, & damnatæ maledicta, quia æternitati adæquabuntur, fine, ac numero carebunt. Quæ etiam causa efficit, ut si mille mundorum pias, impiásque actiones, cum unius fælicis, aut infælicis animæ laudibus, aut maledictis cõferas: illæ his omninò sint cessuræ. Cùm igitur pii manes jacturam fecerint complurium gloriæ, ac beatitudinis graduum,

quos

quos si libuisset, facilè adepti fuissent, & jacturam quidem æternam, profectò nec detrimentum illud nostrâ mortalium mente æstimari, nec tristitia ex eo profecta capi potest.

190. *Quomodo fiat hæc jactura.* Sed tamen iuvat tantisper id genus iacturæ distinctiùs contemplari: Et priùs expedit meminisse omni actioni viri boni inesse triplicem vim, augendi scilicet gratiam habitualem impræsentiarum, & post in cœlo gloriam, cuius illa gratia semen est, tum & satisfaciendi pro pœnis alioqui debitis, denique auxilia gratiæ actualis impetrandi, quibus fretus, excitatúsque animus bonas actiones cumulare possit. Ex quo conficitur, quoties quis culpam aliquam committit, cum iacturam facere augmenti eius gratiæ, gloriæque, quâ rectè tum agendo potiretur, & insuper illius, quam beneficio gratiæ actualis impetrandæ acquirere valeret. Inest autem hoc discrimen inter mortalem, venialémque noxam: quod mortalis de statu merendi hominem deturbet, secus venialis; id est, quod illa quamdiu minimè deletur, impotem reddat gratiam habitualem, atque adeò gloriam augendi, non autem venialis; illa item beneficiis, subsidiisque divinis indigniorem, ineptiorémque efficiat, ac proinde gratiæ habitualis egentiorem.

191. *Ex hac defunctorum lachrymæ.* Ex hoc igitur fonte promanant piorum defunctorum lacrymæ, hoc gratiæ, gloriæque detrimentum oppidò lugent. Quot enim peccatis inficitur humana vita? aut quæ illius pars ab iis immunis est? quantum igitur hinc perit gloriæ aliàs consequendæ, quantum doloris defunctis inuritur? quid dicam de illâ gratiæ, gloriæque jacturâ, quæ fit per neglectum gratiarum actualium ad virtutis opus impellentium? Nam & hæ frequentissimæ sunt: stat enim Christus perpetuò ad ostium cordis nostri, pulsatisque foribus instat, ut admittatur ad majorem amicitiam, unde gratia nobis major, ac major in dies concilietur. Sed ingrati, vecordésque gratiam cum ejus authore, necessitudinémque divinam repudiamus, ex quo ingens quoque gloriæ cœlestis quæstus nobis perit.

192. *Non quando fit sine culpa.* Et si quidem citra omnem culpam obnitimur impulsibus divinis, ac vocationibus, uti contingere potest, dum merum consilium, non præceptum sequendum proponitur, non video cur pii manes inde tristitiam hauriant. Nam tristitia illorum rationem pœnæ habeat oportet, refertur enim ad pœnam damni. Porrò pœna culpæ respondet, quam hîc ponimus esse nullam. Nec refert quod neglectus ille culpæ omninò expers cadat sub detestationem, & odium defunctorum. Nam & Beatis, & iis ipsis defunctis citra tristitiam odio esse potest, neque facilè admiserim quidquam præter Numinis offensam, cujus rei sint, ejusmodi tristitiam eis inurere, ne pœnam, quam non sunt commeriti, patiantur. Nec dicas mortalium tristitiam ex neglectis citra omnem culpam consiliis nasci posse. Hæc enim rationem pœnæ non necessariò sortitur.

193. *Rarò autem neglectus gratiarum culpa vacat.* Sed enim neglectus gratiarum actualium culpâ vacare non solet. Primum quod authoribus D. Thoma, ejúsque discipulis, non datur actio neutra, sive nec bona, nec mala; quoniam igitur neglectus ille bonus esse nequit, cùm honesto fine non ornetur, malus sit necessum est. Deinde quòd impulsibus divinis obsisti non soleat, nisi ex affectu minùs recto, nimiâvé cupiditate quietis, aut delectationis sensilis, quam cupiditatem satis apud omnes constat ad noxam pertinere. Præterea quòd iisdem impulsibus moveamur ut plurimum ad id, quod est officii, & alicujus virtutis, ut temperantiæ, prudentiæ, modestiæ, legibus præscriptum est, aut quod exigitur ad custodiam disciplinæ religiosæ, aut Christianæ, ad vitandam proximi offensionem, & eiusmodi, quibus omnibus non parere, crimen, atque adeò pœnâ dignum est.

194. *Hinc ex neglectu gratiarum dolor.* Ergo, & gratiarum actualium neglectus fons est copiosus damnorum gratiæ habitualis, & gloriæ, & quod huic consequens est, defunctis fons uberrimus gemituum, ac lacrymarum est. Tum verò maximè dum succurrit piis manibus ea fatalis mensura, seu peccatorum, seu nominatim ingratitudinis suæ in subsidiis, beneficiisque divinis repudiandis: quâ mensurâ impletâ, alter ille fons benignitatis divinæ iis exarescere cœpit, aut si malis, lentiùs, tenuitérque fluere. Quò factum, ut emergendi potiùs è periculo æterni interitus, quàm gratiæ, gloriæque cumulandæ deinceps curam susceperint, potiúsque timore, quàm amore ad officium sint compulsi.

195. *Confertur hæc jactura cum aliis.* Quis porrò non verbis, nec enim fieri potest, sed vel mente exprimat vim doloris quam tanta calamitas defunctis infligit? Quid enim? Esau primogenitus Isaaci, audito fratrem Jacobum patris benedictionem sibi surripuisse, *irrugiit clamore magno, & consternatus*, ait, *Benedic etiam & mihi, pater mi*, & statim conquerens apud patrem: *Juste*, ait, *vocatum est nomen eius Jacob; supplantavit enim me en alterâ vice, primogenita ante tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem.* Ita quidem ipse. At longè alia piis manibus querendi materia est; non enim alterius

fraude, sed culpâ, & vecordiâ suâ Patris æterni benedictione orbati sunt, non illâ, quæ *de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini* tribueret, sed eâ, quæ singularem æternæ gloriæ prærogativam impertiret. Nero auditâ Galliarum defectione, licèt homo excors, adeò tamen indoluit, ut caput ipse suum præ doloris impotentiâ diverberaret. Verùm quid iactura Galliarum, quæ puncti huius, id est orbis terrarum, particula est, ad iacturam immensæ opulentiæ, gloriæque, quæ defunctis manebat, nisi suâ ipsorum socordiâ amissa fuisset. Samnetus Ægyptiorum Rex, ad filiæ conspectum, servulæ habitu, rituque aquatum euntis, ad filii item complorationem, dum ad supremum supplicium ducebatur, immoto stetit vultu: At amicum hominem fortunis eversum mendicatò cibum quærentem contemplatus, neque lacrymis temperavit, neque ab apertâ lamentatione abstinuit, causamque rogatus, respondit, domestica illa mala multò esse majora, quàm ut fleri possent, amici autem è fælice miserrimam sortem sibi visam esse dignam, quam fletu saltem prosequeretur. At quæcumque illa mala domestica, illa Regiæ dignitatis, liberorum cum servitute, ac morte commutatio, nihili censenda sunt, si gloriæ, claritatisque piorum manium, quam integrum iis erat consequi, cùm longè inferiore sorte commutatio attendatur. Est enim immensum inter sortem utramque intervallum, sive quia ingens numerus gratiarum actualium, ac propterea ingens cumulus gratiæ, gloriæque ab iis viventibus rejectus, in æternum periit, non modò ad aliquot annos, ut sceptra, ac coronæ Regiæ, sive quod intervallum non possit esse tam exiguum, inter unius, & alterius Cœlitum gloriam, quin propter illius pretium, & excelsitatem non debeat summum æstimari. Denique ut contentionem hanc desinamus, nemo capere mente possit vim mœroris, quâ obrutum fuisse necesse est Carolum tertium Imperatorem Crassi nomine, qui Francofordiæ ex Imperio deturbatus, ab omnibus etiam famulis triduo integro destitutus, fame periisset, nisi Luitbertus, Archiepiscopus Moguntinus hominis sortem miseratus, aliquot diebus eum pavisset. Qui quidem Carolus ab Arnulpho Imperii successore, ac patruele suo, cùm victum saltem efflagitasset, pagum quemdam in Suevâ, cui nomen Neiding, ad vitæ subsidia obtinuit, ibique inglorius deinceps, & abjectus egit. Verùm, & summa ista iactura Imperii Occidentalis, & illius humili cum dominio commutatio, etsi acerbissima per sese, tamen jucunda videbitur, si piorum manium iacturæ comparetur. Hi enim tot regna, & imperia, tot, inquam, regias, & Cæsareas dignitates, juráque regia amittunt, quot cœlestis gloriæ gradus, quoniam unicuique gradui cœli regnum debetur. Cùm ergo sint infiniti, non minùs amittunt, quàm si infinita regna amitterent.

196. *Quàm doleat defunctis ea iactura.*

Itaque gravissimè dolet piis manibus tam ingens iactura. Quàm enim dulce sapit lucrum immensæ gloriæ, brevi hujus vitæ (quæ Christo teste mercatus est, & negotiatio) labore, & industria partum, tam graviter cruciat pios defunctos non esse partum; ideóque illius iactura continenter, atrociterque eos ferit.

197. *Quia tempus merendi periit.*

Jam itaque sero nimis experiuntur veritatem hujus Siracidæ sententiæ cap. 16. *Da, & accipe, & iustifica animam tuam, ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum.* Quem locum sic rectè exponit noster Alvarez Pazius de adeptione virtutum l. 3. p. 5. sect. 5. cap. 3. Quasi dicat ille Sapiens: *Accepisti divinitùs rectè vivendi subsidia: fac ergo, ut ea ad Dei gloriam, atque ad rectè vivendum conferas, & ita Deo velut illa reddas, quo pacto nova recipies, iisque gratiam, ac iustitiam augebis. Ante obitum bonis operibus incumbe, quia post illum, non est cibi spiritalis copia, cibi, inquam, quo anima vegetari, ac crescere gratiâ, meritisque possit.* Quo sensu Salvator sic suos assectas alloquitur Joan. 6: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis.* Experiuntur sanè hujus pronuntiati veritatem, quoniam quæ toties se obtulit occasio gratiæ acquirendæ, jam iis omninò periit; jam periit tempus. *Juravit* enim Apocalypticus Angelus *per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius.* Etsi enim de extremis diebus locus hic intelligatur, quando deinceps tempori, ac mutationi nihil erit obnoxium, tamen & de piorum manium statu accipi potest, quibus æternitatis iter ingressis, nulla postmodum meritorum copia obtinget. Ergo cum amara Syntereſi obversatur illis illud quoque Ecclesiastici cap. 64. *Fili conserva tempus*, quippe rem omnium pretiosissimam, & omnium bonorum feracem, si rectè utare. Hoc item Apostoli ad Galatas 6. mentem illis perpetuò urget: *dum tempus habemus, operemur bonum, tempore enim suo metemus non deficientes.* Denique recurrit assiduè, sed ad cumulandum mœrorem, illud Ecclesiastæ c. 9. *Quodcumque facere*

facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, non, inquam, ab obitu quidquam horum proderit ad mercedem, ac propterea non erit, quia quasi non esset, sic erit. Quod quia usu suo, certâque conditione tenent defunctorum animæ, scilicet intolerabili dolore torquentur.

§. 2.

Eadem jactura turpis.

198. *Ob repudiationem gloriæ à Deo primum destinatæ.*

ET tamen vehementer exaggeratur dolor hic ex turpitudine, probróque, quod hujusmodi jacturâ contineatur. Nimirum jam inde ab æternitate decreverat omnium Conditor Deus, hunc, vel illum ad excellentem gloriæ gradum provehere. In hunc finem gratias actuales abundè destinârat: neque liberalior in destinando, quàm in distribuendo fuit. Verùm ingratus, ignavúsque homo, gratias repudiando, inertiáque succumbendo effecit, ut prior illa voluntas frustraretur, novâque conciperetur de conferendâ ipsi gloriâ longè inferiore, ea scilicet, quæ meritis ejus, longè quàm Deus expetiêrat, minoribus æquaretur. Id verò quàm homini illi probrosum! quanto pudore dignum. Certè ut decretum divinum, hominem evehendi ad beatitudinem, majoris momenti est, quàm decretum mille præstantissimos procreandi mundos, cósque Seraphinis sexcentuplo nobilioribus omninò referros: ita (si rem æquâ, atque ut aiunt, Sanctuarii trutinâ expendas) turpius est, decretum illud prius ignaviâ suâ irritum facere, quàm mundi hujus, imò mille nobilissimorum mundorum ordinem, statutúmque cursum eadem ignaviâ perturbare, aut prorsùs perdere, & pessundare. Jam vide, quàm turpe sit non mundum, sed angulum mundi inertiâ, insipientiáque suâ dispердere. Quid enim de Sinensibus dicam? apud quos Ducibus omninò capitale est, teste Reverendo Patre Martino Martinio inde reduce, si milites vel seditione, vel gravi civium Regi Sinensi subjectorum vexatione, etiam citra Ducum culpam, peccarint. Et quot Europæis exercituum Imperatoribus, Rerumpublicarum administratoribus, aliisque adeò probrosum visum est, non benè perfunctos esse suo munere, ut præ pudore, mortem sibi consciverint? Quàm intolerabile quibusdam Regibus ob regnum ignaviter gubernatum attonsos in Monachum, cœnobiis includi, omni gloriâ, ac regendi dignitate orbatos? Quàm dedecorosum Constantino Monomacho Orientis Imperatori, ob destitutos per avaritiam præsidiario milite imperii fines, barbarorum incursibus, ac deinde dominatui, imperium aperuisse? Quale igitur esset ordinem totius Universi pervertere, & cùm id pro nihilo censendum sit ad perversionem ordinis, quem Majestas illa suprema statuerat in gloriæ gradibus tibi procurandis, quàm illud pudendum homini per suæ vitæ pravitatem Deum cogere, ut hoc decretum suum abroget: si quidem, ut dixi, cœlesti trutinâ rem ponderemus? juxta quam minimus etiam gratiæ gradus mille mundis est præstabilior.

199. *In quo inest ingratitudo.*

Accedit, quod in eo ipso summa quædam vecordia, & ingratitudo sita sit. non enim aliò spectabat decretum illud, quàm ad cumulum gloriæ, beatitatisque illius, qui ipsum facit irritum. Si igitur ille filius Regis, aut Principis vecordissimus, atque in parentem ingratissimus esset, qui ultrò, & deditâ operâ id efficeret, quod nosset, & ingratum fore, & seipsum coronâ, imperióque indignum reddere; quàm detestanda erit ea hominis vecordia, immensis gloriæ cœlestis, id est, visionis beatificæ, amorisque, ac gaudii pariter beatifici thesauris sibi ab æterno præparatis, indignum se per meram inertiam, insanámque libidinem reddentis.

200. *Et pudoris ingentis materia.*

Hæc igitur jactura piis manibus luctuosissima est: maximè cùm intelligant, eam suam gloriam non tantùm sibi, sed & Deo potissimùm decessisse; hinc enim turpitudinem suam, ac dedecus mirum in modum exaggerari agnoscunt. Nam si omnium animis detestandus esset ille, qui optimum Numen sciens ac volens frustraret gloriâ, quæ ex aliquo sodalitio Immaculatæ MARIÆ, aut ex aliquo festo die, exempli causa, Venerabilis Sacramenti efflorescit, profectò omne genus detestationis humanæ excedit ea vecordia, quâ eidem Numini, non Sodalitii modò, aut festæ lucis honor aliàs reddendus deperit, sed longè amplior, quàm concipere, nedum eloqui possimus: quoniam ut amor Dei in patriâ, authore Lessio aliisque plurimis, incomparabiliter perfectior est ejusdem amore in viâ: sic ut ad illius perfectionem hic aspirare nequeat: ita gloria ex visione beatificâ, eique admenso amore in Deum redundans incomparabiliter præstat gloriæ, quæ à mortalibus in eumdem Deum potest dimanare. Quamobrem tantus hinc erumpit dolor defunctorum, ut affirmare ausim pudorem generosissimorum mortalium ex quolibet dedecore, infamiáque ortum, isti pudori unius è piis manibus multum cedere. Itaque nunc demum

veritatem hujus paræmiæ Prov. cap. 10. experiuntur: *Qui congregat in messe filius sapiens est: qui autem stertit in messe, filius confusionis:* nempe prorsus incredibilis.

201. *Et quidem quod sit jactura æternæ gloriæ.*

Quod si verò tantus pudor existit è jacturâ gloriæ cœlestis, quantus esse censebitur, si jacturæ æternitas spectetur? Nam pudorem intendi oportet pro damni diuturnitate, quæ, ut patet, infinitis damnis æquivalet. Quare nullus huic pudori pudor æquandus videtur. Enimverò tota illa æternitas in eorum mentes quasi influit, ut & aliàs dixi, quemadmodum in animas damnatorum. Atque ut horum præcipuum supplicium est, desperatio evasionis è tam intolerabilibus tormentis, sic illorum mentes potissimum excruciat compertissima æternæ jacturæ veritas, excruciat, inquam, pudore illius tam leviter, turpitérque factæ. Quoniam videlicet temporarium ac pusillum commodum, atque indignam homine voluptatem, æternæ illi gloriæ antetulerunt. Considera igitur quanti æstimandus esset pudor hujusmodi Beatorum, si quidem in Beatos cadere posset, & æternùm esset duraturus: & cùm totus ille velut in cumulùm congestus pios manes configat, ejus quandam immensitatem, si potes, metire.

ARTICULUS II.

Tristitia piorum manium ob divinarum gratiarum rejectionem.

§. 1.

De rejectione gratiæ actualis.

202. *Gratiæ actuales sunt voces divinæ.*

Etsi modus, ac mensura huius turpitudinis, sub oculos humanæ mentis cadere nequeat, tamen supra etiam, quàm dici, aut cogitari potest, exaugebitur, si & illi coniungatur ea, quæ separari nequit, turpitudo ob divinæ gratiæ repulsam. Ut enim priùs de actuali, quæ prodroma esse solet, loquamur, indignissima res est Dei vocem, quæ gratiâ illâ continetur, toties à nobis contemni. Nam si quoties rebus ratione carentibus insonat, continuò effectum datur quod jubet, si *stellæ* ipsæ *vocatæ dixerunt adsumus, & luxerunt cum iucunditate ei, qui fecit illas*? 11. Abacuc; quale nefas ratione, ac libertate ad nobiliùs parendum nobis concessis, abuti ad turpiter Deo ipsi repugnandum, & præcipua illa instrumenta divinæ gloriæ vertere in Numinis contumeliam? Solent Reges subjectorum repulsam gravissimè ferre, etsi justissimam. Nota est Achabi Israëlitici Regis indignatio, ob negatam sibi à Nabotho vineam; nota Jesabelis rabies eo, ut rebatur, probro exasperata. Nos igitur homunculi; quem Numinis sensum esse putamus, quando à nobis omni jure suis, se toties temerè repelli videt? Quid? quod ipse Dominus Optimus Maximus, non ullius commodi sui causâ, non ullius voluptatis illicio nobiscum per gratias actuales congredi desiderat; sed amicitiæ in nos suæ testandæ causâ, & immensæ quidem amicitiæ, sive Sponsum animæ nostræ se gerat, seu patrem? est enim immensa illa utraque dignatio, atque adeò gratiæ actuales, quibus utraque stabilitur, ac fovetur, maximi pretii sint, oportet. Quare quemadmodum tam excellentem Sponsæ, ac filii Numinis dignitatem aspernari, indignissimum, ac probrosissimum est: ita gratias actuales respuere, turpissimum.

203. *Exemplis demonstratur, quàm turpe eas voces non audire.*

Mariamnam nobilissimam Machabæorum sobolem, sunt qui contumaciæ damnent, quòd Herodem virum suum Româ reducem, ubi ab Augusto rerum potiente Judaïcum regnum receperat, solitâ amoris maritalis significatione non exceperit, neque post sese blanditiis demulcenti amicum vultum exhibere sustinuerit. Et tamen rescierat perfidum illum jam secundò fidis hominibus mandasse, ut si quid humanitus sibi in itinere accidisset, Mariamna trucidaretur; quin etiam ipsius fratrem sub aquis per ludi speciem suffocari curavisse. Quàm igitur detestandum probrum animæ, amabilissimum suum sponsum, per gratias actuales divinis blanditiis, atque osculis sese prosequentem, alloquio non dignari? Quod si prodigus ille filius patrem in amplexus convolantem, mutato repentè animo rejecisset, nonne indignissimum ingratitudinis facinus admisisset? atqui per gratias actuales amplectitur, stringitque sibi Christus, nos prodigos sanè filios. has igitur repudiare quid aliud, quàm turpiter eum repellere, dum paternos parat amplexus.

204. *Et benedictiones divinæ, & pretium sanguinis Christi.*

Quid dicam in iis ipsis actualibus gratiis sitam esse animæ ab æterno Patre benedictionem? Enimverò cui benè vult ipse, huic eas frequenter & abundè confert, per easque veram fælicitatem. Considera, quæso, quanto studio Jacob Patriarcha benedictionem vel Isaac parentis sui, vel postmodum Angeli secum luctantis ambiverit: nam illius quidem assequendæ gratiâ mattis Rebeccæ consilio vestibus Esaü indutus, ipsum se simulat non sine periculo

periculo irarum fratris, malæque patris imprecationis. Angelicâ verò ut donetur, toto nisu totâque nocte cum Angelo certat, usque eo, ut illi præcisè dicat: *Non dimittam te nisi beneaixeris mihi.* Æstima igitur ex æquo, si potes, illius repulsæ indignitatem, cùm homunculus gratis inter filios Dei adscriptus Patris illius æterni benedictionem cœlestis gloriæ feracem, ultrò oblatam aspernatur. Denique omnis gratia actualis quantumlibet exigua pretium est sanguinis & vitæ Christi: quare qui illum repudiant, in illos quadrat illud Psal. 61. *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere:* quo facinore quid turpius esse potest, cùm pretio illo nihil sit nobilius, & divinius?

205. *Hinc mœror, & pudor piarum animarum*

Ergo hanc quoque turpitudinem suam incredibili mœrore plangunt pii manes, Numinis utique servi, sponsæ, filii: Nam si servos se meminerint, ut non possunt non meminisse, Dominum, ac Regem suum, ac talem Regem allocutione eos dignantem rejecisse, summoperè illos pudet, pœnitétque. Et dolorem indicat ea Jeremiæ Vatis cap. 15 comminatio, quæ & in eos lata est. *Quis enim miserebitur tui Jerusalem, aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tuâ? Tu reliquisti me, dicit Dominus, retrorsum abiisti, & extendam manum meam super te, & interficiam te.* Certè parem lethifero dolorem tibi inuram. *Laboravi rogans*, sive ut vertit noster Sanctius, *laboravi miserendo*: quasi dicat: rogando per gratias actuales misericordiæ meæ indices, sæpè repetitas, nec admissas, fatigatus sum. Ideò certum est justitiæ meæ vos permittere. Nimirum ut sicut repulsam à vobis passus sum, ita vos ipsi à me patiamini. Quod si Sponsæ nomen, ac dignitas occurrit, si Sponsi divini blanditiæ, & castissima basia contemptim rejecta, id verò vehementissimè illos excruciat, quippe quòd eorum suavitatem jam maximè cognoscant, summóque studio expetant: Quando pro basiis aversum Numinis vultum, & ignium atrocitatem persentiunt: imò & horrendum dæmonum conspectum dirásque exprobrationes pati coguntur. Si postremò se filios Dei recordentur, simulque optimi parentis amplexus à se toties repudiatos, pudore, & dolore immenso obruuntur, tum quia optimè jam norunt quo affectu sint oblati: tum quia velut pignora erant cœlestium amplexuum, ad quos totis animis anhelant, tum etiam quia Patris tantæ Majestatis, vel levissima à filiis, quos sola misericordia tales effecit, repulsa indignissima est, probrosissimáque. Quare cum immensa quadam acerbitate hæc, & ejusmodi mentes eorum perpetuò fodicant: *Generatio prava, atque perversa: hæccine reddis Domino, populе stulte, & insipiens, numquid non ipse est pater tuus qui possedit te, & fecit te, & creavit te? Incrassatus est dilectus, & recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus: dereliquit Deum factorem suum, recessit à Deo salutari suo, Deum, qui te genuit, dereliquisti, oblitus es Domini Creatoris tui.* deuter 32. hæc enim clamat exilium ex aulâ cœlesti, hæc carcer, hæc flammæ eò tristiùs, quò Patris divini, ejúsque filii nomina sunt dulciora, gratiorésque amplexùs.

§. 2.

De rejectione gratiæ sanctificantis.

Pars prima.

Explicatur.

206. *Gratiæ sanctificantis excellentia.*

Quod si verò tam dedecorosum est gratias actuales rejicere, quale erit aspernari augmentum gratiæ habitualis? Quis enim mente assequi possit hujus præstantiam? Etenim gratia habitualis, sive sanctificans, naturæ divinæ participatio est, propterea que ab Angelico Doctore *natura divina participata*, & ab aliis *semen Dei* appellatur, quod utique re, ac veritate naturam eius, à quo deciditur, participet. Est autem in eo sita eiusmodi participatio, quòd sicut essentia divina fons est actionum Deo propriarum, quales sunt intueri Numen, illúdque propter se, præque cæteris amare, & ex amore sanctè, ac iustè facere omnia: ita gratia omnis sanctitatis, atque adeò visionis beatificæ radix, ac principium est, quia illas efficit per facultates suas, id est, per virtutes Theologicas, ac morales infusas, quæ velut facultates illius, ac potentiæ, ex ipsa quasi emanant. Et verò illius consortes veri Numinis filii sunt: quippe *divinæ consortes naturæ*, præsertim quòd gratiæ beneficio Spiritus Sanctus, atque adeò ipsa tota Divinitas animæ infundatur, ut eam velut animet, agátque; ut verum sit illud Joannis, *qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Neque filios Numinis tantùm efficit gratia, sed & animas nostras sponsas, nempe per charitatem habitualem, quicum, vel omnino eadem est, vel inseparabiliter conjuncta. Hac enim ipsâ animus Deo copulatur, si maximè charitas actualis accedat, per quam nuptiæ divinæ consummantur. Denique gratia eiusdem Numinis efficit amicos. Qui titulus omnium dulcissimus est, quia

propter

propter illum, propter amorem, inquam, divinum, dulce est nomen patris, filii, sponsæ: Est item pretiosissimus, quia, qui cor divinum sibi obstrictum tenet, cuncta eius attributa, ac perfectiones sibi eodem vinculo obligatas attinet.

207. *Ejus itaque rejectus turpissimus*

Ex quibus omnibus nemo non videt rejectionem illam rei tam excellentis, támque pretiosæ, homini fide divinâ, rationéque prædito, probrosissimam esse. Cùm enim gratiam, gratiæque augmentum, & quærere, & admittere optabilissimum, ac laudabilissimum sit; repudiare, non potest non esse turpissimum. Nam Philosophorum scitum est, ex contrariis contraria consequi. Et sanè in gratiæ repudiatione inest aliquis illius, imò, & Numinis eam offerentis, contemptus. Gratiæ quidem, propterea quòd rem omnium augustissimam, & præstantissimam homo tanti non æstimat, quanti abjectissimas mundi quisquilias, quas utique magno labore, gratiam vix levi vult mercari. Numinis autem despectio inde promanat, quoniam, qui donum tantum ac tale rejicit, donantem contemnere censetur. Etenim quemadmodum honoris excellentia à personâ honorantis petenda est, ita & doni, quod honoris habet rationem, pretium à dignitate dantis promanat. Et ita moribus hominum comparatum est, ut torques ac bullæ à Regibus donatæ, etsi per se non admodum pretiosæ, maximi æstimentur. Sicut ergo qui Regis donum vilipenderet, pariter ejus dignitatem haberet contemptui; ita qui gratiam summum Dei donum contemnit, Deum contemnit.

208. *Defunctis luctuosus ob multiplicem indignitatē.*

Atqui Numinis contemptus, quàm piis manibus gravis, & luctuosus est, cùm jam illius amore magis, quàm purgantibus flammis ardeant! Et præsertim, quòd tum minimè despici debuisset, quando tam optabili beneficio eos afficere moliebatur. Sed & hic dolor, & ejus contemptûs indignitas ingravescit ex eo, quòd repudiatio augmenti gratiæ, est repudiatio augmenti charitatis in nos divinæ, cùm in omni beneficio primum donorum sit amor. At amorem divinum vilipendere, est vilipendere amorem Dei in seipsum: nam ex eo amor in nos divinus profluit. Est etiam vilipendere attributa omnia divina, cùm hæc amori quodammodo subjecta sint. Est denique vilipendere turpiter totum ipsum Deum, quoniam ut in homine pulcherrimum omnium est cor bonum, amórque recti: sic in Deo pulcherrimum est, bonitas, à quâ quidquid in Deo est, habet, quod bonum sit, & laudandum. Cæterùm augetur insuper ejusmodi contemptus, atque adeò mœstitia piorum manium, quòd qui gratiam sanctificantem piis operibus cumulare negligit, virtutes infusas supernaturales, Fidem, Spem, & ut diximus, Charitatem, paritérque morales, Prudentiam, Justitiam, Temperantiam, Fortitudinem, dona quoque Spiritus Sancti, quæ vel sunt virtutes ipsæ longo usu corroboratæ, vel potiùs singulares ad virtutum exercitium gratiæ actuales parvifacere, & in æternum quidem rejicere censetur, quoniam omnia illa vel infundi cum gratiâ, vel crescere solita sunt. Postremò quæ illa vesania est, & quàm pudenda, cùm homo naturæ sponte, hominis, imò bestiarum amore gaudeat, eúmque excitare, & amplificare studeat, negligere ac repudiare augmentum amoris in se divini? Quamobrem cùm ejusmodi indignitas defunctis longè, quàm nobis manifestior sit, *& sicut exaltantur cœli à terrâ*, sic cogitationes eorum à cogitationibus nostris, quantus inde pudor, quantus dolor eos obruit!

209. *Quæ crescit ex effectu gratiæ.*

Sed uterque ille luculentiùs patebit, si rei hujus indignitas sigillatim ex rejectione effectuum gratiæ spectetur. Quod enim ad primum attinet, etsi quilibet justus verè sit filius Dei, tamen inter ejusmodi filios immensum discrimen est. Nam ambigi non potest, quin alii ab aliis magis distent, quàm Cæsarum, Regúmque filii, ab hominum de populi vulgo liberis; nec minus certum, quoslibet nostrûm, si gratiis actualibus, ut integrum est, uteremur, si sanctificante numquam excideremus, ad aliquem sanctitatis gradum evectum iri, tametsi numquam ad excelsum illum, quem aliqui Sancti singulari prærogativâ, singularibúsque auxiliis adepti sunt. Quemadmodum nec testudo, aut limax tantum spatii toto vitæ suæ tempore conficere rependo poterit, quantum eques una diecula currendo. Certè quispiam ex Italis Societatis JESU laïcus jam vita functus Neapoli renuntiavit medico cuidam, tanto se in cœli regno Philippo II. Hispaniarum Rege esse excelsiore gradu, quanto Philippus ipsum in orbe terrarum anteibat. Ita P. Paulus Bary in solitudine Philagiæ. Et satis constat plurimos, si excussissent pigritiam, & pro viribus egissent, non minore intervallo seipsis superiores, gratioresque Dei filios fuisse futuros. Id verò, quàm piis manibus dolendum est! quàm enim probrosum! Nam si dum Claudius Imperator Neronem privignum, Nerva senio pressus Traïanum, Hadrianus Commodum verum, Justinus Justinianum filium sororis adoptavit in filium, adoptionem illi recusassent,

recusassent, & ab hominibus de trivio se curassent adlegi, quot ludibriis, ac scommatibus fuissent concisi ? Attamen inter filium Cæsaris, ac Dei, quantum interest? quàm ergo piis manibus pudendum repudiasse excelsum inter filios Dei gradum, & plebeïo in statu per ignaviam jacuisse, nec damnum hoc reparare posse in æternum! nempe longè turpius, ac tristius est, quàm Regis filio excidere imperio, & familiâ Regiâ, & in plebeïum ordinem redigi.

210. *Defunctis quàm probrosum rejecisse Sponsæ divinæ dignitatẽ.*

Quid jam dicam de Sponsæ Numinis dignitate? Pariter enim de illâ disputare licèt, tantum interesse inter eam dignitatem Sponsæ divinæ, quàm anima nostra accuratâ sui custodiâ, studióque Numinis demerendi, consequi potuisset, & illam, quam consequetur, quantum interest, inter sponsam Regis, & servam. Cùm ergo dedecus inter mortales intolerabile esset, nuptias Regis, posthabuisse nuptiis mancipii, dici non potest quantopere pudeat defuncti animam respuisse arctiorem cum Deo necessitudinem, & mancipii instar illi serviisse: præsertim cùm ejusmodi rejectus in Numinis injuriam caderet, quod perspectum sit hominum usu, atque indignatione, quæ sæpè ad furorem usque desæviit, nihil gravius accidere hujusmodi repudiatione. Novimus Agnetes, Agathas, Lucias, aliásque nobilissimas, & plurimas puellas per omne supplicii genus morti datas, quòd procos repulissent. Hanc enim repulsam ascribebant illi injuriæ, suíque despectioni, ejúsque impatientiâ, furoréque perciti innocentissimas virgines de Christianâ Fide ad Judices deferebant. Quis igitur esse potest Numinis sensus, cùm suas nuptias turpiter rejici animadvertit: postquam, ut Sanctæ Gertrudi significavit, per filium suum JESUM in terras legatum 33. annorum spatio non aliud egit, quàm ut castissimum animarum connubium obtineret, nihilque etiamnum molitur, quàm ut hujus voti fiat aliquando particeps. Ipsæ verò animæ rejectionis suæ conscientiâ, quàm dirè cruciantur, dum hæc apud se reputant dies noctésque, nec possunt non reputare! sed quantò torquentur duriùs, dum adulteria sua spiritalia, divortiáque cogitant, dum sterilitatem expendunt illæ, inquam, animæ, per quas stabat plurimorum, ac clarissimorum Dei filiorum matres esse, nisi rebus creatis per nefas adhærere maluissent! Itaque huc spectat illud amarissimum Numinis iudicium apud Vatem Ezechiëlem c. 23. *Quia oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuum: tu quoque porta scelus tuum, & fornicationes tuas*, id est, pœna sceleris, atque huiusmodi fornicationum spiritualium perferenda tibi est, vel teipsâ, scelerisque conscientiâ tortore.

Pars secunda.

Confertur hæc repulsa cum aliis repulsis.

211. *Confertur ea turpitudo cum infamia Vasthi Reginæ.*

Mitto nunc de amicitiæ divinæ rejectione dicere, sive quia proximè superiùs paucis illam attigi, sive quia hæc insufficiunt, ut turpitudo, quâ de agimus, pudórque, ac dolor ex ea enatus innotescat. Quoniam tamen magis animos ferire solent res cum aliis compositæ, quàm simpliciter propositæ, prodeat primùm in medium Regina Vasthi, & infælicissimam suam sortem, summámque infamiam tacita defleat; nec enim idonea tanto luctui verba inveniri queunt. Desponsa erat Assuero Regi potentissimo, *qui regnavit ab Indiâ usque ad Æthiopiam super centum viginti septem provincias.* Evenit porrò aliquando, ut ab illo iuberetur in ornatu regio illi se sistere, nempe ad ipsius eximium decorem cunctis populis sibi subiectis in regio convivio ostentandam. *Quæ renuit, & ad Regis imperium venire contempsit, unde iratus Rex, & nimio furore succensus, interrogavit Sapientes, qui ex more regio semper ei aderant; cui sententiæ Regina Vasthi subiaceret, quæ Assueri Regis imperium, quod per Eunuchos mandaverat, facere noluisset, respondítque Mamucham audiente Rege, atque Principibus; non solùm Regem læsit Regina Vasthi, sed & omnes populos ac Principes, qui sunt in cunctis provinciis Regis Assueri. Egredietur enim sermo ad omnes mulieres, ut contemnant viros suos.* Quid denique? *Si tibi placet*, inquit, *egrediatur edictum à facie tuâ, & scribatur iuxta legem Persarum, atque Medorum, quam præteriri illicitum est, ut nequaquam ultra Vasthi ingrediatur ad Regem; sed regnum eius altera, quæ melior est, accipiat, & hoc in omne, quod latissimum est, provinciarum tuarum divulgetur imperium, & cunctæ uxores tam maiorum, quàm minorum deferant maritis suis honorem. Placuit consilium Regi, & Principibus.* Hæc est tragediæ catastrophe, hæc misera sors Reginæ potentissimæ, repudiari primùm, tum repudii eius causam vastissimo illo imperio divulgari cum infamiâ ingenti, adeò ut Assuerus ipse irâ sedatâ infælicitatem tantam miseraretur.

212. *Et illi præfertur.*

Sed quantò defunctis calamitosius est è præcelso gratiæ, gloriæque, ac Sponsæ

divinæ gradu, quem assequi licebat, deturbari ad infimum, quàm è sponsæ Regis Assueri, ac Reginæ celsitudine ruere in plebeïum; cùm gloria omnis humana cœlesti vel minimæ nimiùm quantum concedat! quantò probrosius illud animæ ingratæ repudium toti olim mundo divulgandum, & iam Numini, Angelisque esse notum, quàm regno Assueri! Equidem plus verecundiæ arbitror inuri piis manibus, vel inuri posse ex eo capite, quàm pluribus eiusmodi Reginis ex pari abiectione, cui tamen mortem crudelem haud dubiè præoptassent.

213. *Et cum probro Antipatri.* Veniat nunc in contentionem Antipater Herodis Infanticidæ filius, mali scilicet corvi malum ovum. Hic cùm Mariamnæ, duorumque eius filiorum Alexandri, & Aristobuli cædem pessimis dolis, ac criminationibus machinatus esset, ut per Machabææ Gentis ruinam ad Judeæ regnum grassaretur, cúmque iam Herodis hæres ultimis tabulis scriptus esset, parentis vitam, seriùs voto suo viventis, veneno appetiit. Convictus deinde parricidii attentati, aliarúmque infandarum cædium, in custodiam datur. Interea Herodes senio, morbisque fessus properabat ad mortem; nec minus Antipater, etsi clausus, & damnatus, aspirabat ad regnum. Quare custodem carceris, quà promissis, quà minis urgebat, liberum ut evadere quantocyùs sineret. Quæ res cùm ad Herodem à custode delata esset, ille justissimo in parricidam furore, exiguum quod erat vitæ, & propè supremum spiritum exhauriens, Antipatrum necari jussit. Atque hic exitus fuit ambitionis cruentæ, eò truculentior, quò iam spe regnum præceperat, quando vita pariter, & regno exutus est. Verùm nec ista calamitas componi digna est cum piorum manium, quam tractamus, miseriâ, quando nec Judææ regnum quidquam est ad dignitatem, unde illi propter socordiam excidunt, & nex properata longè dulcior est diuturnâ, ingentíque infamiâ, imò parricidii, totque cædium reo, ac conscientiis cruciato, vitâ suavior esse debebat.

214. *Item cum S. Hormisdâ.* Verùm haud scio, an quidquam hoc in genere contigerit, quod probrum S. Hormisdæ ob Christianam Fidem illatum æquare possit. Erat Hormisdas clarissimâ inter Persas familiâ, Regi proximus, & rerum gestarum gloriâ perillustris, quando Rex furore in Christianos percitus, ut aliis terrorem incuteret, eum primùm aulâ amovet, tum bonis exuit, eáque ejus famulo donat: exinde virum tantum camelos regios curare jubet. Satisne? minimè satis; quin hactenus jocus, & ludus. En dedecus dedecorum. Hormisdæ uxor famulo illi, nec repugnans datur in sponsam, neque tamen illic sistitur. Quid verò addi potest ad dedecus? id nempe, Hormisdas famulo, & uxori infidæ, liberisque, suamet in familiâ, ac domo mancipii instar servit. O probrum inauditum! & tamen infamiâ piorum manium longè tolerabilius est. Nam fieri ex conjuge conjugis & servi famulum, lapsus quidem, & abjectio summa est, sed ab humanâ dignitate, quæ revera semper abjecta est. At pii manes è divinæ Sponsæ sublimissimo gradu in infimum se ruisse plangunt. Deinde si de verâ gloriâ agitur, fidei causa totum hoc S. Hormisdæ probrum fecit glorioſissimum: at causa depressionis defunctorum, depressione ipsâ probrosior est.

ARTICULUS III.

Exponitur sigillatim tristitia piorum manium ex peccati macula.

PRÆFATIO.

215. *Memoria criminum manet, auget urq; post mortem.* ETsi noxæ piorum manium, vel ante obitum si mortiferæ, vel si veniales in obitu, aut post obitum revera deleantur, tamen earum turpitudo utcumque præterita, eos cruciare non desinit, quamdiu expiatorio carcere attinentur. Etenim tamdiu puniri perspectum est: pœna autem quædam exprobratio est turpitudinis culpæ, ac proinde quamdiu pœna manet, exprobratio ista maneat, necesse est. Cùm igitur, ut fide certum est, condonatâ, deletâque culpâ, pœna luenda manere possit, ac solita sit, præterita turpitudo culpæ pios manes excruciare potest. Porrò tristitiâ illâ manes graviùs, quàm mortales affici, duobus maximè ex capitibus liquet, notitiâ, & amore. Siquidem perspectum est notitiam, sive criminum recordationem, quatenus ab imaginatrice sejungitur, estque mentis propria, in mente ipsâ proximè insidere, atque adeò spiritalem esse (ut & mens) & nesciam corrumpi. Constat itaque criminum anteactæ vitæ recordationem, ab obitu residere in animâ: & quidem puriorem, certioremque, quoniam à phantasmatis illam velut obnubilantibus, est libera. Verùm esto, fac perire cum vitâ rerum præteritæ vitæ memoriam: certè quidem singulorum criminum exactissimum à morte examen, sive clarissima, perfectissimáque eorum imago,

menti

menti vitâ functi objecta in eo permanet. Quàm verò viva sit, & clara, plus nimio patet, quòd animus corpore solutus, in operatione suâ à phantasmatibus minimè pendeat, ac proinde res ipsas per se proximè, prout per se sunt, inspiciat, spirituum instar, earúmque essentiam penitissimè cognoscat. Ex quo consequitur quemlibet è piis manibus clariùs, certiùs, ampliúsque rerum naturas pervadere, quàm Aristoteles, ac Platones, aliáque portenta ingeniorum: & tamen lumini illi nativo accedit fidei iam expeditissimæ lumen, accedunt dona sapientiæ, scientiæ, aliáque Spiritus Sancti propria: quare nihil abest quin animus, & Numinis Maiestatem, & peccati turpitudinem longè quàm mortales clariùs pervideat, atque inde infandum dolorem percipiat. Qui quidem eò graviùs in illos sævit, quòd sæviat continenter, neque ullo unquam temporis puncto interrumpatur.

216. *Semperque obversatur.* Etenim infælix illa cognitio turpitudinis scelerum, semper animo obversetur, necesse est. diximus enim priùs defuncti mentem nullâ tormentorum vi interturbari: & verò non est cur ea notitia hoc potiùs momento maneat, animámque fodicet, quàm illo: præsertim cùm semper eadem maneat causa fodicandi: siquidem ad rationem utriusque pœnæ, sive sensûs, & damni pertinet, memoria causæ cur subeatur. Nam supplicium quodlibet eò dolentiùs fertur, quòd illius causa infamis sit, & homine indigna: contra verò ex causæ honestate non modicum patienti solatium accedit, ut constat Martyribus accessisse. Jam subtractio conspectûs divini non graviter eos afficit, qui nullam ei causam dedêre, quod in Patribus veteris testamenti Limbo detentis satis notum est. Quod igitur vehementissimè torqueat defunctos inde existit, quòd illius causa turpis, omninóque rationi adversa sit. Quare cùm privatio illa, utpote pœna essentialis continenter excruciet, criminum memoriam semper animo defunctorum obversari necesse est.

217. *Peccata torquent defunctos ob Dei amorem.* Alterum tristitiæ caput est amor Dei, qui, ut etiam aliàs diximus, & brevi dicemus, in piis manibus summus est: non quòd habitualis ipsa charitas, ullum post mortem augmentum accipiat, sed quòd vim suam exerat totam, atque, ut aiunt, ex totâ latitudine habitus operetur. Cùm igitur amor mensura doloris sit, pudorisque ob Numen offensum, ex summo illius amore tristitiam summam in defunctis enasci convincitur.

Porrò peccati turpitudo triplici ex capite sese prodit, atque æstimanda est. Primum ex ipsius essentiâ, quatenus scilicet offensa Numinis, & injuria est, deinde ex quibusdam ejusdem proprietatibus, ut scholæ loquuntur, quatenus si mortale, continuò Christicidium, ac Deicidium est; denique ex illius effectis, quæ pòst enumerabimus.

§. 1.

Quemadmodum peccati turpitudo pios manes cruciet, quatenus est Dei offensa.

PECCATUM sic recte Theologi definiunt, ut sit injuria Deo facta, seu Dei offensa. Cum enim omni peccato divinæ legi repugnetur, violatâ lege, Legislator ipse divinus læditur, atque offenditur: quippe quòd perinde habeatur, atque si jus, ac potestas leges ferendi penes eum non esset: Est autem injuria Numini facta gravissimum malorum, quæ possunt excogitari. Enimverò Numinis malum est, ut aliàs quoque diximus, supremæ, inquam, Majestatis, cui cætera, quæ sunt, quæ fuêre, & erunt, aut esse queunt, collata, teste veritate, aut situlæ effusæ gutta reliqua sunt, aut pulvisculus stateram minimè inflectens, aut potiùs nihil. Porrò injuria proportione personæ, quæ violatur, crescit, quemadmodum honor pro dignitate illius, qui honorem exhibet. Cùm igitur infinita sit divina Majestas, quæ læditur, injuria illi facta, immensitatem quamdam sortitur, atque adeò malum est immensum. Et cùm eadem Majestas nimium quantum exsuperet omnes res conditas, etiam rationis, malique capaces, illius malum, cætera omnia, etsi gravissima mala, immenso intervallo excedit. 218. *Dei injuria gravissimū malum.*

Quamobrem gravissimè dolet piis manibus id se mali Deo intulisse. Et, si rata est Ambrosii sententia in vatem Micheam: *Nullum dolorem maiorem eo esse, qui peccati mucrone vulnerat conscientiam*, in illis maximè rata est. Certè idem illis graviùs dolet, quàm omnem illam feciſse iacturam visionis, amorisque beatifici, quam hactenus exposuimus, quippe quod hæc ipsorum tantummodo malum sit. Imò acerbiùs eos torquere nata est ea Dei offensa, quàm ultrices illæ flammæ, seu purgatorii, seu orci, quoniam & hæ malum sunt creaturæ; & re ipsâ ita torquerer, nisi divina providentia Numinis, magnitudini mali dolorem adæquari nollet, ne anima unica, eáque minimùm rea, longè plus toleret supplicii, quàm omnes damnatæ, 219. *Defunctos graviter torquet.*

paritérque dæmones ab igne, cœliqúe iacturâ patiuntur; quod misericordiæ divinæ minùs congruere videtur.

220. *Mortifera culpa maximè Deo contraria.* Si autem quælibet noxa, etiam leviſsima, tam gravis eſt piis manibus, quàm infandis modis afflictat eos mortifera! Hæc enim divinam legem ſub pœnâ ſummæ ac divinæ indignationis, æternæque damnationis latam violat, ac proinde Deum, divináque omnia attributa graviter vilipendit. Nam bonitatem quidem deſpicit, quòd reus illius omni bonitatis fructu in æternum ſe abdicet. Eſt enim mortifera noxa ejuſmodi, ut hominem omni beneficio, gratiáque indignum efficiat, neque aliter tamen, quàm merâ, ſummâque gratiâ, & velut per miraculum poſſit reparari. Pulchritudini quoque contraria eſt, quia turpitudo eſt ſumma, réſque conditas turpes & abjectas illi poſtponit. Sapientiæ etiam adverſatur, quia ab æterno conſtitutum illius ordinem perturbat. Inſuper miſericordiæ, quia ea ad peccandum abutitur. Adhæc divinæ potentiæ inimica eſt, quod eam, ad deſignanda, perpetrandáque ſcelera detorqueat. Item immenſitati, quod præſente, ſpectantéque Deo peccare non reformidet: mitto cætera ſuo loco ediſſerenda.

221. *Hinc pudor ingens defunctorum.* Cùm igitur omnis ea peccati malitia piorum manium mentibus ſemper obverſetur, eò maximè, quòd in judicio particulari, haud dubiè à Chriſto Judice fuerit illis graviter exprobrata, dici non poteſt, neque ſanè excogitari, quàm incomparabili pudore, & ingenti dolore eos aſſiduè fodicet. Enimverò huic potiſſimùm tempori quadrat illa vaticinatio Nahum cap. 3. *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & revelabo pudenda tua in facie tuâ, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam, & proiiciam ſuper te abominationes: & contumeliis te afficiam; & ponam te in exemplum.* Certè aut univerſi manes, qui gentem, ſeu populum multitudine vel æquant, vel ſuperant, criminum alienorum conſcii ſunt, unde ſingulis inuritur pudor acerbiſſimus; aut etſi non ſunt conſcii, tamen criminum ſuorum quiſque aſſiduâ memoriâ lancinatur, ſibíque eſt pro theatro, atque universâ gente, & quod impii horrore aſpectûs ſupremi Judicis clamaturi ſunt *montibus, Cadite ſuper nos, & collibus, Cooperite nos*, idem quiſque illorum meritò clamet. Et ſi Baſilio authore orat 23. de Judicio: *Fortè gravior, quàm tenebræ, & ignis æternus hic damnatorum pudor erit, ut numquam non ob oculos habeant ſcelerata vitæ veſtigia, tamquam inevitabilis alicuius ia-ſturæ*; auſim dicere luſtrales ipſas flammas, piis manibus minus pudore eſſe acerbas. Certè nullum unquam malum vidit hæc mortalitas, quod illi poſsit æquiparari.

Etenim nihil tam tetrum in morbis, atque ulceribus, nihil tam turpe in monſtris, nihil in probris humanis tam horribile, quod peccati vel leviſsimi turpitudine, atque horrore non vincatur. Quippe nihil eſt alteri tam diſſentaneum, quàm animæ rationis compoti, & infimæ, ſupremam Majeſtatem lædere. Adde cæteras turpitudines intra naturam conſiſtere, hanc verò ordinis ſuperioris, ac ſupra naturæ limites eſſe. 222. *Ob peccati turpitudinem.*

Pone tibi ante oculos Celſi cujuſdam infandum probrum, qui cùm in Africâ proclamari ſe Cæſarem juſsiſſet, Galieni Imperatoris auſpiciis, & Vibii Paſsieni Ducis virtute victus, canibus vorandus traditus eſt, indéque à populo, Galieni amore, & Celſi odio, effigies ejus ſuſpenſa patibulo. Pone Phocam Imperatorem ab Heraclio ſuperatum, dexterâ, & pedibus præciſis, cute dorſo detractâ, exſectis verendis, & haſtæ affixis, capite amputato, reliquo corpore in forum boarium per contumeliam tracto, atque in ignem conjecto, propudioſæ vitæ actum ultimum peragere. Totum hoc dedecus, atque infamia vix umbra eſt infamiæ unius unicæ ex piis manibus animæ. Imò ſi in unum hominem omne genus turpitudinis, atque infamiæ humanæ congeras, non erit id omne cum probro, atque infamiâ piorum manium, vel ex minimis noxis contractâ, ullatenus conferendum. Quid ſi probro eorumdem ex plurimis, maximiſque flagitiis collecto infamiam mortalium componas? Quantus igitur erit illorum pudor! tantus certè ut graviſsimo mortalium ſit intolerabilior. Et tamen audivimus Martium, cùm poſt obitum Numæ in regni diſceptationem cum Hoſtilio veniſſet, tuliſſétque repulſam, ſemetipſum interemiſſe. Legimus Polonum quemdam miſsâ ſibi per ignominiam ignavi facinoris, pelle leporiná, ac colo, à Boleſlao III. Poloniæ Duce, cùm eam ferre nequiret, necem ſibi intuliſſe. Quid hujuſmodi recentia memorem? Nuper Sinenſis Rex audito Tartaros urbem Regiam occupaſſe, ex arbore à ſe plantatâ, atque adeò cariſsimâ, ſe ſuſpendit, conjuge, ac liberis priùs à ſe interemptis. Plurimi ex eâdem gente, ne venirent in hoſtium manus, ſimili fato periêre. Denique plenæ ſunt probrorum impatientiâ, voluntariiſque cædibus hiſtoriæ. 223. *Omni alia majorem.*

Satiùs, opinor, verecundiam mortalium ex peccato profectam in medium protulero: 224. *Pudor mortalium ex peccato.*

protulero: ut ex umbrâ istâ de corpore utcumque judicemus. Atque ecce ab ipsis mundi incunabulis, Caïn parricidii conscientiam pudorémque non ferens, nemine persequente profugit, quasi fugeret seipsum. Exinde Achitophel perfidiæ in Davidem Regem, incestíque consilii verecundiâ adactus, laqueo fauces sibi elidit. Innumeri alii longè minoris pudoris impatientes, vel laqueo, vel præcipitio mortem sibi conscivêre. Jam difficultas Sacerdoti, vel ignoto, nec te agnoscenti, crimina fatendi, quanta est! quot perire, æternúmque cruciari malunt, quàm eò venire verecundiæ! Et tamen quàm adamantinâ serâ clausum est, quidquid in auribus Sacerdotum deponitur! & quàm rarò, imò numquam reseratur! *Sed colligata est iniquitas Ephraim; abscondítum est peccatum eius: dolores parturientis venient ei*, ait Vates Oseas cap. 13. quasi dicat, sic involvi, abscondíque in mente peccatum, postquam conceptum, ac designatum est, ut ad illud in lucem edendum, non minor, quàm puerperii labor, dolórque sit suscipiendus. Et sanè sudatur, suspiratur, & ejulatur, cùm nefandi illi mentium fœtus, velut ex utero excludendi sunt.

225. *Cedit pudori defunctorum.*

Verùm enimverò verbo uno dicam, quemadmodum notitia scelerum quæcumque, mortales etiam invitissimos continenter ferit, lucernula est ad Solem, si cum notitiâ eorumdem, quâ pii manes velut luce perfusi sunt, comparetur: ita pudor piorum manium, quem vel unicum mortale crimen imprimit, omnem mortalium ejusmodi pudorem facilè vincit. Et causa est, quod ea mortalium notitia turpitudinis peccati, & pudor ille, qui à Sacramentali confessione abarcet, intra naturam situs sit, hic autem piorum manium supra naturam. Et esto: unà jungatur ille cum pudore sanctorum, eóque supernaturali, ac summo, quem fide parta cognitio, ejusdem turpitudinis ingenerare possit, tamen in mortalibus nec fides, nec amor vim suam omnem exerunt, ut in defunctis: & licèt subinde exererent, non potest conatus ille diu tenere; atque ut teneret, evidentia quædam fidei, cognitióque turpitudinis peccati in judicio particulari hausta, pudorem piorum manium supra quàm dici potest, exaggerant. Itaque hoc maximè respectu in eos quadrat hoc supremi Judicis, quod olim Ezechiëlis voce cap. 7. interminabatur. *Et non parcet oculus meus super te: & non miserebor; sed vias tuas ponam super te, & abominationes tuæ in medio tui erunt, & scies quia ego Dominus. Hæc dicit Dominus: afflictio una, afflictio ecce venit.* Siquidem abominationes criminum in medio corde, scilicet animæ reæ esse dicuntur: Quia, ut ait Cornelius, quasi gladius cor dissecant (certè pœnitudine, ac pudore) & ita quidem dissecant, ut vel inde Deus se Deum probet, propter inflictæ mœstitiæ quamdam immensitatem.

Etenim ex iisdem capitibus eorumdem dolor defunctorum exasperatur, quibus pudor. Nam tam atroci injuriâ violasse æternum, summúmque Numen amantissimis illis animis gravissimum est, præsertim cùm jam innumera illa, seu naturæ, seu gratiæ beneficia ab eo velut in se effusa clarissimè, penitissiméque cognoscant. Quot enim accepêre, tot voces sunt ingratitudinem illis suam exprobrantes, tot mucrones conscium mentem fodicantes. Accedit ad doloris exacerbationem certa earum notitia, numquam se, totâ retro æternitate vel amore, vel laude Numinis compensare posse vel minimam Deo factam à se injuriam. Sive quòd injuria hujusmodi quamdam infinitatem sortitur ex infinitâ personæ offensæ dignitate (à creaturâ autem nihil nisi limitatum manare potest) sive quòd quidquid laudis, amorisque à Cælitibus Deo reddatur, innumeris nominibus ei debitum est, adeóque nequit in compensationem injuriæ illi factæ constitui. Quare si ingenuos animos vel ingratitudinis suæ, vel injuriæ alteri turpiter illatæ conscientia tantoperè lancinat, ut subinde Judicibus se sistant ad supplicium quodlibet perferendum, rati levius fore conscientiæ tormento. Si Antiochus ille sceleribus, & impietate illustris, amarissimâ mente recolebat mala Jerosolymæ, Judæisque à se illata, etsi voluntas, & copia illi erat ea resarciendi, quantus erit animarum dolor, de infinitis injuriis Numini oblatis, extra omnem facultatem pro iis ullatenus satisfaciendi! Itaque hæc impii illius Regis continenter iis in mente hærebunt: *In quantam tribulationem deveni! in quos fluctus tristitiæ, in quâ nunc sum! qui iucundus eram, & dilectus in potestate meâ, nunc verò reminiscor malorum, quæ feci.* Machab. 1. vers. 6. Illa item Jeremiæ Vatis exprobratio cap. 4. continenter eos fodicabit: *Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi: ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum.*

226. *Item dolor dolori.*

Certè barbarus quidam ex Canadâ juvenis, ut patet ex relatione anni 1642. cùm nescio quam culpam admisisset, primùm arboris furculis in ejus pœnam acriter se verberavit, usque dum verberando lassesceret;

227. *Superat mortalium contritionem.*

ceret; deinde variâ, sævaque incisione digitos deformavit. Jam cùm quidam vir Sancto Vincentio crimen aliquod execrabile confessus fuisset, & hic orationem Dominicam cum Angelicâ salutatione tertiò repetendam in pœnam illi constituisset, oratione vix semel absoluta, vi doloris ad pedes ejus exanimis concidit. Non absimile est, quod mulieri non honestæ famæ in Angliâ contigit. Hæc enim concionatoris voce, at divino præsertim spiritu, scelerúmque dolore medullitùs icta, secundò orantem voce lamentabili interpellavit, è mediâ turbâ consurgens (credo ad flagitiorum confessionem) sed secundò jussa est perorationem præstolari. Verùm cùm tertiò horrendùm clamans interpellasset, in faciem mortua corruit. Quid? quod Teresia non modò suarum, sed & alienarum noxarum horrore, doloréque tanto afficiebatur, ut etiam corporis membra ei velut commolita, contritáque essent, & verò ipsa mori mallet, quàm Numinis iniurias pati. Quod si ergo mortales tam acerbus dolor lancinat ob conscientiam criminum, etiam alienorum, quantus Deus bone! pios manes excruciat! quantus profectò sufficit ad vitam pluribus mortalibus adimendam; quoniam plurium ex his notitia malitiæ peccati, cum ejusdem cognitione unius è piis manibus, nequit componi: sed fortè Deus, ut sæpiùs dixi, mœrorem temperat.

228. *Patet exẽplo Conversi defuncti.*

Sed rem hanc meliùs exponet unus ex illis, atque ex ipso lustrali ergastulo. Etenim libro quinto Insinuationum divinæ pietatis cap. 5. refertur, & nos antea retulimus: *Hermanni religiosi existentem in purgatorio animam apparuisse cuidam Moniali; quæ cùm quæsivisset ab eâ, pro quâ re nunc maximè gravaris: respondit anima, propter propriam voluntatem, & proprium consilium. Nam cùm benefeci alicui, delectabar magis propriam voluntatem perficere, quàm alterius consilium, unde, & pro eo nunc tantum gravamen conscientiæ perfero, ut si in unum redigerentur omnium mortalium gravamina cordium, totum illud meo solius gravamini impar videretur.* Si ergo noxæ in speciem levis, molesta adeò memoria fuit illi animæ, ut omnium mortalium ægritudinem animi, acerbitate superaret, quid faciet memoria gravium, ac complurium flagitiorum? Sed illi animæ mentiri nesciæ, addamus Angelum Beatæ Mariæ Aiofrinæ, Ordinis S. Hieronymi Sanctimonialis, Custodem. Et huic tutissimè creditur, Quondam passa est illa ecstasim dierum quadraginta, quo tempore ejus lateri plagam Christus induxit, ut sibi similiorem redderet. Tum ad purgantia loca, mente traducta est, ubi nihil, nisi gemitus, quæstúsque audiit miserabilium animarum. Videre autem sibi visa est multiplex genus belluarum adeò terribilium, ut, vel earum conspectus hominem necare valeret; item vim vermium adeò ingentem, ut vix esset, ubi figeret pedem. Quos inter vermes unum animadvertit longissimum, latúmque quaternos digitos. Testa illi ærea, ungues acutissimi. Tum Tutelaris hic ait, vermis est conscientiæ, individuus peccatoris comes, etiam post fata. Hic ipse omni tormento acerbiùs, miserum tunc urget, continenter ei improperans noxas: & neglectas ab illo, nec paucas, & faciles vias tot, tantásque pœnas evadendi. Hæc Angelus. Ex quibus illa conscientiæ palmaris, ut sic loquar, in Purgatorio tyrannus plus satis apparet. Quare non est mihi ambiguum quin lacrymas sanguineas darent, si supperterent: imò pro explorato habeo, malle illos omnia simul tartari tormenta perpeti, quàm apud Deum toties, & tam vecorditer offendisse. Nam si Anselmi ea mens erat, ut potiùs in orcum, quàm in noxam aliquam præcipitem se dedisset; quis dubitet, ita constitutos esse pios manes, ut mallent se omnibus pœnis addictos, quàm ullius criminis reos? Itaque expiandis, quas adeò detestantur noxis, libentissimè justitiæ divinæ se submittunt, ejúsque destinata sibi supplicia persolvunt, ut cum Jeremiâ, & verius, quàm Jeremias dicere possint: *Iram Domini portabo*, & cum Davide: *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* At vos ô mortales! vos qui nunc abjecto omni pudore præcipites itis in scelera, dicite, *Quis sapiens, & intelliget ista? Quis intelligens, & sciet hæc*, quæ de pudore, doloréque, quem noxæ olim creant, disputavimus, ne deinceps eas tam facilè admittat.

§. 2.

Dolor piorum manium ex iis, quæ vel peccato mortifero insunt, vel ex eo consequuntur.

229. *Dolor de Deicidio.*

Breviter, ac compendio rem istam expedio, & tantùm ea attingo, quatenus ferè ad pios manes propriè pertinent. Gravissimum autem quod noxæ lethiferæ inest, est Deicidium; quàm verò triste illis sit, illud quoquomodo attentasse, ex eo liquet, quod illius summæ bonitatis, ac sapientiæ beneficio ad gloriam fruendam sese

sese electos vident, absque quâ bonitate esset, in miseriarum omnium baratrum fuissent ruituri. Adde acerbissimum esse, justitiam divinam, quantum in ipsis erat, exterminare voluisse, cùm ejus ope pauculorum bonorum operum mercedem immensam sese norint accepturos. Id verò caput est mœroris, & supra quàm dici, aut concipi potest, acerbum; Eodem pacto suscepisse illas statum damnatorum, Deum perire revera cupientium, ut pœnarum suarum quadam immensitate liberentur. Etenim luctuosissimum est cœli candidatis ejusdem potiundi jus aliquando in æternum renunciasse: molestissimum Numini gratiosis, omnem ejus gratiam, misericordiamque in æternum abjecisse: acerbissimum ejusdem amicissimis, juratis illius hostibus æternùm se dedidisse. Turpissimum divinitatis videndæ, possidendæque cupidissimis ferale illius odium in æternum amplexos esse. Denique intolerabile est Dei præconibus in necessitatem quamdam se conjecisse, contumeliis, & maledictis eumdem in æternum proscindendi.

230. *De Christicidio.* Jam de Christicidio quid dicam? siquidem certissimè cognoscunt se ejus sanguine, & meritis non modò redemptas, sed & cælesti gloriæ destinatas esse: quàm igitur triste est sanguinem illum impiè fundere, & sacrilegè proculcare voluisse! Norunt etiam quotidie sese non parum levari, dum fideles populi *hauriunt aquas de fontibus Salvatoris*, & quà piis operibus, quà sacrificio, quà Indulgentiâ Pontificiâ in lustrales flammas profundunt: quàm igitur illis durum tam perfidè, tam atrociter Christum accepisse! Denique Sponsæ illius sunt, & quidem carissimæ, amantissimæque: Quis igitur explicet, quàm intolerabili cum dolore parricidales manus suas aspiciant ejus cruore aspersas?

231. *De abjectione spiritus sancti.* Cæterùm en tibi alium copiosissimum fontem lacrymarum, exterminasse ex animo Spiritum Sanctum, cui jam indissolubili amoris vinculo cõjunctissimi sunt; hic enim ille est amoris Deus, & Amor ipse, quem aliquando aspernatos esse, nedum turpiter ejecisse, honestissimis illis animis intolerandum est. Hic ille est defunctorum maximè Paracletus, sive advocatus, qui quoniam eorum causam justissimam, & calamitatem gravissimam novit, *Postulat pro eis gemitibus inenarrabilibus.* Hic denique ille est à quo quidquid solatii habent, vel sperant, accipiunt. Hunc igitur exturbasse domo suâ, ejusq; templa turpissimè violasse, quàm probrosũ est piis æquè, ac puris manibus, quamque luctuosum!

His tamen accedit non impar dolor de gratiæ habitualis privatione. Cùm enim jam clarissimè percipiant nihil in rebus conditis præstabilius esse posse, eáque ad personam divinam proximè sese accedere: cùm pariter intelligant, ac summopere gaudeant singulari Numinis protectione in illa confirmatos esse, nempe summopere dolent eâdem rejectâ abjecisse se infra Dæmonem, resque omnes conditas: cùm eodem pacto servitutem Dæmonis ambiverint, quo gratiam amicitiamque Dei repudiavêre. 232. *De privatione gratiæ.*

Jam abjectio, extinctioque dignitatis filii Dei, quàm dedecorosa illis, quamque lamentabilis est! scilicet quàm iisdem jam gloriosum est eâ dignitate frui, & æternùm fruituros esse quàm jucundum est sincerissimo filii amore Patrem illum misericordiarum prosequi, adeò ut etiam severissimè castigantis manum deosculentur? quàm certum, fixúmque est illius nutus omnes deinceps sequi etiam per tormentorum acerbissima, ac voluntati se prorsus accommodare, ita quidem ut ab eâ deflectere, aut in eum peccare nequeant. 233. *De abjectione filiationis divinæ.*

Porrò illi dedecori consequens est hoc alterum, quòd aliquando per peccatum jure cælestis hæreditatis, ad quam tantopere anhelant, omninò, & ultrò sese spoliarint: siquidem nihil hoc aliud est, quàm beatitudinem contempsisse, quod summæ vesaniæ est. quod eò illis acerbius, quòd & beatitudinis momentum iam penitùs percipiunt, & ideò ardentissimè eam expetunt. Et interea semper obversatur hæc funesta recordatio desideriis, velut sese opponens, eáque repellens! *Despexisti semen gloriæ, Cœlius abdicasti, & quæ cœlo continentur, repudiasti.* In quo ipso lamentabile est Reginæ cœli, quam sibi iam propitiam summopere vovent, pariterque cælitum omnium societatem aspernatos esse. Nam conscientia tam probrosi sceleris ita illis hæc & similia exprobrat, quasi vox esset ipsa immaculatæ cœli Reginæ, Sanctorúmque omnium idem expostulantium. Atque adeò supra quàm dici potest miseros lancinat. 234. *De renunciatione hæreditatis cælestis.*

Denique ut finem faciam, sunt enim & alia noxæ lethalis effecta, gravissimè pios manes torquet, quòd æternam damnationem sint aliquando commeriti. Ut enim in humanis non modò turpe, ac calamitosum est in crucem agi, aut capite minui, sed & id genus supplicii fuisse meritum; sic haud dubiè tormenta Numinis hostibus debita fuisse commeritos, defunctis Dei amantissimis tristissimum est: quippe non tam in supplicio ipso, quàm eius merito turpi- 235. *De meritò damnationis.*

turpitudo, & infamia sita est. Cùm ergo abjectissima sit damnatorum conditio, non tantum durissima, abesse nequit, quin & probrosum in primis, ac pudendum sit illius reos se constituisse.

236. *Crimina cõtra reum pugnant.* Quæ cùm ita sint, i nunc, qui legis hæc, audísve, scelera sceleribus aude cumulare: imò etiam atque etiam cave: alioqui, & ad te spectant hæ Numinis minæ Psal. 42. *arguam te, & statuam contra faciem tuam.* te, inquam, statuet contrà te, ut ex hebræo liquet, sive scelera ipsa tua tibi hostiliter opponet, & quidem velut in aciem ordinata, ut miseram animam tuam aliquando oppugnent, lancinent, confodiant, & velut contrucident. Sed enim alieno malo sapere decernes, imò, & moveri te senties. Ergo piis manibus requiem à tam infælici conflictu, vel prece, vel pretio redime, atque adeò pacem illis procura felicissimam, & æternam.

ARTICULUS IV.

Tristitia piorum manium ex neglectu satisfactionis.

§. 5.

Agit de satisfactione piorum operum.

PRÆFATIO.

237. *Generatim exponit.* QUeritur Jerusalem, plangitque apud Jeremiam Vatem Threnorum cap. 1. rem mirandam. Nam de Deo Judice loquens, *Vocavit*, ait, *adversum me tempus*; Quorsum? scilicet, ut ipsum tempus miseram illam ream, vel testis, vel accusator ageret. Quid ita? Quoniam cùm conditum esset, eique concessum ad præstandum vero Numini obsequium, ac cultum, malesana ad idololatriam, & scelera omne genus, tempore abusa esset. Non dissimili ratione ingemiscunt pii manes graviter redargui se à tempore, quod in vivis transegêre, quia cùm datum eis esset ad facilem pro culpis suis satisfactionem, per intolerabilem socordiam suam otiosè illud fefellêre. Porrò tot sunt illius voces, quot horæ, imò quot momenta; nec pauciora capita accusationis. Propterea quòd omnia præteritæ vitæ momenta eorum mentibus sese obtrudant, simulque propriam singulis momentis satisfaciendi opportunitatem, cujus neglectum accusant. Atque hinc non modicus piorum manium mœror; hinc illi gemitus, *nolui dum possem; non possum, dum vellem. O mihi præteritos referat si Conditor annos?* sed heu! *tempus non erit amplius.* Apoc. 10. Eheu! *homo vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra prætereunt.* Ps. 143. Quàm enim vanum, atque insanum est, sinere ut dies, & anni præterfluant velut umbra, quippe inanes, & meriti, & satisfactionis, cùm utróque pleni duci possent, & facili negotio pretioque longos, & ingentes cruciatus redimere! Ecce clamat & ingemit unaquæque anima, *mensurabiles posuisti dies meos*, & brevi sanè mensurâ, & tamen *substantia mea tamquam nihilum ante te.* Ps. 38. Cùm enim breve spatium vitæ cumulandis meritis, solvendisque levi pretio noxarum mearum pœnis, totum impendendum fuisset, eheu! prope totum vacuum abiit, & licèt variis negotiis distentum, laboribusque exercitum, judicio divino instar flocci, ac nihili reputatum est, quia mundo, non Deo, ac saluti impensum. Ita, quod Jobus gemebat cap. 17. *dies mei transierunt: cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum*; ille, inquam, cogitationes, quibus lactabam animum spe inani aliquando satisfaciendi, dissipatæ quidem sunt, attamen, non cessant jam distorquere, & excruciare animum. Vis nosse quanto supplicio? expende iterum pœnam omnem damni; huic adjice pœnam sensûs. Cùm enim hæc utraque pios manes affligat, tantò acerbius est utramque in tempore, & parvo pretio non solvisse; quantò gravius utráque sævit in miseros.

PARS PRIMA.

Stultitia, dolórque Defunctorum ob neglectam eleëmosynam.

238. *Vita, mercatus.* SEd juvat illam calamitatem distinctiùs ac diutiùs trutinare. Quare cùm tria sint operum satisfacere potentium genera, quibus accedunt sacramenta, sacrificia, & indulgentiæ, ex eorum neglectu mortalium socordiam, ex socordiâ fatuitatem ex fatuitate tristissimam piorum manium metanœam æstimatum eo.

Ordior itaque à neglectu eleëmosynæ, & obiter illius dãnum expendo. Constat, ut diximus ante, vitam hanc mercatum esse, & negotiationem. Astruit hoc ipsa Veritas variis parabolis. Huc enim spectat illa de talentis, de mnâ quoque ad lucrum servis traditâ, & disertè, *Simile est*, inquit, *Regnum cœlorum homini negotiatori.* Math. 13. Quin, & ab Ezechiele cap. 17. mundus hic magna civitas, & urbs negotiatorum esse insinuatur. Consentiunt utique SS. Patres, quos inter Nazianzenus lib. 1. sent. spirt: sic canit.

Vitam

Vitam esse nostram crede veras nundinas.
mirare lucra, si sequare. nam licèt
æterna fluxis, vilibúsque maxima,
Sin illa fugit, tempus haud aliud venit.

Mitto Machatii, Laurentii Justiniani, aliorúmque authoritates. Sed industriam R. P. Gonsalvi Silveriæ ex Soc. Jesu, ex eiusmodi consideratione haustam prætereire nequeo. Agebat Monomotapæ in Apostolico munere, quando, ut ait, Sacchinus Hist. Soc. tom. 2. lib. 4. plurimùm commovebatur, sacrum se mercatorem cogitans, totúmque Dei negotiis ac curis occupatum, ac sortem divini sanguinis exercentem, nec homines Societatis, nisi negotiatores & institores eiusmodi esse dicebat: atque in quadam ad Generalem Præpositum epistola. *Ego*, ait, *incidi in venam huius sanctæ negotiationis, beatæ obedientiæ ductu, in terra auri feracissima, nec animus ultra est alias fodinas usquam, nec quietem, aut artes cogitare.* Ita ipse, qui & addit miras ex eiusmodi venarum inventione affluere in animum voluptates. Est autem nobis commercium cum ipso Deo. Is ad gloriæ suæ, velut lucrum, facultates intra & supra naturam sitas, nobis tribuit, intelligentiam scilicet, & voluntatem, gratias item multiplices, ac plurimas, cuique pro suo arbitratu ac bonitate. Ea tamen lege, ut nos, quod nostrarum est partium, iis facultatibus, illius gloriam divinam sedulò ac sincerè quæramus. Utrimque conventum, dum natura rationis compos nobis indita est; hac enim acceptâ, eam legem atque obligationem suscepimus, cùm ratio dictet non alium in finem naturæ & gratiæ dona referenda esse, quàm in eum, quem ipse Conditor & largitor Deus illa contulit. Atqui contra ius fasque frequenter naturæ facultates in pravos usus finesque detorquemus; gratiæ etiam dona habemus despectui: certè quidem negligimus, si non omninò repudiemus. Ita Deo multis nominibus obstricti, & valde obærati sumus. Neque enim tantummodo quæstum illius gloriæ non facimus, dum licet, verùm etiam honori detrahimus, dum peccamus.

239. *Ejus tempus.* Igitur ea nomina nobis expungenda sunt, & Deo faciendum satis. Quis modus? Quod tempus, quævè opportunitas? modus, si stipem largiaris egentibus; tempus, ut diximus, huius vitæ spatio continetur. Cùm enim authore Sapiente Eccles. omni *negotio sit tempus* & opportunitas, & eodem teste *acquirendi, & tempus perdendi*, seu ut habet Arabicus *iacturam faciendi* Eccles. 3. acquirendi tempus decreto Numinis hujus vitæ curriculo definitum est, & cùm gratiæ acquisitionem, seu meritum semper comitetur vis satisfaciendi, hæc quoque vitæ hujus fines non prætergreditur. Quare alterâ in vitâ, sola regnat justitia, & omnia debita ad novissimum usque quadrantem exigit.

240. *Stultitia non satisfacientium eleemosynâ.* Atque hinc perspecta est insania mortalium, utique procrastinantium in dies satisfactionem, ac stipem in egenos, ac potius renuentium eam, ut ut noverint illâ hic neglectâ sibi omnia omninò debita persolvenda esse. Sic enim ista se res habet, Dicit tibi Deus, Mi homo, debes mihi aureos mille: verumtamen, si pauperibus illis teruncium meâ causâ dones, centum aureos tibi remitto. Quid homo? Mi Deus, inquit, gratiam istam tuam tibi habe, non libet quidquam jam solvere, non cuiquam, donare; si postea centum aurei solvendi, ferendum erit, solvam: quanta illa fatuitas! Sed audi rem miram. Non multos ante annos perscriptæ sunt ad mercatorem quendam litteræ, quibus significabatur dupliones Hispanicos fermè alterum tantum valere in provinciâ Narbonensi, quò pecunia citra omne periculum ac difficultatem transferri posset. Ille cunctatus mittere, non modo lucrum illud seriùs desideravit, sed & dupliones amisit, & cùm creditoribus non esset solvendo, in custodiam datus est. Vesaniam hominis! exclamas, & meritò! sed fabula de te narratur, aut veritas potiùs demonstratur. Nam mercatores, ut est observatum, & dupliones Hispanicos, aliudve nummorum genus expendere potes, in Narbonensi, & in Flandricâ, & in Artheſianâ, in omni denique provinciâ, cum lucro non modo altero tanto, sed centies majore, si in egenos dividas; cessas tamen, & cessare statuis deinceps. Et brevi erit, cùm & lucro, & duplionibus unà cùm vitâ, pereuntibus, impar solvendo supremo rerum domino, in carcerem detruderis; quanta ista tua fatuitas est! Sed à parabolis abeamus. De Piratiningâ, Brasiliæ regione, sic memorat Sebastianus Beretarius Societatis Jesu in vitâ P. Anchietæ ejusdem Soc. *Armenta quoque boum, equorúmque tanto numero illic fœtificant, ut equi valde boni, vilissimarum rerum, galeri unius, aut geminorum è panno tibialium commutatione parentur: fuit cum vaccæ novem æris alieni nomine, minoris quàm nummorum trium aureorum, ad hastam licitatorem invenerunt. De soli fertilitate frumenti non dubitant asserere mensuræ unius fructum in centenas multiplicari*; sic ipse. Nec dissimilia de aliis nonnullis novi orbis regionibus accepimus. Quod

si verò tibialium Tornacensium commutatione tot equos, vaccásque Europæas mercator sibi parare, & facilè in Belgium, breviqúe advehere posset, nemo tam sui lucri negligens foret, ut illud missum faceret. At ejusmodi bona sors cuique homini Christiano in promptu ac manibus est, imò haud paulò melior. Etenim det egenis galerum aut galeri pretium, & pinguium vaccarum licet, Christi optimæ satisfactiones ei reddentur, quarum pretio sese ære alieno exoneret, liberque abeat ad cœlites. Equus item addetur, & Pegaseus quidem, ad celerem ad eos volatum.

241. *Inde mœror defunctorum.*

Cùm igitur hæc, & ejusmodi communi morralium socordiâ neglexerint pii manes scilicet tanto ære Deo jam obstricti, vicem suam non mediocriter lugent. Nam si plurimi mortem, creditorum importunitati præoptant: Si Alexandrinus ille debitor præ onere æris alieni, & eorumdem molestiis, in laqueum se illicò induturus erat, nisi à Virgine adhuc paganâ, sed post, Angelorum ope ob benignissimum in eum animum Christianis sacris initiatâ, facultatum suarum sponsione revocatus fuisset: nemo dubitare potest, quin nominum multitudo, ac gravitas, vel unicæ defuncti animæ molestior sit, quàm debitoribus hujus mundi quantalibet sua debita. Etenim piorum manium debita, & sunt altioris ordinis, & faciliùs poterant persolvi, & menti semper sine ullâ intermissione obversantur, & nunc damnum ex iis profectum perspicaciùs cernitur, & pœna in centuplum aucta, memoriam neglectûs ea solvendi reddit molestissimam. Præsertim si in illos quadret hæc Numinis in Tyrum exprobratio, quæ sanè quadrat in multos. *Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos, in multitudine divitiarum tuarum, & populorum tuorum dilatasti Reges terræ, nunc contrita es à mari, in profundis aquarum opes tuæ*, Ezech. cap. 27. Si, inquam, animæ alicui, conscientia improperet sua, mercibus suis, seu facultatibus mentis, ac corporis, fortunísque quibus cœlum emere, & pœnam carceris purgatorii redimere licebat, implesse multos etiam populos, ut faciunt, qui rebus ac negotiis publicis aut præsunt, aut aliter prosunt, & tamen sese unam neglexisse, aliis beneficam, sibi perparcam, aut potiùs crudelem, minimis aliorum negotiis intentam, & salutis suæ oblitam. Quàm enim duram, quàm funestam esse ejusmodi exprobrationem necessum est! Quid dicam, & quis satis explicet mœrorem ejusdem animæ, si, quod etiam multorum crimen, & vesania est infinita, si, inquam, fortunis suis paverit greges canum venaticorum, turmas parasitorum, & luparum catervas; de suis autem nominibus delendis minimùm omnium laborarit? Quàm luctuosum illi erit meminisse illa Siracidæ: *fili, si habes, benefac tecum*, id est, tibi. Eccl. 14. Item *miserere animæ tuæ placens Deo*, ejusdem cap. 30. Illa item Christi, *filii huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Cùm enim nemo ex mundi affectis, non sui primùm commodi rationem habeat, usque eo, ut litibus, & armis rem suam, & suorum quisque non segniter tueatur: Quàm pauci sunt ex Christianis, qui supparem animæ suæ curam suscipiant! Quàm igitur pauci ex piis manibus, quos ingens ejus negligentiæ pœnitentia non acerbissimè pungat!

Pars secunda.

Dolor eorumdem ob neglectum ieiunium.

242. *Stultitia non satisfacientium jejunio.*

Sed hanc eamdem metanœam, ex neglectu alterius generis bonorum operum videamus. Jejunium illud vocatur, sed ad illud omne genus voluntariæ pœnæ, quæ vel animo, vel corpori infertur, revocari consuevit. Porrò neglectus ille insignem quoque insaniam sibi conjunctam habet. Cùm enim hac in vitâ pœnæ non nisi levissimæ, brevissimæque sint, si cùm purgantibus componantur, qui subire illas, aut negligit, aut detrectat, reum se purgantium ultrò facit, id est, atrocissimis, & longissimis se subjicit, cùm posset cum levissimis brevissimisque eas commutare. Quæ verò dementia ista est!

243. *Similibus demonstratur.*

Quis enim tam demens filius familias qui tortoris manu, ac propalam cruta sibi frangi malit, quàm paternâ virgâ domi castigari? Quis leviculæ febri non anteponat calculi ac podagræ cruciamentum? Quis hodie non malit silere tantisper quàm crastino linguam sibi lentè extrahi lacerarique? nonne dementissimus hoc in genere Adamus, qui paradiso & immortalitate excidere, gravissimóque per nongentos annos labore exerceri maluit, quàm pomi esu, quo sub mortis pœnâ prohibebatur, abstinere? Nonne uxor Lothi fatuissima fuisset, si sciens, prudensque pœnæ ob retortos Sodomam versus oculos imponendæ, in statuam salis converti nihil pensi habuisset, modò indulgeret curiositati? nonne superbus ille Aman facilè tulisset Mardochæum sibi genua honoris causâ non curvare, si in paratam illi, ob ejusmodi neglectum, crucem sese tollendum prævidisset? Certè

stulti

ſtulti fuêre Sodomitæ, qui cùm ignorare non poſſent propoſitum turpitudini ſuæ graviſſimum ſupplicium, tamen illi inhæsêre, uſque dum cæleſtis ac ſulphureus ignis eos involvit. Stultiores Noëmo coævi, qui auditâ tamdiu illius interminatione, ac vaticinio diluvii, niſi vitam correctam vellent, infamem voluptatem ultricibus undis extinguere coacti ſunt. Stultiſsimus denique Roboamus Judæorum Rex, qui cùm animadverteret populum ad ſeditionem pronum, niſi æqua poſtulanti acquieſceret, & inſuper audiuſſet conſilium ſenum idem ſibi communi conſenſu ſuadentium, eo ſpreto, adoleſcentum veſaniam ſecutus, cùm inſolenter populi preces repuliſſet, & ipſe ab eo repulſus, potiſsimam Regni partem perdidit.

244. *Eoſdem manes cruciat.*

Atqui omne illud inſaniæ genus in pios manes convenit, ſpretis enim non conſiliis modò, ſed & præceptis divinis celeſti regno exciderunt, certè multi non ad minùs temporis, quàm imperium Iſraeliticum Roboamus tenuiſſet. Et quoties minas ſupremi Judicis, vel ex ipſiuſmet litteris, vel ex ore Cõcionatorum Noëmo ſimilium, fruſtrà audiêre! Quoties velut Sodomitas, conſcientia criminum commeritæ pœnæ illos admonuit! Quoties (quod Amano, ac Loti uxori non contigit) inſtantem ſibi ultionem prævidêre! Quoties ſupra Adamum commoniti ſunt, ſubeundorum ſibi olim cruciatuum morte, & longiſsimis laboribus graviorum, niſi vetitis abſtinerent! Hæc igitur multiplex inſania, ut par eſt, graviſsimè eos excruciat. *Nunc enim iniquitas*, ut prædixit Ezechiel. cap. 27. *ſurrexit in virgâ*, ſive, *in virgam*, & igneam quidem, quâ miſeri flagellantur: nec enim tã Deus, quàm illorũ veſania eos caſtigat: *Nunc afflictio una, afflictio eccevenit, finis venit, venit finis, evigilavit adverſum te.* O miſera anima, *ecce venit.* Qualis eſt enim afflictio illa, quæ dicitur *una*? *Perfecta*, reſpondent Interpretes, *ſingularis, extrema, funeſtiſſima.* Nonne igitur ipſamet eſt afflictio purgatorii? Illa, illa, quæ dum viveres, indormiſcere te dormiente & ſomnia mundi ſomniante videbatur, tandem *evigilavit adverſum te, venit enim finis. Ecce*, heu nimium percipis! *venit finis*, quando ſcelerum pœnas, quas facili ſatisfactione in vivis delere poteras, nunc integra ſolutione citra ullam miſericordiam pendere habes, adeò ut cùm inſaniam eorum, quos memoravimus, inſigni tuâ, multiplicíque ſuperâris, effectum in te detur, quod olim ejuſdem Vatis Ezech. cap. 5. oraculo prædictum fuit hiſce verbis. *Et faciam in te, quod non feci, & quibus ſimilia ultra non faciam*, quia nimirum quidquid pœnarum Deus hoc in mundo infligit, cedit Purgatorii cruciamento. O ſi! O ſi! hæc, & ejuſmodi melius expendiſſes, tam acerba pœnitentia non te excarnificaret. Si perfidam carnem pro meritis puniiſſes, nunc animus hàc flammâ non arderet. Si inſolentiam affectionum animi fregiſſes, nunc libera cœlo exſpatiarere. Si denique tantillum Chriſti ac ſalutis causâ paſſa fuiſſes, nunc pœnæ omnis immunis, cœli deliciis fruerêre. Sed quia alia omnia maluiſti, alia omnia meritò experiris. Ita luget unaquæque anima, ſed fruſtra. Ita *plorans ploravit in nocte*, ac caliginoſo purgatorii carcere, *& lacrimæ eius in maxillis eius.*

Pars tertia.

Dolor ob neglectam orationem.

VERUM & aliud plorat, nec plorare nocte dieque deſinit. Conſtat inter ea, quæ virtute pollent ſatisfaciendi, orationem, ſeu preces, rem omnium facillimam eſſe, conſtat ejus beneficio purgatorii pœnas facile redimi. Cujus rei umbram aliquam dedit, ſeu Abigail mortem mariti, omnisque familiæ ſuæ ruinam precibus ad Davidem fuſis avertendo: ſeu Eſther Regina à Mardochæo patruo ſuo, malam crucem, atque à populo ſuo Judaico, internecionem oratione ad Aſſuerum Regem habitâ amoliendo. Sic enim fidelis anima, & ſuam & amicorum ſalutem, liberationemque à pœnis, quæ inimica ſcelera illi in purgatorio intentant, non ægrè poteſt obtinere, piè conſtanterque precando. Etenim ex omnium SS. Patrum ſententiâ, Oratio Deum Judicem in Patrem convertit, imò ejus iuſtitiæ fortiter, non minus, quàm ſuaviter ſe opponit, eique, ne feriat, manus conſtringit. Ex quibus manifeſta fit eorum dementia, qui orationem negligunt. 245. *Stultitia non ſatisfacientium oratione.*

Perinde enim ſe gerunt, ac ſtultus ille Nabal Abigaïlis conjux, qui Davidis famulis contumeliâ oneratis, ipſoque propterea juſtâ irâ accenſo, tunc vino ingurgitatus jacebat, quando David ad vindictam in illum, totamque ejus familiam effundendam properabat. Perinde quoque agunt, atque ageret reus noxarum capitalium, qui ne dignaretur quidem pœnam à ſe deprecari, cùm certò ſciret precibus vel minuendam, vel remittendam: Perinde denique agunt, atque illi, qui exilii, aut triremium laborem minoris facerent, quàm veniæ petendæ ſubmiſſionem. Quid? quòd nemo eſt tam bardus, ac mentis inops, qui pœnam mediocrem non noverit, aut negligat precibus à ſe depellere; Quantæ 246. *Exemplis oſtenditur.*

igitur vesaniæ est non mediocrem, sed ingentem exilii incendiique lustralis pœnam, cùm vitare aut minuere precibus queas, ita negligere ac vilipendere; ac si nulla esset, aut si veniæ petendæ modum planè ignorares!

247. *Eliseus eã in figurâ reprehendit.*

Huc profectò accommodari potest mirabilis historia Elisæi, jam extremùm ægrotantis, Ioásque Regem Israel reprehendentis, valde arcanâ hactenus, ignotâque Interpretibus causâ. Sic igitur sacer Historicus. *Elisæus autem ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est, descendítque ad eum Joas, Rex Israel, & flebat coram eò, dicebátque: Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga eius, & ait Elisæus: Affer arcum, & sagittas: cúmque attulisset ad eum arcum, & sagittas, dixit ad Regem Israel: Pone manum tuam super arcum: & cùm posuisset ille manum, superposuit Elisæus manus suas manibus Regis, & ait Regi: aperi fenestram orientalem; cumque aperuisset, dixit Elisæus: iace sagittam & iecit: & ait Elisæus, sagitta salutis Domini, & sagitta, salutis contra Syriam, percútiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam: & ait, tolle sagittas, qui cùm tulisset, rursum dixit, percute iaculo terram, & cùm percussisset tribus vicibus, & stetisset, iratus est vir Dei contra eum: & ait, si percussisses quinques, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem, nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Hactenus fecer Historicus. Hîc multa quæstio SS. Patrum & Interpretum. Cur enim Regi irascaris, ô Propheta, quòd pluries terram non percusserit Ioas? unde enim nosse potuit percussionum numero æquandum numerum victoriarum? Probabile est, quod censent Abulensis & Sanctius, id Vati quidem notum, sed divinâ voluntate celatum esse Ioas, tantumque illi disertè injunctum, ut sæpe terram percuteret, non facturus utique, nisi id illi dictum fuisset. Quid porrò sagitta denotat? nimirum orationem: est namque vera Domini sagitta, sive quia à Domino in orantis animo, velut in pharetrâ imponitur, sive quia cor Domini penetrat, & sanguinem ex eo elicit, id est, meritorum Sanguinis Christi largam in nos effusionem obtinet; sive quia sagitta salutis est à Domino contra hostes nostros, id est, noxas nostras pœnis nostris inhiantes. Si ergo Joas terram, quæ hostilem regionem designabat, sæpiùs ab Elisæo jussus percutere iaculo, jure ab illo reprehensus est, quòd tertiò dumtaxat percussisset: mortales illam semper percutere jussi, ad delendos penitus hostes, seu noxas suas, & earum sobolem, id est, pœnas extinguendas, si id facere cunctentur, si recusent, si rariùs ac fermè numquam precentur, certè, & meritò, dementiæ accusandi sunt, & suppliciis purgantibus, utcumque funesta sint, adjudicandi.

Hæc igitur etiam dementia pios manes mœrore conficit. Etsi enim certum sit, ut ait Suarius Tom. 2. de relig. cap. 11. eos quidem Deum pro seipsis orare posse, tum quia Deo cari sunt, tum quia multis rebus indigent, quæ honestissimâ de causâ desiderare possunt, & petere: etsi exploratum quoque sit illos posse impetrare, quia cùm Deo cari sint, & nihil nisi honestum, honestoque fine desiderare queant, & postulare, digni sunt qui exaudiantur; tamen non minus exploratum est eorum orationem, uti meriti, ita satisfactionis incapacem esse. Porrò cùm ad orationis certam efficaciam, promissio divina requiratur (quoniam oratio naturâ quidem suâ allicit ad concedendum quod petitur, sed non compellit, nisi promissione ejus, qui fallere non potest, fulciatur) ambigi potest an supremus Judex, idemque Pater, decreverit ac promiserit orationi piorum manium pro se fusæ tantum tribuere, quantum orationi viatorum, cæteris paribus, etsi sola vis impetrandi, non satisfaciendi spectetur. Et dubitationem auget, quòd pii manes ex maximâ in Deum caritate liberationem à pœnis flagitant, maximâque cùm perseverantiâ orationis; quam utramque necesse esset hac in vita plurimùm obtinere, etsi faceres mortalem solâ sibi reservatâ impetrandi virtute omne jus satisfactionis ab sese in alterum transcribere. Ex quibus conficitur interpositâ conditione paris impetrationis in viatore, ac defuncto, ceterisque paribus, fore ut defunctus, maximè ex sanctioribus, libertatem suam brevi consequeretur; quod tamen falsum est. Dicendum ergo videtur pios manes non proximè à Deo impetratrare libertatem, aut pœnarum remissionem, uti mortales possunt, sed id tantùm, ut pii mortales ipsos quoquo modo solentur ac juvent. Quòd si verò quis eos per se aliquid à Deo obtinere velit, non incredibile est illud tam facile illis, quàm mortalibus, esse concedendum.

248. *Oratio piorum manium pro se imbellis.*

Ut ut est, dici non potest, quanti hæc sit scaturigo mœroris, potuisse precibus, vel suis, vel alienis, quas in manu habebant, redimere tam acerbi ignis tormentum, & neglexisse. Quò enim fuit expeditior liberationis occasio, quâ volens excidisti, eò malum atrocius est, quia pœnitentia molestior, maximè si occasio illa

249. *Hinc pœnitet eos dum viverent non orasse.*

redire

redire amplius nequit Atqui verius quàm Jerosolyma ore Jeremiæ, sic plangat unaquæque anima. *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.* Thren. 3. non modò ne exire hinc valeam, sed ut ne quidem è cœlo facile exaudiri possim, dum nocte dieque è mediis flammis inclamo misericordiam, sed meritò surdum mihi factum est Numen, quia cùm audire me, & exaudire cuperet, precari renui. Heu nimis serò nunc experior, audiendum olim mihi fuisse illud Prophetæ. *Quærite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum dum prope est.* Isaïæ 55. Quod tempus Interpres Chaldæus, tempus hujus vitæ interpretatur. *Neque enim*, ut D. Bernardus monebat Serm. 5. de Quadrag *tunc erit invocandi tempus, quando memini proximus erit Deus, sed aliis quidem præsens*, Cælitibus utique, *aliis verò nimis remotus*, scilicet in hoc terræ centro jacentibus. Quare verè dixero, quod Jobus cap. 19. *Ecce clamabo vim patiens, et nemo audit; vociferabor, & non est qui iudicet* ad miserandum *Semitam meam circumsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit.* Ita loqui possit quælibet anima.

250. *Dum tempori, & labori non parcunt ad ditandos hæredes.*

Sed sunt, quas longè sævior metanœa discruciat. Illæ nimirum, quibus convenit illa Sapientis indignatio; *Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro utrum sapiens, an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi, & sollicitus fui, & est quidquam tam vanum?* sive ut vertit Chaldæus; *& obstupui in corde meo, & dixi, hoc etiam vanitas.*

251. *Quod jam gravissimè ferunt.*

Enimverò gravissimè ferunt ita se hæredibus locupletandis insudasse, ut ad curam orationis & salutis vix sibi quidquam temporis reliquum fecerint: id quod plurimis consiliariis, & mercatoribus, & opificibus, & Advocatis contingere plus nimio compertum est. Deinde tum quidem ignorasse, quibus opes relinquerent, tanto paratas labore, sed nunc sat nosse, ex eorum oblivione suæ calamitatis, ingratissimos esse, & mendaces, & crudeles, & impios, quando vitâ functos, contra fidem, humanitatem, ac pietatem, & prece & stipe destituunt: legata ad piorum orationes, atque sacrificia procuranda, vel arrodunt, vel extinguunt, vel exequi negligunt, imò injuriam sibi factam putant, si defunctus paulò, quàm vellent, consultiùs suas voluntates firmârit, semperque fermè nimium est, quod animæ suæ in flammis arsuræ levamento reliquit. Interea triumphant cum illius fortunis: illius autem? suis, volui dicere, nec enim in eis ullum parentum beneficium, sed solùm jus suum agnoscunt. Heu miseri manes! tantine vobis erat, eos à vobis vel sic ditari, ut propterea comburi non recusaretis? Quid? quod damnant ipsi, ridentque immodicos sudores suâ causâ profusos, quando hilariter, atque intemperanter eos bibunt; tantum abest, ut vestri miserescant, & tantis ingemiscant ærumnis. Hæc igitur est immensæ, ut ita dicam, causa mœstitiæ: maximè si, quod credibile est, Deus renunciari manibus per Angelos jubeat infelicem usum patrimonii opumque, quibus cum animæ suæ damno pepercêre, scilicet in pœnam tam insani in suos amoris, atque in se parsimoniæ, ac crudelitatis. sed de his rursum suo loco.

§. 1.

De satisfactione ex opere operato.

Pars prima.

Dolor Defunctorum ab neglecta Sacramenta.

252. *Stultitia non satisfacientium Sacramentis.*

Cæterum eò magis ingravescit hæc stultitia, quò provehimur amplius. Exploratum est enim Sacramentis multò insigniorem inesse vim satisfaciendi, quàm ullis operibus bonis, si par charitas, atque animi dispositio spectetur. Nam Sacramenta ex opere operato satisfaciunt, id est, si quidem animi ea suscipientis affectus, satisfactionis virtute polleat, vim illi novam ac peculiarem addunt, sin minus, modò absit obex culpæ lethalis, satisfactionem suscipienti conferunt. Adde, & in sacramento pœnitentiæ, pœnam, quæ ritè reo à Sacerdote imponitur, eâdem virtute satisfactionis ex opere operato pollere. Ex quibus liquet, & quàm facile ac pronum sit, iis susceptis, criminum pœnas diluere, & quàm stultum non suscipere. Nam quod quidem ad confessionem attinet, tibi dicitur, ô mortalis, fatere Confessario culpam, & non modò illam expiabis, quanta, quanta sit, sed etiam de pœnâ illi debitâ non parum delebis, ac fortasse illam totam. Age, defle crimina, elue illa lacrimis, & opus non erit igne eluere. Eia decerne eadem desinere, & corrigere vitam, & pariter supplicii illis debiti vinculo te exonerabis. Quid igitur stultius, quàm confessionem negligere? Insuper mandat tibi Sacerdos Christi nomine, ut in aliquam eorum pœnam, aut quinies recites

orationem Dominicam ac salutationem Angelicam, aut Sertum Marianum percurras; quasi diceret, hoc fac, atque exilii & incendii pœnâ te libero: quis sanus hanc optionem non admittat? Quid verò de SS. synaxi dicam? mirum enim dictu! reus es & scelerum & cruciatuum: vis utrisque liber evadere? Euge synaxim adi, divinæ mensæ accumbe; virtute ipsius Sacramenti, seu directè, ut in scholis loquuntur, seu indirectè operantis (quid enim refert?) voti cõpos fies. Ergone pœnæ loco est delicioſissimis divinitatis deliciis pasci? est omninò. O pœnam suavem ac jucundam! ô quàm satius est carbonem illum Seraphicum de altari sumere, eoque labia sua cum Isaiâ contingere, quàm flammis illis purgantibus immergi! quàm præstat adire illud cæleste convivium, quàm deportari in caliginosum purgatorii exilium! mitto Sacramentalia, quorum vis ad virtutem Sacramentorum aliquatenus accedit.

253. *Adumbratur historiis Caini.* Et quæro ex te, mi lector Christiane, quid de Caino sentias hac super re. Cainus mœrore, ira, odio, invidiâ in fratrem suum Abelem contabescens, quòd Deus igne de cœlo misso ejus sacrificia sibi placere demonstrasset, & jam parricidium meditans, sic à Deo interrogatur. *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? nonne si benè egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit?* Cur ista Deus? nempe ut eliciat pœnitentiam propositâ peccati pœnâ, id est conscientiæ atrocissimo verme, qui jam tum eum rodebat, itemque mercede, si emendaret noxam, nempe primas deinceps Deo, secundas sibi, non contrà, uti fecerat, fruges servando. Et tamen sceleſtus ille pro pœnitudine parricidium illi divinæ benignitati rependere cogitat. Quamobrem *dixit Cain ad Abel fratrem suum, egrediamur foras, cùmque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Neque tamen illum Numinis misericordia deserit. Iterum confessionem ac pœnitentiam interrogando elicere tentat, *& ait Dominus ad Cain, ubi est Abel frater tuus? Qui respondit, nescio*, & procacitatem mendacio adjungit. *Num*, inquit, *custos fratris mei sum ego?* Pergit tamen Dominus impudentiam ejus terrere, ad sceleris confessionem. *Quid feciſti*, inquit, adhuc tempus est, fatere crimen. Surdo canitur: at Deus: *Vox*, ait, *sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, & audio, & propterea *maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tuâ. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos, vagus, & profugus eris super terram.* Gen. 4. Quid tibi, mi lector, videtur de Caino? nonne non tantùm impius, sed & insanus censendus est; qui toties, tamque benignè provocatus ad vulnera mentis detegenda, ut medelam acciperet, pertinaciter renuit? nonne meritò plexus est inaudito exilio, undequaque fugere coactus. Talis est profectò & gravior mortalium insania, confessionem Sacramentalem devitantium, qui propterea multantur exilio omnium calamitosissimo.

Alterum ejusmodi exemplum adjicio. 254. Naaman authoritate atque potentia Princeps, ac Regi Syriæ propter egregia merita familiaris, & in paucis carus, leprâ laborabat: cumque ab ancillâ quâdam Israëlitide didicisset, esse in Israële Prophetam, à quo tam fœdo atque molesto morbo liberari posset, cùm Regiis litteris profectus est Samariam, ac subinde venit ad Elisæum; qui Naâman ad Jordanem mittit, jubetque ut in eo septies abluat se, de optatâ sanitate securus. facile ac promptum remedium. Sed quid *Naaman*? *Iratus*, inquit Scriptura, *Naaman recedebat, dicens, putabam, quòd ingrederetur ad me, & stans invocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu suâ locum lepræ, & curaret me: numquid meliores sunt Abana & Pharfar fluvii Damasci omnibus aquis Israel, ut laver in eis, & munder?* Ita ipse. Sed quid loqueris demens? quid petis? Sanari. Quid igitur tuâ refert modò saneris, ubi ubi facilè abluaris? Quid interest, an per se ipse, an per ministrum sanitatem tibi spondeat Vates? *Cùm igitur vertisset se & abiret indignans, accesserunt ad eum servi sui, & locuti sunt ei. Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras: Quantò magis, quia nunc dixit tibi; lavare, & mundaberis. descendit & lavit in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro eius sicut caro pueri parvuli, & mũdatus est.* l. 4. Reg. c. 5. En imaginem plerorumque mortalium. Leprâ pleni sunt; quid enim peccatum, nisi lepra, totam animam fœtore atque horrore Deo hominibúsque invisam reddens? Atqui ex veteri lege mundandi sunt leprosi, & nostris quoque proponitur aqua Jordanis, Sacramenti, inquam, leviſsimum lavacrum, igne alioqui purgandis, si Jordanem illum respuant. Cunctantur tamen, & bona pars recusant, & si de confeſsione cùm iis agas, cum Naámano avertunt sese, & abeunt, nec libet eo, expeditissimo licet remedio, curari. *Naamani.*

Et hæc illa, est perennis piorum mani- 255. um, atque asperrima pœnitentia, tam facile pœni- *Defunctos exagitat.*

pœnitentiæ Sacramentum non frequentiùs obiisse: Hæc est maxima mœstitudo in Jordane isto non se crebriùs lavisse, potiùs quàm ignis horridam purgationem exspectasse. Nam recurrunt illis illa famulorum Naamani. *Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras, quantò magis, quia dixit tibi, lavare, & mundaberis.* Quis enim ille Propheta id nunc præcipiens? Concionator, Confessarius, aliique Numinis Interpretes, qui sanè, si ejusdem jussu leprosis nostris rem grandem injungerent, ad infamem lepram curandam, ejusque igneam purgationem devitandam, æquo animo subeunda foret; semper enim levis ac facilis, illius respectu habito esset existimanda; cùm longè faciliùs sit detegere plagam, quàm eam incîdi atque aduri. Sed sera est pœnitentia vestra, O miseræ animæ. Sera quoque, non potiùs accubuisse epulis divinis, per sese alioqui optabilissimis, quàm detineri in hoc flammeo ergastulo voluisse. Nempe per ignes ad illas epulas penetrare debebatis & nunc velletis, & tamen ignes pati, quàm illas degustare maluistis, & hæc profectò cogitatio, hæc syntereſis, graviùs igne vos excruciat. Meritò itaque sortem vestram plangitis, meritò nobis ac libenter inclamaretis, ut vestro exemplo saperemus. Enimverò infelix esse meretur, qui obviam ac se ultrò offerentem felicitatem repellit.

Pars secunda.

Dolor eorumdem ob neglectam Missam, & indulgentias.

256. *Stultitia neglectus Missæ.*

Porro huic tristitiæ, alia quoque accedit, nec impar priori: quod sacrosancto Missæ sacrificio interesse, itaque satisfacere neglexerint. Constat enim, & tertio libro dicemus, virtutem illi inesse pœnas ex opere operato delendi. Quamobrem dum homini Christiano, Missæ auditio præcipitur, perinde est ac si dicatur: vade age, interfis sacrificio, atque ita fugies ergastulum, fugies ferale suggestum, & fornacem illic tibi bullientem. Et perinde est dum suadetur Missæ procuratio, ac si dicatur: Cura Christum sacrificari in aræ, & incendium evades. Ex quo dementia illud negligentium summa arguitur. Quid enim Missæ sacrificium? est pulcherrima totius orbis imago Christi sese nostrâ causâ immolantis. Et sapientis erit ejus aspectum negligere; tantâ præsertim propositâ mercede præsentium, atque aspicientium? Quid iterum sacrificium Missæ? Scena est Christi nostrâ causâ Patri æterno in gratiarum actionem se offerentis, pro communibus propriisque omnium beneficiis, & novis obtinendis. Et tam insanus sit quispiam, qui illam non libenter procuret, aut contempletur, maximè novo ac maximo beneficio veniæ pœnarum culpis suis debitarum provocatus? Quid sacrificium? Est legatio Christi ad Patrem æternum pro gratiâ misericordiaque, reis mortalibus ac immortalibus obtinendâ. Et non dementis sit, illam ne præsentiâ quidem suâ dignari, ad desiderium saltem veniæ demonstrandum? Quid est præterea? Est mistica effusio Sanguinis Christi in flammas purgatorias, earumque, vel mitigatio, vel extinctio. Qui igitur ei operari, aut adesse nolit, demonstrat de illis se parum laborare, atque adeò eo Sanguine esse indignum. Quid igitur dementius? Quid denique sacrificium? Est Christi ad sacras species alligatio, ut suo isto carcere captivos purgatorii redimat. Quantæ igitur insaniæ nolle vel aspectu lytrum mereri?

Sed rem hanc figurâ aliquâ illustremus. 257. *Figura illustratur.*
Aptissima portò est serpentis ænei efficax ad sanandum contemplatio. Cæperat populum Israëliticum per deserta ambulantem tædere itineris ac laboris, *locutúsque cõtra Deum, & Moysen, ait, Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? deest panis, non sunt aquæ, anima nostra iam nauseat super cibo isto levissimo.* En virulentam murmuratorũ linguam; Quare quæ serpentes imitatur, aptè à serpentibus punitur. *Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum, venerunt ad Moysen & dixerunt: peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum, & te, ora ut tollat à nobis serpentes, oravitque Moyses pro populo, & locutus est Dominus ad eum; fac serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, vivet. fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo; quem, cùm percussi aspicerent, sanabantur*, Nu. 2. En figuram Christi, non modò in Golgothæo monte è cruce pendentis, sed etiam in altari. Et hic enim conspectus serpentum ignitorum, sine morsu, velut ignem membro læso imprimentium, id est peccatorum plagas persanat. Quemadmodum ergo si quis ex Israëliticis eum erigere, aut aspicere ad curationem dedignatus esset, jure merito mente captus, aut curatione indignus esset judicatus: ita qui noxarum plagas revera igneas & urentes aspectu Christi in

arâ erecti

arâ erecti, non vult curare.

258. *Defunctos cruciat.* Itaque & hoc vehementer gemunt animæ, noluisse seu neglexisse ignem, quo ardent, vel sic mitigare, aut extinguere; quámque illud erat pronum Missæ operari tradito stipendio, aut præsentem se sistere, tam durum & intolerabile est in purgatorii tormentis tam miserè, tamque diu hærere. O quid jam non darent, ut sacrificia pro se fierent! aut quid non facerent, ut vel uni sacrificio interessent! quantâ cum pietate & reverentiâ imaginem illam vivam Christi morientis, & amabilissimum illum amantis carcerem, dum in Missâ populo exhibentur, conspicerent! Quàm avidè Sanguini Christi mysticè in eos effuso, sese velut immergerent! Sed vota hæc frustra sunt, imò non frustra, cùm eas acerbissimè torqueant, quia jam sunt frustra: quia cùm antehac nullo negotio expleri possent, jam nequaquam possunt: quia denique cùm oculos rebus vanis ac turpibus, aures item carminibus inanibus, aut impuris tam faciles olim adhiberent; nihil illis operosius aut rarius erat, quàm tam salutari sacrificio interesse. Sed hoc illis omnium atrocissimum accidit, quòd cùm pro animæ bono ac solatio, in tantis cruciatibus, item pro Missâ procurandâ omnes mundi thesauri meritò impendendi essent, infœlices illæ, dum in vivis agerent, pluris pauxillum nummorum quàm utrumque illud fecerint. Heu! nunc maximè, nunc atrociissimè illis dolet, quòd sibi hæc Ecclesiastici cap. 10. conveniant, *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam. Hic enim*, qui eam amat, *& animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua.* Quàm enim iniquè secum agit, qui pauculis assibus parcit, quibus Missam procuraret in lytrum purgatorii carceris? nonne hìc potissimè animam suam venalem habet, & parvo quidem venalem, quippe qui animæ tantum bonum, tamque necessarium octo aut decem nummulis non æstimat? Nonne eamdem animam venalem habet, qui eam non periculis tantùm, sed & certo incendio exponit, ne levem subeat laborem audiendi Sacri, aut damnum stipendii sacrificaturo solvendi? Certè quidem qui est hujusmodi, *intima sua*, seu viscera, quæ misericordiæ sedes est, *proiecisse* omninò dicendus, quia miserias suas futuras, licèt ingentes, minimè præcavet, quia misericordiæ divinæ thronum adire non dignatur; quia denique mavult diu, atrociterque cremari, quàm aut sacro interesse, aut stipendio levi curare illud bono suo parrari.

259. *Stultitia indulgentias negligentium.* Quòd si ita res habet, quid sentiendum de neglectu indulgentiarum? Enimverò & sacrificium Missæ & sacramentorum susceptio, pœnitentiæ potissimùm, & oratio, & eleëmosyna, & jejunium laboris aliquid admixtum habent: at indulgentiæ quæstus, ut plurimum vix ullum requirit. Atque ut requirat, primùm nequit ambigi, quin operibus nostris satisfactoriis multum præcellat ad satisfactionem; est enim applicatio satisfactionum Christi ac Sanctorum. Deinde non videtur etiam dubitandum, quin explens ea, quæ ad plenariam exiguuntur, certiùs ac pleniùs eximat se pœnis in purgatorio luendis, quàm si obtineat, quod virtute confessionis ac pœnitentiæ Sacramentalis, itemque Synaxeos ac sacrificii obtineri solet. Ex quibus consequitur stultitiam indulgentias negligentis, parem esse multiplici stultitiæ operâ satisfactoria, itemque sacrificium ac sacramenta negligentium; si quidem solius satisfactionis ratio habeatur, non meriti, & impetrationis, quorum, & opera, & sacramenta longè sunt fœcundiora; de quâ stultitiâ, ne denique similitudine tædium pariam, hoc tantùm habeo dicere, insigniter insanientes esse, malle exilio & carcere, & ignis flagrantissimi supplicio damnari, quàm ex Christi ac Sanctorum thesauro, facillimo negotio, & verè nullo labore, quantumlibet satisfactionum in hac Pontificum beneficentiâ consuetâ obtinere. Cui stultitiæ cùm dolor piorum manium adæquetur, omnes mœrores ex neglectu, de quo agimus, exortos, superet necesse est.

§. 3.

Recapitulatio Dictorum De pœna Damni cùm paræneſi ad commiſerationem.

160. *Recapitulatio.* ATQUE de pœnâ damni piorum manium: quæ, si singula & universa mentis obversentur, si captivitatis inauditæ calamitas, si carceris profundi ac tenebrosi miseria, si contiguitas ac fortè continuitas cum orco, si animarum alligatio ad suum ergastulum, si privatio visionis beatificæ, atque adeò jactura possessionis Dei, si jactura etiã amoris beatifici, gaudiique multiplicis ex visione erumpentis spectetur, si præterea dolor ingens ex jacturâ gratiæ sanctificantis, atque adeò gloriæ infinitæ, si insuper ea quæ nascitur ex indignitate repudiationis gratiarum actualium, ex peccati maculâ, seu Numinis offensa, ex deici-

ex deicidio item ac Christicidio, aliisque noxæ lethalis effectis tristitia consideretur: si denique hæc ipsa, quam postremò exposuimos, ex neglectu satisfactionis, hac in vitâ facilis & obviæ hausta mœstitiæ expendatur, quas singulas per se esse gravissimas ostendimus, videat peritus lector, quàm inexplicabilem doloris acerbitatem inferant, quæ disservimus, universa. mihi quidem nunc potissimè vera videtur Angelici Doctoris sententia, pœnam damni minimam maximis hujus mortalitatis cruciatibus præferendam esse.

261. *Item commiseratio.* *Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, sicut angustia parturientis. Corrui cùm audirem, conturbatus sum cùm viderem, emarcuit cor meum; tenebræ stupefecerunt me. Babilon dilecta mea, posita est mihi in miraculum.* Nam si Isaïæ Vati cap. 11. tam luctuosa fuit Babilonis clades olim eventura sub Balthasare, profectò longè potiori jure piorum manium pœna damni universa verba hæc, affectumque iis respondentem exprimere ex nobis debet. Eorum namque exilium ac durissimæ angustiæ, velut difficili, ac longo puerperio Deum parturientium, atque ad fælicem in se illius partum, supra quàm concipi potest, anhelantium, cor nostrum in similes angustias ex commiseratione redigat oportet. Et cum audimus eos toto nisu in palatia cœli connitentes, Judicis sententiâ deturbatos in terræ centrum, & proximè tartarum; & nos ipsos corruere præ misericordiâ par esset. Adhæc cùm objicitur nobis jactura illorum tanta, & visionis & amoris, & gaudii beatifici, & exclusio è societate Sanctorum, conturbari, & emarcescere præ dolore deberemus, & caligine mentis oculis affusâ stupescere. Non enim jam Babylon illa superba Cyri jugo subjicitur, quàm etsi Genti Judaicæ inimicam, diligit ex charitate pius Propheta: sed Numinis filiæ, Christi Sponsæ, & quidem amicissimæ ab eo sic accipiuntur, ac si essent inimicissimæ, adeò ut unaquæque meritò illud Jobi cap. 7. usurpare possit. *Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimet ipsi gravis*, item illud cap. 19. *Iratus est contra me furor eius, & sic me habuit, quasi hostem suum.* Quare *in miraculum posita* dicuntur, sive quia mirabilissimum est eas ab amantissimo Sponso sic torqueri, quando iter erat ad cælestes nuptias, sive quia peccati sic eas dejicientis gravitatem admirandam exhibent, sive denique quia hoc eorum supplicium, ita hujus mundi supplicia superat, ut miraculum superat naturam.

Neque verò affectus in eas nostros steriles esse decet. Itaque ut carcere isto quantocyus exeant; collatâ stipe, aclytro persoluto captivos solvamus: ut divinitatis conspectu perfruantur, earum causâ Deum ac Dominum nostrum sacrarum specierum velo tectum, in Missæ sacrificio frequenter spectemus: ut amore Numinis beatifico potiantur, cor nostrum, & non paucas actiones ex verâ caritate manantes, ipsorum bono, Numini consecremus: ut gaudio beatifico cumulentur, afflictorum mortalium, qua licèt, mœrorem levemus, ægrorum dolori saltem verbis suavibus medeamur, pauperum egestatem liberali stipe sublevemus. Ut denique Sanctorum societatem tandem ineant, Sanctos ipsos Cælites imploremus. Quod si nummorum, & stipis copia desit, in promptu sunt desideria, votaque quibus semper divites esse possumus. Hæc cumulemus, his ipsis eas votorum compotes reddamus.

262. *Excitanda.* Quî autem fiêri potest, ut his etiam parcamus, cùm canis clausi, atque adeò ejulantis miserti, non modò optemus ejus liberationem, sed etiam affectu quodam naturæ insito procuremus? Quid? novi ego quampiam, quæ nullum etiam levissimum, vel felis, vel canis domestici incomdum, sine commiserationis intimæ sensu ac mœrore, querimoniisque spectare, nedum injuriam ferre poterat. Novi, quæ catelli morbum, non levi dolore, mortem luctu ac lacrymis prosecuta est. Et homo hominis miserabilem captivitatem, jacturam immensam, tristitiam tantùm non infinitam, siccus, & immotus ferre poterit? Quid memorem pisces ob cuculli speciem, monachos dictos Olao teste lib. 4. cap. 1. cùm aliquem è suis captum animadvertunt, tantum strepitum circa navim excitare, ut eam eversuri videantur, nec cessare donec reddatur? An decet pisces hominibus humaniores, atque in suos benigniores esse? An par est Christianos, nihil Miserationis sentire in summis suorum tormentis & tristissimâ captivitate, quando bestiæ in multo leviori sic affectæ sunt? non est profectò hoc hominibus consentaneum, non est Christianis. Qui enim *credit Domino, misericordiam diligit* Pro. 4. Ergo miserere Lector, miserere animarum, quæ cùm hæc placidè legis, Deo ac cœlo spoliatæ, mœrore, quem saltem voto ac tacitâ brevique prece levare potes, conficiuntur. Adde voto, & desiderio decretum post hac efficaciùs adjuvandi, & rem tandem perfice. Quod si negligis, si multorum more mortalium,

quasi fabulas aniles hæc legis, sine motu, sine commiserationis ullo affectu, profectò meritò tibi applicem illa Isaiæ suprà piis manibus applicata. *Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum.* Rectè enim exprobrent tibi pii manes, impiæ Babylonis instar te esse, nec tamen illis non dilectum, cùm amantissimi manes salutis tuæ immemores esse nequeant, nec cessent Deum pro suis comprecari. Rectè etiam querantur positum te ipsis ac propositum in miraculum duri ac saxei pectoris, in prodigium inhumanitatis, in naturæ monstrum. Quod si ita est, etiam atque etiam cave. Minus enim verè quadrat tibi illud funestissimum Jacobi Epistolæ cap. 2. *Judicium sine misericordiâ illi, qui non facit misericordiam*, iis saltem quos Deus mortalibus proposuit in prodigium miseriæ, ac calamitatis.

CAPUT SEXTUM.

De pœna sensus.

ARTICULUS I.

An, & quomodo ab igne infligatur?

§. 1.

Pii manes igne cruciantur, eóque sulphureo ac bituminoso.

PARS TERTIA.

Igne cruciari ostenditur.

264. *Pœnâ sensûs castigantur.*

EXPOSITA damni pœnâ, proximè sequitur, ut de pœnâ, quam sensûs vocant, differamus. Est igitur primùm pœna sensûs, id genus pœnæ, dolorisve, quem vel pii, vel impii manes, aut dæmones ab instrumentis vindicis Justitiæ persentiunt, præter eam tristitiam, quæ vel ex privatione beatitudinis, vel ex custodiæ lustralis conditionibus potest exoriri. Porrò ejusmodi aliquam in purgantibus locis pœnam reperiri non modò Doctorum, sed & totius Ecclesiæ consensu exploratum est. Et verò Justitiæ divinæ ratio id exigit, ut quos pravorum desideriorum vis à Numinis amore, obsequioque ad illicitas voluptates impulerit, ii contrariâ hujusmodi voluptatibus pœnâ, si quidem eas hac in vitâ minus eluerint, castigentur. Cui rationi consonat divinum illud effatum Apoc. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum*: & hoc Isaiæ cap. 15. *secundùm magnitudinem operis est visitatio eorum*; Item illud cap. 3. *Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei.*

265. *Eaq; ab igne profecta.*

Atqui tormentum illud ab igne creari inter Catholicos receptissimum est, certumque, ut ait, Suarez, licèt citra fidem divinam. Etsi enim à Florentino Concilio decisum habemus extare aliquod Purgatorium: non tamen in eo constare ignem, quo animæ crucientur, quia Græci, qui illi intererant, sibi hoc persuaderi non permisêre. Nemo tamen sanus jam infitias eat, cùm Latini omnes Patres ac Theologi, ipseque Cyrillus Græcus, aliique ejusdem gentis, id clarissimè, indubitanterque asserant. Ac Cyrillus quidem commentario in Joannem lib. 10. cap. 14. illud disertè affirmat. Nyssenus quoque & ipse Græcus orat. de infantis animâ piè corpore egressâ. *Subibit*, inquit, *actæ vitæ iudicium, accipiet pro merito retributionem, vel igni purgata, iuxta Evangelii verba, vel in rore benedictionis refrigerata, atque refocillata.* Basilius insuper in c. 9. Isaiæ, *Non omnimodam*, ait *internecionem, & exterminium comminatur; sed innuit expurgationem* juxta Apostoli sententiam. *Ipse autem salvus erit, quasi per ignem.* Denique idem docet Origenes Hom. 6. in exod. Nazianzenus oratione in Sancta lumina, & alii. Latinos autem Patres hic laudare fere supervacaneum sit. Omnes enim in hoc consentiunt. Unicum Hilarium produco in Psal. 118. ubi purgatorium nuncupat *indefessum ignem, in ignem, in quo gravia sustinentur supplicia, quibus animæ à peccatis expientur.* Sed his omnibus præluxerat Gentium Apostolus 1. Cor. 3. cujus hæc sunt toties recantata verba: *Ipse tamen salvus erit, sed quasi per ignem.* ubi illud *quasi* non sonat similitudinem ignis, sed modum salvationis

vationis. Cùm enim salvum fore dixit, eo, inquit, modo, quo quis per ignem salvus evadit, nempe ambustus, & ustulatus. Et verò sic eum Pauli locum exponunt plerique SS. Patrum, quibus Theologi universim subscribunt.

266. *Vero ac corporeo.* Cùm ego satis perspectum sit pios manes igne torqueri, quærimus deinde, qualis ille sit, an scilicet materiâ constet, an ejus sit expers. Cui quæstioni respondetur, omninò materiâ constare, & verum ignem esse, ejusdemque cum hoc elementari essentiæ. Causa est quòd in sacris litteris ignis nomine vocetur. Atqui Theologorum scitum est, proprio, non metaphorico sensu accipienda esse, quæ in iis dicuntur, nisi quid absurdè inde consequatur, quale nihil hîc reperias. Præterea satis inter Theologos receptum est, lustralem ignem à tartareo nihil differre, nisi quòd ille temporarius sit, hic æternus. Patet autem hæc naturæ, nativarumque conditionum similitudo, partim ex receptaculo utriusque, vel continuitate, vel certè contiguitate, partim quòd discriminis nulla ratio obversetur. Atqui tartareus ignis, verus ac corporatus ignis est, ut satis patet tum ex plurimis Scripturæ locis, ubi simpliciter ignis nuncupatur, tum ex plurimis ac gravissimis Patribus, qui talem illum existimant, tum ex eo quòd damnatorum corpora post judicii supremi diem igne vero torquenda sunt, atque adeò & animæ, & nefarii illi spiritus. Tum denique quòd damnatis olim dicendum sit, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius*; unde colligitur ignem, & hominibus, & dæmonibus fore communem, atque adeò cremandis corporibus aptum & elementarem. Ex quo insuper sequitur ejusdem essentiæ, seu, ut vocant, speciei esse cum nostrate, & quidem atomæ, seu infimæ, propterea quòd nulla adstruendæ differentiæ necessitas se objiciat.

267. *Licèt nullo pabulo egeat.* Nec enim refert, quòd nec tartareus, nec purgatorius pabulo ullo nutriatur. Reponit enim Suarius id inde evenire, quòd à nullo circumstante, aut vicino corpore, etiam secundùm partes extingui possit. Enimverò eo loco situm esse, ubi nullum contrarium sit, à quo corrumpatur; atque ut esset aliquod, tamen ob copiam suam, vimque agendi ingentem, nihil foris pati posse, ac propterea incorruptibilem dici: non quidem naturâ suâ ac per sese, sed tamen absque miraculo, atque eo nomine in sacris codicibus rectè appellari, *inextinguibilem*. Quæ sapientissimi viri oratio, ex eo confirmatur, quòd de philosophorum sententiâ ignis in propriâ sphera pastu non egeat, quod & illic ab adversariis tutior sit, atque ut aer humiditate eum oppugnet, tamen amplitudine suâ se tueatur. Itaque licèt tartareus ac purgatorius ignis, terræ circa centrum jacentis, atque adeò purissimæ ac frigidissimæ actionem patiatur, tandem ejus facilè vim retundit, vincitque, quippe viribus à medio igne semper instauratis, præsertim cùm uterque materiæ pingui ac densæ adhæresçat, densitas autem illa ad vim illius & actionem plurimum conferat. Cæterùm etsi faceret quis utrumque fomento opus habere, non ideò extingui aut interire deberet; nam & sulphur & bitumen, apta subterraneis ignibus esca, eâ quoque telluris parte reconditum fortè est, & paulatim fortassis uterque locus dilatatur, ut in unum coiens corporibus damnatorum post mundi exitum recipiendis sit accommodatus. Certè mons ille tot Poëtarum Historicorumque scriptis celebratus, ac Siciliæ horror, Ætna, non deficiente tot seculorum spatiis materiâ, cum ingenti fragore fumum, favillas, ignium globos adhuc latè spargit, adeò ut quinquagena ac centena passuum millia cineribus, sive adustis arenis compleat. Adeò defectus pabuli igni inferno timendus non foret, si esset necessarius. Denique si voles eum per miraculum à Deo conservari sine pabulo, quod non est improbabile, ut pœna ignis, quippe damnatorum quodammodo essentialis, in eodem statu & acrimonia inviolabiliter, omni tartari parte permaneat, nihil inde conficies pro naturæ illius ab elementari distinctione.

268. *Nec, videatur, aut sentiatur.* Nihil quoque pro ea pugnat, quod purgatorius ac tartareus ignis minimè à mortalibus sentiatur, vel ex dæmonum orbe grassantium præsentiâ, vel ex visis piorum manium. Et huic enim argumento non difficulter occurritur. Ac Malomus quidem, qui censet dæmones (& eadem est ratio purgandarum animarum) etiam in aere & in terris ignem stygium secum deferre, eique esse velut inclusos, miracula magno numero invehere cogitur, primum quòd ignis ille in oculos non incurrat, utcumque obvius & vicinus. Deinde quòd in sensum tactûs non cadat; imò non aliud, quàm dæmones calefaciat, exurátve. Adhæc quòd simul cum illis corpora solida penetret. Ægidius verò arbitratur, neque repugnat Arriaga, torqueri quidem eos extra orcum: at non ab igne, sed à Deo ignis actionem supplente. Optimè Suarius tractatu de pœnis dæmonum cap. 6. existimat illos ab ipsomet igne stygio, ubi

ubi sunt, cruciari. Quippe quòd ejus actio in distans divinâ virtute ferri possit: sic ut medium non afficiat: cùm ut probabilissimè disputant Philosophi, etsi propinquitas agentis & patientis naturæ lege ad agendum requiratur (adeò ut actio, vel agentis virtus per medium diffundi debeat) eâ tamen lege supremus ille artifex, ejusque vim mutuatus ignis, minimè obstringatur. Quo etiam pacto Sacrosancta Christi humanitas divinâ virtute fulta, miracula in remotos perpetrabat.

269. *Quamvis quandoque urat, & appareat.*

Unum est quod huic responsioni in speciem adversatur. Constat enim ex variis defunctorum ostentis modò damnatos igne circumcinctos apparuisse, modò manes cœli candidatos pariter in igne, obversantes petiisse viventium preces ad flammarum extinctionem, aut mitigationem. Dominicanus quidam cùm Minoritâ pactum inierat, ut qui eorum prior moreretur superstiti appareret, eumque de suo statu certiorem faceret. Moritur Minorita & post dies aliquot apparet stipulatori, mensas sternenti, & ait expiatorium se circumgestare ignem, ad cruciatus sui indicium, manum mensæ ligneæ crassæ impressit, eamque altè admodum combussit. Et testatur Delrius noster lib. 2. qq. magicarum cap. 26. sectione 7. audivisse se ab oculatis testibus notam hanc mensæ inustam ad perpetuam rei memoriam parvulo clatro ferreo obtectam esse. Cui simile est, quod P. Martinus L'hermitte è Soc. Jesu audiente me narravit à se visam esse Neapoli in quodam Cœnobio similem, at funestiorem notam ignis tartarei mensæ quoque inustam, manu cujusdam Antesignani catervæ Doctorum, Priorum, aliorumque, quos arrogantia, aliaque flagitia in orcum deturbaverant. Vide Historiam ad longum in Ioan. Rechac Vitæ SS. Dom. l. 3. c. 29.

270. *Solutio difficultatis.*

Hæc igitur, & ejusmodi quomodo fiunt, si manes pii, vel impii, quando viventibus adsunt, aut dæmones, quando eos infestant, verum inferorum ignem secum non circumferunt. Cui quæstioni, ut satisfaciam, aio primùm, ut eum circumferre secum dicantur, sat esse, si, quod ait Glossa ordinaria, sicut gehenna semper ardet, ita diabolus, ubicumque sit, semper fert tormenta flammatum suarum, quod ut diximus, fit virtute ignis in tartaro manentis, atque in remotos æquè ac propinquos sævientis. Quod verò ad flammas illas apparentes, aut ad combustionem attinet, aio totum id eidem igni, in distantia virtutem suâ divinitus exerenti, ascribi posse. Nec dicas ignem hujusmodi apparentem, quòd proxima non comburat, non videri tam acrem ac violentum, quàm censetur ignis infernus ac lustralis. Ut enim instrumentum justitiæ divinæ est ad dæmones, & manes inæquali cruciatu afficiendos, sic in eventis, ostentisque ejusmodi, ejus vis divinitus temperari dicenda est.

Pars secunda.

Qualis sit ignis purgatorius.

271. *Est autem materiæ sulphureæ.*

His itaque expeditis, quæro cujus materiæ sit ignis, seu lustralis, seu Avernalis? Suarius certè sic ea de re loquitur. tract. de Ang. 8. cap. 12. *Probabilius videtur non esse purum elementum, sed longè maiorem habere densitatem aptam ad fortius agendum naturaliter in corpora; Ideò credibile est ex aliquâ crassiori materiâ, ut sulphureâ, vel aliâ nobis ignotâ constare, in cuius poris sit verus ignis, & ipsa materia tota vehementer ignita sit: & ita quoad hoc, ignem alterius esse materiæ satis verisimile est.* Sic ille. Lessius, & alii non dubitanter, ut Suarius, sed affirmatè disertèque tradunt, infernum ignem esse sulphureum. Quos sacer Codex non paucis locis confirmat. Nam præter cæteros Regius Psaltes Psal. 10. de improbis agens, *Ignis*, ait, *& sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum*. Et Isaias c. 30. *Flatus Domini*, inquit, *sicut torrens sulphuris succendens eam*. Joannes quoque Apoc. 20. *Qui non inventus est*, ait, *in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*, nempe sulphurei: ut patet ex eodem ipso cap. 21. ubi dicit, *Pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure*. neque ratio huic sententiæ parum favet. Nam sulphur ignium subterraneorum commune pabulum est, stygio autem perquam accommodatum. Nam quia calore & siccitate pollet, magnam cum igne affinitatem habet, ejusque vim exasperare potest. Deinde halitum adeò fœtidum exspirat, ut, nisi cœlum apertum sit, fossores illicò interimat. Adhæc sulphureæ flammæ color ad horrendas inferni tenebras plurimùm conferet; est enim pallidus & tristissimus. Ita narrat Plinius lib. 35. cap. 15. ejus artificio lusisse in quodam convivio Anaxilaum. Nam sulphur in calice novo prunâ subditâ circumferens, exardescentis repercussu pallorem dirum velut mortuorum, convivis affudit.

272. *Et bituminosa.*

Porrò sulphuri bitumen adjungere libet. Est enim ut Meteorologi docent, alterum ac præcipuum ignis subterranei fomentum. Etenim succus admodum pinguis

pinguis est & calidus, naturæ ignium admodum cognatus: ac pinguedine quidem uberiorem, quàm sulphur, fomitem eis præbet, ac diutiùs permanet, eoque est ingenio, ut in aquis ardeat, ideoque artificiosis ignibus ad naves comburendas factis adhibetur.

§ 2.

Qua ratione ignis cruciet Defunctos.

273. *Quæstionis difficultas.* HÆc est implicatissima quæstio, quæ Theologos hactenus exercuit, & porrò exercebit, quando nihil hactenus prima ingenia invenêre, quod vel mediocria impugnare, atque fere infringere non valeant. Propterea magnum illud nomen Bellarminus l. 2. de Purgatorio cap. 12. hac ipsâ quæstione sibi propositâ, *Verissima*, inquit, *sententia est non posse in hac vitâ sciri quomodo ignis corporeus agat in animam incorpoream. Id enim ingenuè confitetur Durandus, Augustinus* lib. 21. de Civitate Dei cap. 10. *ubi dicit animas torqueri ab igne miris, sed veris modis: & B. Gregorius cum.* lib. 4. Dialog. cap. 29. *dicit ex igne visibili invisibilem pœnam animas trahere, vocat enim invisibilem pœnam, quia occulta, & incognita est nobis.* Ita Bellarminus. Idem confitetur ex neotericis, Præpositus, propositis ac breviter refutatis cæterorum sententiis; & novissimè Dicastillo de Purgat. disp. 1. Dub. 3. *Vix ulla est*, ait *sententia, quæ aliquo utatur argumento, non dicam efficaci, sed nec probabili positivo, toti enim sunt Authores in destruendis aliorum sententiis.* Verumtamen instituti mei esse visum est eam sententiam exponere, quæ mihi, salvo meliore judicio, inter omnes maximè ad Scripturæ sacræ, sanctorumque Patrum pronuntiata, accedere videtur.

274. *Defuncti ignibus alligantur.* Statuendum est itaque principio id in quo omnes Theologi consentiunt, cum dæmones ac damnatos, tum pios manes ignibus alligari, ex eoque vinculo non mediocrem haurire mœstitiam. Et vinculum quidem, seu alligatio ex sacris litteris abundè demonstratur. Nam Petrus de dæmonibus agens Epist. 2. cap. 2. sic loquitur: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* ubi Græcè habetur *catenis caliginis*, loco, *rudentibus*; quasi diceret Apostolorum Princeps, catenis & fortissimis funibus igni & tartaro adstrictos, ut nullâ vi ea dissolvere possint. ubi tartarum ipsum veluti lictorem facit, perduelles Angelos statim à peccato detrahentem, sibique & ignibus suis constringentem. Quare Augustinus lib. 21. de Civitate Dei cap. 10. *Adhærebunt*, ait, *spiritus, dæmones, licèt incorporei, corporalibus ignibus cruciandi, accipientes ex ignibus pœnam.*

Ambigitur autem, quod genus illud vinculi sit, an scilicet ignis actione physicâ spiritus sibi devinciat, quod censet Suarius, an verò solo Numinis imperio, & ipsi & animæ adhæreant igni, quod Valentia arbitratur. Mihi, ut expeditior verioreque, Valentiæ opinio probatur: quippe quia, & miraculo abstinet, quod frustra Suarius invehit, & Christus solo imperio id perfici insinuat, quando sententiam decretoriam in impios pronuntiat. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Porrò alligationem illam piis manibus molestissimam esse patet ex iis, quæ supra de eorum ad lustralem carcerem alligatione disseruimus. Hæc enim ad ignem alligatio eò tristior & probrosior, quàm altera illa est, quòd pœna capitalis, carcere turpior ac dedecorosior est, ac potissimùm, supplicium ignis, quod sagarum & ejusmodi fæcis orbis terrarum proprium est. Quæ res animas, nobilissimas utique Christi Sponsas, non potest non vehementer afflictare. Sed de hoc ipso postea latiùs. 275. *Vinculo, morali.*

Verumtamen non eo genere cruciatûs contenta est Justitia divina. Enimverò clamat in impios Psal. 10. Regius Psaltes. *Pluet super eos laqueos, ignis, sulpur, & spiritus procellarum pars calicis eorum, seu supplicii.* Clamat & Isaias cap. 36. ubi de inferno: *Flatus Domini*, ait, *sicut torrens sulphuris succendens eam.* Insuper Matthæus cap. 3. *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* Præterea fatetur verum ab igne cruciatum ille dives epulo, non enim gemit igni sese alligari: sed *cruciari in hac flammâ*, propterea, non ut solvatur, sed ut refrigeretur, postulat. Consonant Apostoli Evangeliis. Nam Paulus 2. Thessal. 1. *In flammâ*, inquit, *ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum.* Et Joannes Apoc. 14. *cruciabitur*, ait, *igne, & sulphure.* Porrò Sanctos Patres, supervacaneum videtur laudare. Dum enim locum illum Apostoli 1. Cor. 3. *salvus erit quasi per ignem* interpretantur, vim ignis in animas lustrandas exeri confirmant. Quos inter Ambrosius, *Ostendit*, inquit, *salvum quidem futurum, sed pœnam ignis passurum.* Aliàs dum avernalem ignem commemorant, *comburere, succendere, cremare*, utique de solâ detentione nequaquam intel- 276. *Non tamen ideo tantum cruciantur.*

ligi queunt. Et verò piis manibus illa temporalis detentio præcisè spectata parum molestiæ adferret, si id molestiæ cum ea pœna conferatur, quâ ignis in corpora, animasque iis conjunctas sævire cognoscitur, quam tamen cedere suppliciis purgantibus in confesso est. Deinde si solâ ad ignem alligatione torquentur dæmones, quid patientur ab igne illi, qui per hunc orbem longè ab igne grassantur? Adhæc damnati, posteaquàm fuerint suscitati, aliter, & graviùs ab igne cruciabuntur, quàm per solam ad illum alligationem, quâ nunc torquentur. Denique omnes æqualiter igni affliguntur, adeò ut nullo modo eum à se excutere queant, non tamen æqualem omnes pœnam sensûs perpetiuntur. Est igitur aliquid quod ab igne manet, eosque discruciet.

277. *Sed quia actionem ignis experiuntur.* Atque hactenus contra Thomistas perquam probabiliter, cum plerisque recentioribus, disputavimus; nunc descendendum in arenam, definiendumque aliquid quo pœna in animas ac spiritus ab igne profecta, pro modulo nostro distinctiùs explicetur. Aio itaque primùm eam sententiam hac in parte tenendam esse, quæ ad actionem ignis naturæ consentaneam maximè inter omnes accedit, si quidem potest utrumque sustineri. Quippe tum Scriptura, tum Patres omnes acrimoniam ignis vel purgatorii, vel avernalis ad terrorem proponunt. Consentiunt Theologi ardentissimum esse, ideoque Suarius materiæ densæ adhærescere censet, quò acrior sit ac potentior: quæ omninò frustra jactarentur, si vel per solam adhæsionem illas cruciaret, quod Thomistæ contendunt, vel per qualitatem doloriferam, & spiritui incognito modo dissonam, quod Suarius, & alii. Enimverò quid meâ refert, ardeat necne focus, si nihil omninò ex eo sentire queam? Quid refert dæmonis, vel piorum manium, quòd ignis inferus flammas sulphureas & urentissimas vomat, cùm æquè ab eo cruciarentur, etsi langueret, & cinere sepultus foret? Jam illa Suarii dolorifera qualitas nullam cum igne affinitatem habet, nec major ab excitato, quàm à torpido generaretur; neque facilius, quàm ab aquâ, terràve per potentiam obedientialem produci potest Quî igitur dici potest per illam aut anima, aut dæmon peruri? Prætereà post resurrectionem, damnatorum animæ eodem modo ab igne torquebuntur, quo jam torquentur, dum corpora viva cremantur; ergo quoad ejus fieri potest, invehenda jam est ea ratio cremandi, quæ æternùm in orco duratura est, quia pœna ignis essentialis est ac propterea debet esse invariabilis ac perpetua.

Itaque sequendi mihi sunt Scotus, Valentia, Coninck, Lessius, Tannerus, qui volunt non absimili ratione animas corpore liberas ab igne torqueri, qua corpori immersas. Quæ sententia gravissimas quidem patitur difficultates: sed negligendæ illæ, ut ad Scripturæ proprium sensum, quantum fieri potest, accedamus, & dandum aliquid divinæ potentiæ, quòd in humanam intelligentiam non satis cadat, maximè cùm & aliæ super materiâ subjectâ sententiæ nodos quoque habeant inextricabiles. Porrò commodè expones hanc sententiam, sic ut igni tribuas potentiam, ut aiunt, obedientialem ad ingenerandum animis defunctorum (& eadem dæmonum ratio est) dolorem, seu tristitiam similem ei, quæ eisdem in corpore vivo ex combustione inuritur. Explicatur. Certum est ignem infernum Justitiæ vindicis instrumentum esse ad cruciandos spiritus, animasque, ob eorum scelera destinatum: Atqui instrumentis Deus utitur ad actiones, quibus utcumque cum naturalibus actionibus convenit. Sic aqua, quæ corpora lavare nata est, ad eluendas per Baptismum animas assumitur. Sic oleum, quod corporibus corroborandis aptum est, ad easdem in fide confirmandas. Igne igitur, qui corpora exurit, animosque iis detentos vehementer cruciat, aptè Deus utitur, ad animos corporibus liberos, spirituali quodam sui sensu, aut potius experientiâ afflictandos. Quod ut ulterius exponam, sumo mihi ex Arriaga, adversario alioqui nostro, hanc propositionem. Potest Deus animis separatis infundere cognitionem caloris urentis sensitivam, vel eamdem, vel similem, quam corpori conjunctæ habebant. & hanc ipsam propositionem probo. Nam potest illius cognitionis speciem iisdem animis separatis indere, quâ inditâ, animæ profectò, licèt separatæ, eamdem caloris repugnantiam percipient, quam corporibus conjunctæ, igitur ea repugnantiæ cognitio separatas eodem modo torquebit, quo conjunctas: cùm ex eâ cognitione voluntatis tortura sponte nascatur. Porrò quod Deus per se potest, potest cum instrumento; ergo ignis ad productionem ejusmodi cognitionis ac torturæ assumi potest, ergo animas separatas eodem modo torquere, quo conjunctas. 278. *Explicatur.*

Objicies separatas optimè nosse sibi, cùm sint corruptioni imperviæ, calorem, aut ignem nocere non posse. At respondeo eamdem notitiam, quæ objicitur, in 279. *Objectio refellitur.*

pœnam

pœnam divinitus impediri posse. Deinde esto non impediatur, aio posse divinitus utramque cognitionem simul consistere: quemadmodum enim licèt mihi divinitus compertum esset, nullum præ oculis esse colorem, si tamen coloris species illis imprimeretur, eum intuerer, nec possem visum expeditum ab ejus obtutu abstinere: ita in proposito philosophandum. Et verò passim contingit, ut quando quis in orbem sese velociter movit, videatur videre omnia in orbem rotari: tametsi sciat certissimè rem secus habere; quo quidem tempore, si imaginatio ejusmodi motus nata esset dolorem parere, eum animus cohibere nequiret. Certè aliquam novi, quæ, quia aliquando credidit se gibbosam esse, nunc ita constituta est, ut quoties malè habet, eadem gibbi species animo recurrat, eamque mœrore afficiat, quamvis certò sciat se gibbo prorsus carere. Et possum de pluribus mihi notis non absimile quid affirmare. Igitur animus specie ac cognitione caloris, ejusque repugnantiæ instructus, tristitiam necessariò concipiet.

280. *Hæc doctrina ad dæmones extenditur.* Atque ita probabilissimè cum Arriagâ: sed bonâ ejus veniâ, si talis species possit animis separatis imprimi, cur non dæmonibus? & si his imprimi concedas, ergo similem cognitionem ac tristitiam inurat, necesse est; ergo & eos ignis adurit, cùm eundem seu similem pariat dolorem ei, quo animus corpore adusto excruciatur. Occurret, opinor, huic argumento, dicetque nec calorem, nec ignem ullo modo dæmonibus adversari: atqui non potest eos torquere, nisi quatenus adversatur. At rursum illi objiciam, neque animis separatis ullo modo contrarium esse calorem: cur igitur illas ab eo torqueri censet? Deinde verò multa reverà non adversantur, quæ quia tamen adversari putantur, tristitiam creant, dum adsunt. Ut enim ipse rectè, non res ipsa contraria proximè ac per sese ingenerat tristitiam, sed ejus cognitio. Et verò fieri potest, ut nullo modo ipsa res id possit, quando tamen dolor revera creabitur, nimirum si re minimè existente, ejus species ac cognitio menti infundatur. Sufficit igitur, ut ab igne infero dæmones torqueantur, ipsis speciem imprimi repugnantiæ caloris, atque ignis, qualem ad ejusmodi cruciatum Arriaga ipse vult animis separatis imprimi.

281. *Respondet objectioni.* Quòd si quis huic sententiæ minus faveat, quòd vereatur, ne Deus ejusmodi speciem animis ac dæmonibus indendo eos fallere videatur; intelligat eum non magis eo pacto fallere, quàm efficiendo, ut viror minimè in rebus existens, aut Antichristus olim futurus à me cernatur, aut mente, aut præsens concipiatur; nec enim hisce in eventis aliud intervenit, quàm simplex rei visio, vel mentis repræsentatio, quam philosophi fermè omnes negant falsitatis posse insimulari. Adde Deum falsitatis argui non posse, si dæmonum menti speciem imprimat caloris, ut illis contrarii ac repugnantis, cùm illos non fallat: satis enim, ut priùs diximus, novêre aliter rem se habere, quamvis ab hujusmodi repræsentatione mentem nequeant avocare, quo fit, ut ex eâ idem dolor enascatur, atque si revera calor illis, ut animis corpori conjunctis, repugnaret. Atque hæc de perdifficili illâ quæstione pro modicâ nostrâ facultate dicta sunto. faxit Deus, ut eam experientiâ ipsi nostrâ longè clariùs, certiusque solvere non cogamur: fateor enim neque sic vim illam ignis vindicis admirabilem, aut solidè satis, aut satis clarè exponi. Verùm sat mihi est sententiam istam Scripturæ ac SS. Patribus pleniùs satisfacere.

§. 3.

Magnitudo Doloris ab igne quatenus animæ illi affixæ Detinentur.

282. *Si vi sua pios manes sibi affixos teneat.* QUEMADMODUM duplex est hac super re sententia, ita ex duplici capite dolor hic piorum manium expendi potest. Prius est, si lustralis ignis actione physicâ, & vi quâdam animis divinitus à se impressâ eas sibi affixas detineat, Posterius, si solo Numinis imperio igni adhærescant. Ac priori quidem ratione non potest ignis piis manibus non esse acerbissimus. non enim tormenti tantummodo, sed, & tortoris partes agit; Etenim nobilissimas ac liberrimas naturâ animas, cœli candidatas, ac jure suo hæredes, & cives velut jamreas, ipse publicus Justitiæ divinæ minister in pœnam prehendit, & vinculis infamibus astringit. Atqui lictoris munus per sese probrosum est. Quare cùm Dionysius Siracusanorum tyrannus, sibi à Rhegiensibus puellam in matrimonium postulasset, & illi, per ludibrium ac contemptum, lictoris filiam ei obtulissent, adeò probro commotus est, ut Rhegium solo adæquârit, ut refert Strabo lib. 6. Et verò quisquis munus lictoris exercet, dedecus ex eo sortitur, excidítque, etiam clarissimâ, si quâ florebat, famâ. Quin etiam vicinis & amicis, non modò parentibus, infamiæ nota inuritur, neque mediocris

diocris supplicii pars est lictoris manu tractari, maxima cadere. Quàm ergo bonis manibus durum scire se in pœnam sic attineri! Sanè viri ingenii mille mortes potiùs, quàm unam lictoris manu illatam mallent subire, & parentes ipsi emori, quàm suos liberos tortoris gladio subjici. Et extat memoria dignum ejusmodi desiderii testis facinus fratrum Venetorum. Fratres erant germani quatuor, è quibus unus ob admissum crimen à Senatu Veneto capitis damnatus est. Dicta jam erat infami supplicio dies, & fratres in omnem frustra se partem verterant, ut eo fratrem eriperent. venit uni eorum in mentem, quemadmodum saltem mortis ignominiâ, & illum, & se liberaret. Re igitur cùm fratribus communicata, id saltem à Senatu obtinent, ut fratrem morituruṁ extremùm salutent. Ergo in custodiam admissi in fratris complexum, & oscula sese effundunt, non sine adstantium commiseratione, lacrimisque. Intereâ natu minimus dum sese in amantissimum fratrem velut immergit, dum oscula iterat nucem præsentissimo veneno plenam, quàm cautè in ore tenebat, unà cùm osculo, fratris ori infudit, simulque mortem, quæ eâdem nocte illum opprimens, lictoris ensi, atque adeò infamiæ præripuit.

283. *Infamè, & dolendum.* Verùm enimverò omni ejusmodi infamiâ turpius est igni lustrali, illi, inquam divinæ Justitiæ lictori subjici, atque ab eo attineri. Ut enim inter lictores sunt gradus, & is qui nobilium reorum supplíciis exercendis præfectus est, non tantâ infamiâ laborat, quàm qui plebeiorum; ita ignis ille eò probrosior est lictor, quò vilioribus plectendis adhibetur, dæmonibus certè, ac damnatis, quibus abjectiora capita orbis videre non potest. Est enim, ut aliàs asseruimus, idem ignis, ejusdem, inquam, naturæ, ac ferè eiusdem conditionis, qui pios impiosque manes excruciat. Adde, & eumdem esse, qui sagas cremat, & detestabilissimos quosque reos. Nam & id utique notum est fidelibus Deo animis, & ni fallor, dolore ac pudore maximo fodicat; cùm non modò ad doloris quemdam sensum, sed etiam ad infamiæ notam imprimendam ignis assumptus videatur: ut qui Deum peccando contempserint, & velut ignominiâ quadam affecerint, & ipsi eâ afficiantur. Ex quibus omnibus conficitur maximè dolendum pudendumque esse piis manibus, ab igne purgatorio præter voluntatem libertatemque ipsorum, tamquam à ferocissimo Senatus divini lictore, ipsimet affixos attineri.

Sed esto, non attineat illos virtute suâ lustralis ignis, esto solo Numinis imperio illi constringantur, ampla tamen adhuc doloris pudorisque seges, vel ex hoc emergit. Siquidem per sese dedecorosum est, homini præsertim nobili ac libero, fune, vel catenâ vinciri, etiam aureâ, quâ Crœsus à Cyro, Darius ab Alexandro vinctus scribitur. Propterea cùm viri aliquâ nobilitate, dignitateque, etiam ob facinus turpe capiuntur, non solent ligari, multò minus catenâ stringi. Deinde catena hæc piorum manium cæteras omnes infamiâ vincere videtur. Nam Romani quidem reum militi custodienti colligabant, cujus rei mentionem Seneca facit. Ep. 5. & Josephus lib. 18. Ant. cap. 8. exemplum profert in Agrippa, quem ita Romæ vinctum militi custodi, refert. Et existimant, multi eum cùm jam in Judæâ rerum potiretur, sic B. Petrum in carcere Jerosolymitano vinciri jussisse, ut brachio custodis ipse copularetur. Imò censet Arias Montanus, non uni militi sic astrictum fuisse. 284. *Etsi solo imperio Dei illi adhereant.*

At pii manes non homini ad custodiam, sed igni ad infamiam astringuntur, cùm & Agrippæ, & Regibus omnibus ac cæsaribus longè antecellant. Nec refert quòd subinde pluribus hujusmodi catenis mortales rei onerarentur, quemadmodum Suetonius commemorat in Nerone, conjuratos triplicem catenam gestasse: namque omnes illæ fragiles, & Solubiles erant, & tamquam stuppeæ, vel semiustæ, si cùm hac unâ piorum manium conferantur: quam nulla vis creata infringere, aut resolverepossit. Cùm ergo vinciri per se turpe sit, ob libertatis, quà maximè inter animantes homo præstat, jacturam; insolubili vinciri catenâ multò turpissimum sit, necesse est. Deinde verò multò probrosius est palo, aut patibulo astringi unicâ, quàm carceri, aut homini innumerabilibus catenis: & tamen pii manes non modò ferali palo, sed igni ipsi quo urendi sunt, alligantur. Memini me legere dæmonem aliquando à S. Gertrude Nivellensi è patibulo suspensum, è quo hominem ex compacto, post septennium helluationis, quod jam effluxerat, suspendere parabat. Quippe perditus ille famuli suasu, dum ad patibulum pergeret, S. Gertrudis amorem biberat, ut indigenæ vocant, id est ad honorem illius Divæ haustum sumpserat. Quæ res haud dubiè superbissimo illi spiritui indignationem ingentem movit, cùm in illius despectum, pudoremque fieret. Quàm ergo nobilissimis illis animis amarum, non è patibulo pẽdere, sed infami rogo ad probrũ attineri! 285. *Probrosissimum est defunctis.*

Verùm

286. *Causa alligationis maximè cruciat.*

Verùm potissimus defunctorum mœror hujus generis enascitur ex causâ ejusmodi vinculorum. sat enim manifestum est, catenas, si earum causa honesta est, honorificas esse sin autem turpis, probrosas: siquidem, ut nihil dicam de vetustissimo more, torques & catenas militibus distribuendi, nihil quoque de Regis Hispaniarum consuetudine, vellus aureum, id est, torquem auream velleris figurâ insignem honoris gratiâ magnatibus, summatibusque mittendi: S. Petri catenæ, seu Herodianæ, seu Neronianæ, ipsius velut contactu sacratæ, non tantùm festo die in earum honorem instituto, sed etiam Basilicis partim ab Eudocia Theodosii Junioris conjuge Constantinopoli, partim ab Eudoxiâ illius filiâ, & Valentiniani item Junioris uxore, Romæ constructis ac cælestibus prodigiis honoratæ sunt. Jam verò licèt causa reos hac in vitâ ligandi criminalis sit, tamen non tanta est illius causæ turpitudo, quanta causæ catenarum purgantium. Quî sic, ais? nam gravissima quæque crimina vinculis ac carcere coërcentur, cùm tamen innocentibus prope animis, levissimarumque noxarum reis lustrales illæ catenæ injiciantur. fateor equidem: sed aliud spectat in criminibus, earumque pœnis justitia humana, aliud divina. Illa pacis publicæ, bonique communis rationem habet, illiusque perturbatores & eversores castigandos judicat: hæc divinæ atque infinitæ majestatis respectu ducitur, illiusque violationem in puniendis noxis intuetur. At quantò probrosior est illius immensæ violatio ac despectio perturbatione publicæ pacis, ac bono reipublicæ! Tantò igitur vincula reorum alterius vitæ graviori probro illis sunt, quàm mortalibus sua.

287. *Et diuturnitas.*

Adde postremò lustralium diuturnitatem. Ut enim exilii indicti mora addit aliquid ad illius infamiam (quare perpetua exilia probrosissima) sic & custodiæ, & vinculorum diuturnitas, eorum probrum cumulat. Atqui humana vincula, ut plurimùm non diuturna, pauca, & fortuitò ad annos aliquot, pauciſſima perpetua. At lustralis custodiæ vincula perdiu miseros constringunt, ad annos scilicet complures, nonnulla ad centenos, imò ad millenos, adeò ut plusquam perpetua, id est vitâ humanâ diuturniora sint, ac proinde eâ quoque ratione miseris animis pudenda ac luctuosa.

§. 4.

Gravitas Doloris à purgantibus flammis, quatenus animas urunt, ex Patribus, ac Theologis expenditur.

288. *SS. PP. de ignis purg. acerbitate.*

PRIMUS è Patribus prodibit, qui facilè omnium princeps est Augustinus. Is in hæc verba Psalmistæ, in Psal. 37. v. 1. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, furoris divini nomine, damnationem, iræ vocabulo purgationem intelligit, & sic ait. *In hac vitâ purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non sit opus.* Et infra, *Dicitur enim* (nempe ab Apostolo 1. Cor. 3.) *Ipse autem salvus erit, quasi per ignem. Et quia dicitur salvus erit: contemnitur iste ignis. Ita planè: quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ignis ille, quàm quidquid potest homo pati in hac vitâ: & nostis quanta passi sunt mali.* Hæc est illius oratio. Ex qua patet nulla sceleratissimis hominibus, aut Martyribus illata umquam, aut inferri posse supplicia, quæ purgantibus non cedant. Quod ipsum confirmat lib. de verâ, & falsâ pœnitentiâ c. 18. hisce verbis. *Hic autem ignis* purgatorius, *etsi æternus non sit, miro tamen modo est gravis: excellit enim omnem pœnam, quàm umquam passus est aliquis in hac vitâ. Numquam in carcere tanta inventa est pœna, licet mirabilia passi sint Martyres tormenta.* Denique idem Præsul Hipponensis rem hanc magis exaggerat Ser. 41. *Sed dicet aliquis, non pertinet ad me, quamdiu moras habeam* (*nempe in purgatorio*) *si tamen ad vitam æternam pervenero. Nemo hoc dicat, fratres carissimi, quia ille purgatorius ignis durior est, quàm quidquid potest pœnarum in hoc sæculo videri, cogitari, aut sentiri.* Ex Augustino doctrinam hanc hausêre Patres alii; ex quibus Cæsarius idem cum eo tradit iisdem omninò verbis: vide illum Homilia 8. Beda item in Psalmo. 37. ait: *Purgatorii correctionem esse graviorem, quàm quidquid umquam passi sunt latrones*, vel Sancti Martyres, vel quidquid gravius homo possit excogitare. Mitto S. Gregorium Magnum qui in Psal. 5. sic ait: *Pœnitentialem illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti existimo intolerabiliorem.* Mitto S. Julianum Archiepiscopum Toletanum; at S. Anselmum silere non possum, nam in suo elucidario dicit ejusmodi esse pœnas expiatrices, de

quibus minimum maius est, quàm maximum, quod in hac vitâ excogitari potest.

289. *Expenduntur dicta Patrum.* Jam observa, mi Lector, in Augustini quidem dictis verbum illud *cogitari*. In Anselmo ac Beda, *excogitari*, & discse flammarum lustralium vim his gravissimis authoribus atrociorem esse omni cruciatu, qui etiam mente capi possit. Atqui capi potest cumulus ille tormentorum, quæ huc usque à condito mundo tolerata sunt, & deinceps ad ejus excidium tolerari à mortalibus poterunt: Deinde capi potest numerus eorum, quæ sufficerent ad infligendas tot mortes, quot arenæ maris satis essent ad complenda immensa illa spatia à tellure usque ad firmamentum. Suntnè lustralia acerbiora eo uno, quòd omnium istorum acerbitatem in se complecteretur? Tu judica, ego quid arbitrer, vix intelligo. Nisi fortè dicam Sanctos illos Doctores velle acerbitatem ignium purgantium, non cadere sub distinctam notitiam mortalium, uti neque immensa illa innumeraque tormenta, quamvis utraque cadunt sub confusam. Sed formidini clariùs & meliùs occurri possit, ut opinor, si dicatur verba illa SS. Patrum accipi, ut aiunt, distributivè, non collectivè, id est lustrales rogos acerbiores esse singulis, quæ excogitari possint atrocissimis latronum aut Martyrum suppliciis, non universis. Verùm ut ingenuè fatear, neque hæc responsio formidinem prorsus discutit. Cogitari enim potest universa illa supplicia divinitus in unum hominem congesta, ab eo uno tolerari. Itaque adhuc hæreo, si Augustini aliorumque Patrum dictis presse inhærendum est. Sed enim an sic inhærendum sit, magistra Theologia nos docebit.

290. *Theologi.* Igitur, ut ad Theologos veniamus, eorum Princeps Angelicus Thomas in 4. distinct. 21. q. 1. a. 1. *Dicendum*, ait, *quod in purgatorio erit duplex pœna, una damni in quantum scilicet retardantur à divina visione; alia sensûs, secundùm quod ab igne corporali punientur, & quantum ad utramque, pœna purgatorii minima excedit maximam huius vitæ.* Ita ille. Quem ut solet, tota ejus schola magistrum sequitur, & alii plurimi, quos referre importunum. Contrà, Bonaventura in 4. dist. 20. a. 1. q. 2. ut antea diximus, assertionem illam ita limitat, ut velit, licet ex suo genere pœna illa gravior sit omni pœnâ sensibili hujus vitæ, adeò ut si maximam cum maximâ compares, illa lustralis excedat, tamen à maximâ hujus vitæ minimam purgantem superari. Quod quidem simile vero est. Nam si anima solâ ac levi noxâ veniali inquinata decedat, certè summorum hujus vitæ cruciatuum rea multis non videtur. Itaque Suarius etsi de pœnâ damni cum S. Thoma sentiat, de pœnâ sensûs agens rem in ancipiti relinquit. Quid sentiamus paulatim nunc exponendum.

§ 5.

Magnitudo doloris piorum manium ab igne, quatenus illos urit, ratione probatur.

ACERBITATEM doloris ejusmodi gravissimam esse, nemo Catholicorum dubitare potest, uti nemo nescit ab ignis quadam ustione eam proficisci: quoquo modo hæc ustio explicetur. fac enim animas non atrociùs in flammis illis purgantibus, quàm jam in corporibus vivis, atque adustis cruciari, cruciatum atrocissimum esse necesse est. Siquidem omnium pœnarum, ut ait Lessius de Perfec. divin. lib. 13 cap. 17. *quas humana natura experiri hactenus potuit, gravissima est pœna ignis. Cùm enim cruciatus ex læsione corporis, tactu percepta, atque ad temperiei dissolutionem, destructionémque animalis tendente nascatur*, maximus ab igne enascatur, oportet, quandoquidem ignis temperiem illam facillimè dissolvere queat, quippe elementorum valentissimum, atque adeò omnia domare, atque in se convertere solitum. Accedit, quod cætera, quæ dolorem pariunt, ut plurimum extimas corporis partes, vix intimas, nec nisi paucas, ac lentiùs afficiunt. At ignis summâ celeritate se diffundit per tenuissimos meatus, atque intimos recessus corripit, subitque: eóque tyrannidem exercet truculentiorem, quò interiùs ac latiùs in corpus dominatur. Certè morborum ii acerbissimi, qui caloris plus in corpus invehunt, ii levissimi, qui minus. Et verò frigus tantâ cruciandi virtute pollere nequit, quantâ ignis cùm stuporem afferat. Quocirca qui torridas illas Indiarum Regiones peragravit, noster Alexander de Rhodes, fatetur sese rigorem nivium, quibus aliquando undique coopertus post reditum è Cochinchinâ pernoctavit, multò faciliùs, quàm illos æstus pertulisse, & constat eos qui frigore enecantur, sine gravi cruciatu emori.

291. *Naturalis cruciatus ignis omnium acerrimus.*

Quare ignis supplicium semper omnium atrocissimum visum est. Ita Nabuchodonosor cùm ad statuæ aureæ, quam erexerat, adorationem omnes compellere statuisset,

292. *Etiam ex consensu tyrannorum.*

re ſtatuiſſet, quò maximè eos, qui renuerent, perterreſaceret, fornacem, in quam vivi injicerentur, coram ſuccendi juſſit. Ita Nero mortalium truculentiſſimus, ut crudeles oculos iucundiùs paſceret, Chriſtianorum nocta ardentium flammas otioſè ſpectavit. Quin & ipſe Deus, ut teterrimum omnium flagitiorum graviſſimâ pœnâ, vel in vitâ hac ad cæterorum terrorem puniret, flammas ſulphureas in Pentapolim pluit, omneſque iis involvit. Denique ſupremum iuſtitiæ divinæ hoc in orbe munimentum in univerſitatis huius incendio & conflagratione ſtatuetur. Cùm ergo tanta vis ſit ignis noſtratis, tantuſque ex naturali eius uſtione dolor erumpat, licèt non alium pii manes in ſuâ cuſtodiâ perciperent, idque ad breve illud tempus, quo anima corpori immerſa citra mortem illum perſentire poteſt, profectò graviſſimus foret, & commiſeratione digniſſimus.

393. *Atrocior cruciatus ignis purgantis etſi naturæ ſuæ relicti.*

At longè aliter illos afficit, aliter animam corpori coniunctam. Ut enim ponamus, quod antea aſſeruimus, ignem luſtralem eiuſdem cum noſtrate ſpeciei ultimæ atque eſſentiæ, tamen non pauca ſunt, ſeu ignem luſtralem ſpectes, ſeu pios manes, unde maximam luſtralis præ noſtrate vim, & acrimoniam exiſtere compertum eſt; etſi inſuper ſolam utriuſque naturam intueare. Primùm etſi uterque aliis immixtus eſt elementis, ac materiæ mixtæ uterque adhæreſcat; tamen noſtras ac vulgaris ignis, cuius vim tactu percipimus, è lignis accendi ſolet, atque adeò multum terreni, multum aquei habet, ac proinde tantumdem frigidi humidique. Contra verò luſtralis flammæ fomes ac pabulum non aliud quàm ſulphur ac bitumen eſt, quod utrumque, quia, ut diximus, igni maximè affine, illius acrimoniam non remittit, ſed potius exacuit. Sed fac noſtratem pice, aut ſulphure, fac & ſimul bitumine nutriri; tamen plurimùm adhuc purgatorio acrimoniâ concedet. Enimverò Purgatorius cùm ſit copioſiſsimus, totuſque per omnes partes agat in pios manes, vim maximam exerit in ſingulos. Cùm etiam undique concluſus, & in arctum redactus ſit, procul dubio vehementiùs urit quàm ſi liberiùs diffuſus eſſet. Eſt enim, ut Philoſophis perſpectum, vis conjuncta fortior. Cùm denique nullum in eo carcere contrarium ſaltem intus, & in viſceribus patiatur, hinc quoque ejus atrocitas vehementer ingraveſcit. Poſtremò licèt tellure, atque innato illi frigore circumvallatus ſit, non modò non propterea langueſcit, ſed quadam antiperiſtaſi impotentiùs furit, quemadmodum ignem calci incluſum cernimus affuſâ aquâ potentiorem inſolentioremque fieri.

Jam quod attinet ad pios manes, ſeu ad animas corpore ſolutas, conſtat quoque longè potentiùs atrociusque in eas ignem ſævire, quàm in corpori conjunctas. Siquidem anima corpori conjuncta eatenus patitur ab igne, quatenus corpus ab eodem læditur, ſive quatenus ignis in corpus agit. Atqui in illud agere nequit virtute totâ; primo enim actionis momento reſiſtit igni corpus (quippe frigido, & humido conſtans, quæ ſane igni contraria ſunt) atque adeò reſiſtendo, in ignem etiam ipſum agit, carpitque aliquid illius ſiccitatis ac caloris; iraque vim ignis elidit. At anima ſeparata, nihil habet, quod igni adverſetur; nihil igitur, quo in illum agat, quòve vim ejus infringat, ac proinde vim illam, & acrimoniam totam excipit. Deinde ſic argumentatur Angelicus Doctor in 4. diſt. 21. q. 1. *Cùm dolor non ſit læſio, ſed læſionis ſenſus; tantò magis aliquis dolet de aliquo læſivo, quantò magis eſt ſenſitivus, unde læſiones quæ fiunt in locis maximè ſenſibilibus, ſunt maximum dolorem cauſantes. Et quia totus ſenſus corporis eſt ab animâ, ideò ſi in ipſam animam aliquod læſivum agat,* ſcilicet proximè, ſeu ut loquuntur, immediatè, *de neceſſitate oportet, quòd maximè affligatur.* Ita ipſe. Et ſanè dolorem animæ per corporeos hebetesque ſenſus acceptum, hebetiorem oportere eſſe, quàm proximè in ipsâ receptum, quiſque facilè concedet. Adhæc dum ignis in corpus agit, non æquè ſtatim in omnes illius partes, ſed priùs in extimas, poſteriùs in intimas ſævit, numquam in totum ſimul. Et licèt ſtatim, anima tota, quippe partibus carens, illico crucietur, non tamen tam graviter, quàm ſi totum ſimul corpus perureretur. At in pios manes, animasque corpore liberas, totam ſtatim ſævitiem ſuam exerit; utique perinde, atque ſi penetratis illico omnibus corporis partibus, animam illi conjunctam diſcruciaret.

294. *Maximè quòd ſæviat in animas corpore liberas.*

Sed nihil æquè hoc in genere exaggerat ſenſum doloris ab igne luſtrali; quàm quod continenter & æqualiter animus ab eo torqueatur: ſecus dum hac in vitâ à noſtrate torquetur. Nam cùm hic ſpiritus animales ad ſenſum neceſſarii ſint, & ardoris vi continuò continenterque diſſipentur, efficitur quoque ardoris ſenſum paulatim minui, primoque dumtaxat aggreſſu acerrimum eſſe, quoque vehementior eſt ardor, dolorque, eò citius ſenſum penitus obſtupefier & extingui; præſertim cùm &

295. *Maximè quòd luſtralis ſemper urat, affligatq;.*

organum tactûs ardore isto statim destruatur. At animus nudus minimè indiget ad sensum doloris eâ spirituum ope, solusque in se vim & ferociam ignis excipit. Quare nihil est cur nutescat dolor, cùm nihil sit, cur illius causa, acrimonia nimirum ignis lustralis, remittat. Quò pertinet Hilarii commentatio in Psal. 118. ubi explicans illa Regii Prophetæ verba, *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas*: sic inter alia disserit. *Purgatorium vocat indefessum ignem, in quo gravia sustinentur supplicia, per quæ animæ à peccatis expiantur.* Ut intelligamus ignem illum ad cruciandum semper æquè expeditum, semper, & indefatigabiliter, æqualiterque, quantum in ipso est, & extra omne impedimentum excruciare.

296. *Conclusio paragraphi.* Quæ cùm ita sint, licèt daremus in igne purgante id solum prodigii inveniri, quòd in animas spirituales ipse corporatus agat, licèt, inquam, concederemus nihil illius acrimoniæ naturali divinitus accedere, fatendum tamen esset multò amplius ab illo pati animas separatas, quàm corporibus conjunctas, etsi æquale doloris spatium in utrisque ponatur. Confitendum quoque esset minus doloris ab atrocissimis hujus vitæ tormentis adferri posse, etsi multa simul admoverentur, quàm ab igne purgatorio inferatur, pari, ut dixi, tempore. Quippe quòd singulorum tormentorum acerbitatem vincat acerbitas ignis nostratis in corpora sævientis, & quòd insuper lustralis nostrate plurimis partibus sit acrior, denique quòd animus corporis vinculis expeditus ad ejus sævitiem excipiendam longè sit paratior Imò ex iisdem sequitur minimum animorum ab igne tormentum maius esse maximis hujus vitæ suppliciis, si vis ejus nativa illi integra relinquatur.

297. *Et tamen vis nativa ignis lustralis divinitus augeri potest.* Cæterum eadem vis saltem, nt plurimùm vehementer divinitus augetur. Etenim agit in animas ignis, ut justitiæ, potentiæque divinæ instrumentum, unde non tantùm habet, ut eas utcumque spirituales, physicè, ac realiter torqueat: verùm etiam ut supra naturalem acerbitatem torqueat, idque pro meritis singulorum. Etenim receptissima Philosophis juxta ac Theologis sententia est, Deum posse virtutem causatum conditarum evehere ad agendum id, quod eam longissimè superat. Quâ hypothesi, ignis lustralis in modum instrumenti se habet, quo immensa illa potentia ad pios manes cruciandos utitur. Atqui instrumentum, malleus v. g. aut lapis, aut gladius, manu, ac virtute gigantæa adactus, longè fortiùs ferit, quàm vulgari dexterâ. Ita Bullonii Ducis gladius ejus fortissimâ dexterâ inflictus cameli caput præcidit, & Gregorius Castriotus, sive Scanderbergius, acinace suo medios turcas, sive transversim, sive à capite deorsum versus discindebat. Atque ita ignis purgatorius manu ac virtute divinâ assumptus, longè potentiùs, acerbiusque perurit pios manes, quàm ingenitâ vi posset. Quam vim maximè significant illi, dum ore Jobi ingeminant solemne illud suum carmen, *Miseremini mei, miseremimini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Constat enim invictam illam Domini manum in duplum, triplum, septuplum, centuplum, imò in immensum innatam illam ignis acerbitatem amplificare posse.

298. *Imo augetur.* Et verò reipsa amplificare non pauca comprobant. Etenim cùm ratio injuriæ Numini factæ, (quæ ratio etiam omni saltem non levissimâ culpâ continetur) propter immensam ejus majestatem, nescio quid infiniti sortiatur, atque adeò superioris ordinis sit, quàm ingenita illa ignis acerbitas, & præterea cùm in alterâ vitâ solvendum sit ad ultimum usque quadrantem, id est, commensâ culpæ pœnâ persolvendâ, consequitur primum innatam illam acerbitatem multò minorem esse, quàm ut ex æquo culpam puniat. Deinde multum ei accedere debere atrocitatis, ut ad eam mensuram perveniatur. Et quamvis pœna culpæ omninò non æquiparetur, quòd citra condignum, ut aiunt, defunctos puniat, tamen ad expositionem ultimi illius quadrantis, paritas aliqua culpam inter & pœnam admittenda est, atque adeò pœna lustralis debet esse atrocissima. Accedit quod pœna præmio respondere debeat, & justitiæ interfit benè ac malè gestis, quòd quæque merentur, rependere. Quare cùm benè gestorum, etiam minimorum, præmia tanta sint, ut ea, aut eorum similia, nec oculus viderit, nec auris audierit, nec mens humana excogitarit, consequitur malè gestorum pœnas ejusmodi esse, ut neque sub oculos, aliúmve sensum, aut sub intelligentiam humanam cadant, atque adeò supra naturam assurgant, ac graviores sint iis, quas ignis naturæ vi posset inurere, cùm hæ cadant sub experientiam. His adde quòd hac in vitâ, regno utique misericordiæ, noxæ, vel veniales, morte, quâ malum, teste Philosopho, nullum horribilius est, non rarò castigatæ sint. Igitur in alterâ vitâ, ubi plurimum justitiæ, parum misericordiæ, conceditur, pejora morte tormenta illas manent, & proinde etiam ignis

vulgari

vulgari tormento graviora; præsertim cùm ignis tolerantiâ mors rectè redimatur. Sæviet ergo ignis non innatâ dumtaxat vi, sed aliquâ superiore ei divinitus impressâ.

299. *Præsertim in culpas mortales.* Quòd si verò tantam vim in culpas veniales, exerendam credibile est, nullo modo dubitandum, quin acerbior exeratur in mortales, etsi jam condonatas. Ut enim harum malitia infinito spatio distat à malitiâ venialium; ita pœnæ gravitas etiam condonatis debitæ à pœnâ venialium etiam condonatorum longè maximo distat intervallo. Quod argumentum & fortissimum est, & ingentem ignis expiatorii atrocitatem in mortalium reos ostendit.

300. *Expenditur eius acrimonia.* Præterea sic arguo; supra naturæ virtutem, & nimium quantum desæviet ignis ille quo Deus in Deuteronomio. cap. 32. ait, *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima, devorabítque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.* Ubi sermo est de igne, quo hæc universitas conflagrabit. Quæ admirans S. Ephrem Serm. de iis, quæ post crucem revelanda sunt, sic exclamat: *Quomodo tunc fratres mei carissimi sustinebimus, quando videbimus igneum fluvium ab ortu solis usque ad occasum cum furore manantem, & instar ferocis aspéríque maris montes, & valles devorantem, terram omnem, & quæcumque in eâ sunt exurentem?* Quæ omnia non possunt brevi, ut fiet, tempore perfici, nisi ignis ille aliquid virium divinitus accipiat, quandoquidem non pauca sint mixta, quæ diutissimè fortissimeque igni reluctantur. Igitur, & eâdem virtute divinâ, purgantes flammæ in pœnam piorum manium armandæ sunt. Enimverò hoc novissimo igne, justorum reliquæ sordes purgandæ, & damnati eodem involuti, in orcum detrudendi sunt.

301. *Varius ab eo cruciatus.* Postremò idem confirmat, & exponit varius ab eodem igne cruciatus. Nam si naturalem dumtaxat virtutem urendo exercet, cùm sit causa necessaria, omnesque animas æquè sibi expositas, minimeque resistentes inveniat, omnes æquè adureret, cruciaretvè. At longè aliter evenit. Nam ut inquit Augustinus. Homil. 16. de Resurr. lib. 50. Homiliarum. *Hi qui temporalibus pœnis digna gesserunt, de quibus Apostolus dicit; Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, quasi per ignem, per fluvium igneum, de quo Propheticus sermo memorat, & fluvius igneus currebat ante eum, per fluvium, inquam. igneum, & vada ferventibus globis horrenda transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta erit transeundi mora; quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationalis disciplina, & quantum stulta iniquitas suggesserit, tantum sapiens pœna desæviet.* Nec refert, quòd iste locus de novissimæ mundi conflagrationis igne à nonnullis accipitur. Nam & ille, ut diximus, divinæ justitiæ, potentiæque instrumentum erit, & justorum reliquas sordes purgabit, atque adeò quod de illo dixit, diceret de lustrali Augustinus. Et verò Paulinus Epist. 9. ad Severum Purgatorium vocat *ignem sapientem*, & quodam in carmine *ignem arbitrum* nuncupat, scilicet quatenus pro cujusque meritis vehementiam suam vel intendit, vel remittit, non suapte quidem sponte, sed divinæ Justitiæ, cui omnino subjicitur arbitratu, & attemperatione.

302. *Hoc pacto noster ignis pictus respectu purgatorii.* Atque hoc potissimè pacto nostras hic ignis cum purgante, aut avernali collatus, ignis pictus dicitur. Qui loquendi modus, jam olim à S. Polycarpo Presbytero usurpatus est in vitâ S. Sebastiani, à Carthusiano item, aliisque. Et deinceps ab illustrissimo Ecclesiæ martyre, Thomâ Moro in aureo opusculo, Quòd *supplicationem animæ* inscripsit, ubi sic habet, *Ignis ille purgatorius non minùs calidissimum, qui unquam in hoc mundo exarsit, ignem calore suo superat, quàm calidissimus ille ignis depictum in pariete ignem suo excedit calore.* Ita ipse. Hac quoque ratione SS. Patres, quos antea protulimus, affirmant minimum ab igne lustrali cruciatum, acerbiorem esse maximo, qui hac in vitâ possit excogitari. Ex quibus omnibus D. Thomæ sententia, nimirum minimam purgatorii pœnam, maximâ hujus vitæ, atrociorem esse, affatim probata esse videtur, si quidem illa de acrimoniâ suâ nihil remittat, quod aliqui Theologi volunt, ut videlicet pii manes eò citiùs purgentur, quò acriùs.

§. 6.

Eadem gravitas ex oraculis, & Sanctorum ostentis, & ex sensu, contactúque piorum manium comprobatur.

Pars prima.

Oracula, & ostenta.

303. *Revelationes SS.* Oracula vocamus, quæ vulgus revelationes. Inter hæc autem eminent,

nent, quæ ore S. Birgittæ edita sunt. Illa porrò lib. 6. cap. 2. Christum hæc secum locutum affirmat, de quodam pœnis purgantibus adjudicato. *Sic in purgatorio amarum habebit anima eius supplicium, quòd nullus mortalis est, qui possit illud cogitare. Ac postea: quid ergo patientur illi, qui omnem voluntatem suam habent in mundo, & nullis tribulationibus fatigantur?* Ita ipsa. Beata quoque Joanna de Cruce ex ordine S. Francisci, & ipsa Cælitum allocutione illustris, & lustralium suppliciorum acerbitatem sæpenumero divinitus edocta, tantam esse asseverabat, ut omnes hujus vitæ cruciatus exsuperet. Et B. Magdalena Pazia vitæ P. 2. c. 13. quondam divina in ecstasi. *Omnia*, inquiebat, *tormenta quæ passi sunt Sancti Martyres, fuere tamquam amœnus hortus iis collata, quæ infliguntur in purgatorio.* Catharina verò Senensis vitæ cap. 30. *Anima*, inquit, *intelligens purgatorium ad expiandas, & diluendas imperfectiones constitutum, libens ad divinam dispositionem se in id demittit, putátque admodum clementer secum agi, & tamen purgatorii acerbitas omnem intellectum humanum superat. Atqui anima amore flagrans pluris facit imperfectionem, quàm Purgatorii pœnam, licèt usque adeò diram, ut quidquid in hac vitâ cognoscere, eloqui, & experiri, atque eâ de re credere possumus, si cum ipsamet comparentur, mihi videantur mendacium. Vnde tametsi hæc sum coacta proferre, tamen confundor re tantâ, longè minùs quàm cupiebam declaratâ.* Hactenus Genuensis. Denique Pater æternus D. Catharinæ Senensi cap. 3. dialogi. *An ignoras*, ait, *filia quòd omnes pœnæ, quas anima sustinet, vel sustinere potest in hoc sæculo nullo modo condignæ ad culpam etiam minimam puniendam, quoniam offensa, quæ mihi fit qui sum bonum infinitum, procul dubio satisfactionem exigit infinitam.*

304. *Ostenta.* Consonant, quæ B. Veronica ex Augustinianis Sanctimonialibus pronunciavit, postquam ei flammarum expiantium gravitas ab Angelo commonstrata est. Nam ut scribitur in vitâ illius lib. 3. c. 10. *Postquam ab illa visione ad corporea officia, sensúsque rediit, vehementis tristitiæ, timidi doloris, ingentísque horroris signa dedit manuum percussionibus, motu capitis, vocéque flebili, & dixit, heu! heu: quas hodie pœnas, quævè tormentorum genera vidi, ab iisdem tortoribus, qui sunt in inferno inflicta, eodémque igne inferni! Hæc cùm diceret, inter verba solo delabitur Veronica, febris vehemens Virginem arripuit totóque corpore virgineo signa velut igne micantia, magnitudinísque instar palmæ manus apparuerunt; ita sunt magna, & inexcogitabilia tormentorum genera in Purgatoriis ignibus.* Hactenus vitæ illius Author. Huc quoque pertinet, quod de S. Catharina Senensi memoriæ proditum est, visam abs illâ sororem suam in gravissimis Purgatorii tormentis, ob mundum muliebrem, culpatioremque vestium apparatum Sanctæ illi persuasum. Sed rem nostram maximè confirmant, quæ spectavit, narravitque, postquam ad vitam revocata est, Diva Christina, hisce apud Cantipratanum verbis. *Statim ut è corpore excessi, animam meam susceperunt lucis ministri, Angeli Dei, deduxerúntque illam in locum quemdam obscurum, & horridum, animabúsque hominum refertum. Quæ verò tormenta eo in loco conspexi, ea tam immania & acerba fuere, ut nullus possit sermone exprimere. Vidi illic non paucos vitâ functos mihi, dum viverent, non ignotos. valde autem miserata ego animas illas miserabiles, quærebam quis esset iste locus: suspicabar enim tartarum esse. Responderunt mihi duces mei, locum esse purgatorii, ubi erant peccatores, quos in vitâ quidem peccasse pœnituisset: sed non satis scelerum suorum meritas pœnas dedissent.* Hactenus Christina. Affinia sunt, quæ refert Blosius in Conclavi animæ cap. 13. de monacho quopiam in paucis pio, oculato, ut aiunt, purgantium cruciatuum teste. Quem sic locutum asserit. *Nulla hominum lingua exprimere, nulla æstimatio concipere potest varietatem, multiplicitatem, & gravitatem suppliciorum, quibus me aspiciente, purgandi subdebantur. Testis mihi est Deus, quia si quis me, & omnes caros meos affecisset omnibus iniuriis, & pœnis, quæ possunt homini hac in vitâ irrogari, vel etiam occidisset, & viderem eum deputari tormentis à me conspectis, ego millies, si fieri posset, mortem pro eius ereptione subire paratus essem. Adeò pœnæ illæ, quas in purgatorio vidi, excedunt mensuram & modum cuiusvis doloris, angustiæ, & amaritudinis, & miseriæ huius vitæ.* Hactenus ille. Quibus haud parum fidei accedit, si expendatur quod tradit antiquus Author apud Augustinum tom. 2. Quem Authorem aliqui Cyrillum non rectè nuncupant. Nimirum audivisse se ex quopiam per saccum D. Hieronymi ad vitam revocato, cui pœnæ lustrales compertæ, perspectæque fuerant, omnia hujus vitæ tormenta cum minimis Purgatorii collata, instar solatii esse. Quippe si quis mortalium hæc lustralia expertus foret, non dubitaturum omnes hujus vitæ cruciatus

ciatus ab Adamo eo usque toleratos, ad mundi exitum subire potius, quàm minimâ inferni aut Purgatorii pœnâ dieculæ spatio cruciari. Quæ etiam confirmantur ex actis S. Liduinæ. Oraverat illa Deum pro animæ cujusdam ex purgantibus flammis liberatione; quando hæc Divæ vivendam se stitit, quasi immani ardenteque puteo emersa, tanto, tamque horribili cruciatu ignis eam depascentis, ut Liduina, ejusmodi tamen spectris non insueta, pavore consternata ab ecstasi ad se redierit, ipsumque illius cingulum hispidum, crassumque, quo renes de more accincta erat ad pœnam voluntariam, disruptum fuerit. Rogantibus autem amicis, quî se in eo raptu habuisset, respondit, non se omnia hujus mundi bona simili horrore empturam. Ex quibus manifestum est quàm durum sit hujusmodi cruciatum perpeti, cùm tam terribile eos vel mente conspicere. Certè Colganus refert in Histor. SS. Hiberniæ, Regulum quemdam Hibernicæ Gentis vitâ functum cùm S. Corporeo appareret, dixisse tanta esse piorum manium vel minima supplicia, ut tartareis paria illis videantur. Quamobrem quæ Tondalus quidam apud Carthusianum de. 4. noviss. c. 21. perhibet se vidisse in purgatorio, bestiâ nimirum horribilem, cujus ventri animæ immersæ diriissimas pœnas dabant, & velut canum, ursorum, Leonum, serpentium, & aliorum truculentiam animalium perpetiebantur. Item carnifices cum cultris, securibus, dolabris, falcibus, terebris, & hujusmodi crudelitatis instrumentis: item alia, quæ videre sibi visi sunt alii, non aliud significabant, quàm crudelissima, quæ fingi animo, & exerceri possunt apud mortales supplicia, non quidem ea ipsa per sese, sed in igne purgatorio eminenter, ut aiunt, contenta reperiri. Postremò anima Fratris cujusdam Dominicani R. P. Stanislao Kolkokæ in Polonia asseruit ignem nostratem instar auræ tenuis sibi videri.

305. *Sensus piorum manium.*

Porrò ejusdem ignis atrocitas ex piorum quoque manium sensu de illius diuturnitate colligi potest. Nam quò tormentum est acrius, eò, dum sentitur, diutius sentiri videtur. Atqui diecula tormenti annus, annus autem plura annorum millia fidelibus animis esse videntur. Sed rem ex ipsis disce. Boverius PP. Capucinorum Historicus anno 1586. memorat fratrem Constantinum à Salvatore virum plane sanctum nonnullis post obitum diebus Patri cuidam apparuisse, & de salutis suæ rebus interrogatum, inter alia hæc dixisse. *Heu! Heu frater! quàm districta Domini iudicia sunt, atque ab hominum sensu ac sententiâ longè remota! Quæ enim viventibus virtutes videntur, à Deo plerumque qui rectè omnia metiri novit, vitia reputantur. Ego quidem Dei miseratione salutem consecutus, tam cælesti gloriâ fruor. Verumtamen in purgatorio igne triduo pœnas exsolvi, quæ trium annorum spatium diuturnitate æquare visa sunt.* Tum geminam eorum causam reddidit: prior quòd diuturno in regimine non paucas maculas, quas nec maculas putabat contraxisset: altera nominatim, quòd in animi relaxationibus indulgentior æquo in subjectos fuisset, unde nonnulla dissolutio enata esset. Aliam historiam narrat idem Author anno 1567. de quodam alio fratre defuncto, cui dimidiatæ horæ intervallum, quo missa pro eo facta fuerat, plus anno durasse visum sit.

306. *Alterius à Cantipratano, & excutitur.*

Celebre est quod Cantipratanus refert lib. 2. Apum cap. 54. de quodam defuncto, qui cùm per tres dies cruciatus purgatorii, anno languoris præoptasset, & jam mortuus unicum diem in eo hæsisset, Angelum fraudis insimularit. Quippe ratus præ supplicii atrocitate multos annos sese istic ustum fuisse, malueritque usque ad Judicii extremi tempus, longè quàm priùs acriori morbo conflictari. Quam historiam Alberto magno fuisse compertam narrat Cantipratanus. Sed ego quidem salvo meliore judicio, existimo citra mortem, & extra purgatorium totum hoc peractum. nec enim cadit in pios manes Angelum fraudis arguere, aut, ut loquitur Author, *seductorem* illum appellare. Atque hanc meam opinionem, hac historiâ confirmo. Sodalis quidam Parthenius ex Paraquariâ de vitandis levibus noxis sæpe admonitus, etiam intentato purgantis ignis terrore correctionem negligebat, quando Superis placuit, hac eum ratione ad officium urgere. Nocte quadam splendidos juvenes sibi adstare conspexit: iisque medium virum è Societate. Tunc illi, *Nunc*, inquiunt, *te docebimus, quàm non contemnendæ sint piaculares flammæ*, correptumque strato in ardentem rogum conjiciunt, quintâ post, ut aiebant, die extrahendum: flammas ille vix senserat, cùm exclamare cæpit se per plures annos in iis jacuisse; *Falleris*, reponunt, *nondum dimidiati quadrantuli pars effluxit, disce deinceps illas non flocci pendere.* hisque dictis sese subduxêre. At hic totus sudore diffluens, & adhuc æstuans ad lucem usque, scilicet meliora proposuit, postque insigni noxarum correctione ostendit non inane visum fuisse. Ita litteræ Paraquarienses anni 1630. Quod totum

totum cùm citra mortem, extraque purgatorium peractum sit, scilicet vi imaginatricis facultatis, omninò credibile est priorem narrationem eodem pacto accipiendam esse, maximè cùm Carthusianus referat Franciscanum quemdam, virum alioqui inclitæ virtutis, nocte quadam in spiritu, ut aiunt, post matutinas preces sensisse purgantes flammas, cumque ante pulsum ad primam, sibi redditus esset, existimasse centum & quinquaginta annis sese in iis versatum fuisse.

307. *Mira historia.* Rem miram narrat Chrysostomus Henriquez, quæ peritorum ingenia exerceat. En ipsius verba. *Cùm B. Willelmus Villarensis Abbas in Brabantia ad generale Capitulum iter arripuisset, accidit ut quidam Conversus infirmitate prægravatus Superiorem advocans eidem confiteretur, quoddam inter cætera peccatum, cuius absolutionem Abbas sibi reservaverat. Quo audito Superior existimans mortis non imminere periculum, dixit ei quòd peteret ab Abbate suo absolutionem de illo delicto. Quid moror? ingravescente infirmitate ex hac vitâ discessit in verâ contritione, & afflictione cordis, quòd quidem ita inopinatò accidit, ut nec Superiorem vocare, nec confessionem reiterare valeret. Cùm autem Abbas de Capitulo rediisset, & sequenti die orationibus, & sanctis meditationibus vacasset, spiritus defuncti nuper Conversi apparuit illi. Porrò Abbas viso illo, & præmisso Benedicite, inquirere cæpit de statu suo. At ille. Cùm recessisses, inquit, à nobis, mandatum accepi à Superiore in confessione, quòd peterem à vobis benedictionem pro hoc delicto; ecce venio, & vestram benedictionem instanter exoro, & desidero. Qua accepta ab Abbate iterum requirit defunctus, quid debeat facere, ut abilla culpa mundetur: cui Abbas præcipio tibi, inquit, quòd permaneas per annum integrum in purgatorio. At ille exclamare cæpit, & dicere, heu me! Pater, quare tam duram tulisti contra me sententiam? Ego potius eligerem septem annis in ignita fornace Villarensi cruciari, quàm per unum integrum annum esse in purgatorio; & oratio Dominica semel dicta sufficisset. His auditis Abbas vehementer contristatus, absolvere eum voluit à simili pœnâ. At ille: Non est, ait, in tua potestate liberare me: tu tuam sententiam tulisti; lata permanet: precibus autem, & aliis obsequiis evadere potero pœnam istam, & his dictis subitò non comparuit. Abbas verò intrans capitulum narravit monachis, quæ facta fuerant circa mortuum fratrem, rogans eos per viscera misericordiæ Dei, quibus visitavit sedentes in tenebris, & in umbrâ mortis, quatenus rogarent Dominum pro ipsius liberatione, & ut deinceps cautiùs se haberent in confessionibus audiendis, & in pœnitentiis iniungendis, admonuit.* Hæc Henriquez in floribus SS. Cistercienſium. Quæ, ut dixi, multam admirationem creabunt, sive quòd mortuus petat absolutionem à culpâ reservatâ, sive quòd pœnitentiam: sivé quòd Abbas tam severam imponat: quæ omnia præter ordinem fieri perspectum est.

Pars secunda.

Contactus ab igne Defunctorum, eiusdem acrimoniam demonstrat.

POstremo exustio illa ab igne in animas agente, quæ in testimonium ingentis doloris subinde proposita est, in eumdem finem à nobis exponenda est. Itaque quemadmodum ab igne lustrali in remotum agente, animæ, quæ hoc in orbe versantur, divinitus exuruntur, ita dicendum est ustiones ejusmodi ab eodem simili ratione profectas esse: Quare cùm carnem, aut lignum, aut quid ejusmodi solo tactu istius ignis celerrimè pervadi, exurisque audimus, opinandum vim illius acerrimam esse, atque adeò acerrimè animas cruciare. Porrò præterea quæ superiùs attulimus numero 269. Petrus Damianus libello de miraculis ad Desiderium ita narrat. *Colonienſis clericus fluminis vadum traiiciens, obvium habuit S. Severinum* (Pelegrinum malunt alii) *Episcopum iam defunctum. Admirans igitur tam sanctum virum ibi demersum, ab eo petiit, quid ibi ageret. Respondit verò Severinus: da mihi manum, & quæ circa me sunt, non auditu disce, sed tactu. Cúmque datam manum fluctibus impressisset, tantus eam ardor absorbuit, ut undique carnes resolutæ diffluerent, & ossa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Petiítque Clericus qua ex culpâ tot tormentis affligeretur, responsúmque habuit: non aliâ, nisi, quòd Canonicarum horarum pensum aulæ curis distractus indevotè percurrerit, sed si sacrificia pro se obtulerit, inde se evasurũ sperare.* Simile est quod Vincentius Belvacensis lib. 25. cap. 69. commemorat de duobus Clericis Nametensibus. Convenerat inter eos, ut qui prior diem obiisset, superstitem de Purgatorio igne certiorem faceret. Itaque cùm alter decessisset, alteri visendum se per quietem præbuit, guttulamque ignei, quo ardebat, liquoris, illius fronti instillavit; quo excitatus incredibilem persensit dolorem.

308. *Contactus ignis exurentis.*

His

309. *Dominicani.* His affine est quoddam prodigium, quod in Poloniâ contigit. Cùm R. P. Staniſlao Kolcockæ, Ordinis S. Dominici, viro inter ſuos ſanctimoniæ laude illuſtri, anima quædam fratris nuper defuncti videndam ſe præberet, inceſſit illum cupido ſciendi, quantæ eſſet acrimoniæ ignis ille, quo anima aiebat ſe flagrare. At hæc, Ignes alii, reſpondit, auræ tenuis locum tenent, ſi cum ardore meo componantur. Tum Staniſlaus experiri ſe velle ait illum in corpore mortali cruciatum; modò vel ſic aliquid decedat pœnæ peccatis ſuis debitæ. Et anima, Non eſt, inquit, mortalium infirmitas ferendo tantam acerbitatem. Si tamen perſtas in ſententiâ, volam manus expande, & ſudoris mei guttulam excipe, ac me ſacrificiis tuis juva, fratribúsque ſuade fugam noxarum, quibus tanta pœna redditur. Protendit ille manum, & igneam velut lacrymulam excepit, ſubitóque immenſi doloris impatiens vociferari cœpit, ac ſemianimis in terram corruit. Accurrére fratres clamoribus, & ejulatibus exciti, eúmque prope jam defectum reperêre, crebrisque fomentis animam retinuêre fugientem. Interea cauſam tanti doloris percunctantur: aperit Staniſlaus, admonet officii, ne pari pœnâ plectantur, jubetque caſum, ac ſenſum poſteris pervulgari. Annum ſuperſtes fuit, & integrum doloris illius reliquias perſenſit, ac tandem piiſſimè finiit. Vide Bzovium ad annum Chriſti 1590. numero 26. Ubi adverte dictum ab animâ, mortale corpus doloris, quem ipſa ſentiebat, incapax eſſe, atque adeò intellige ignis illam guttulam in Staniſlai manum vim ſuam totam non exeruiſſe, licèt tantoperè illum támque diu cruciârit.

310. *Recens exemplum.* Sed recentiſſimum, & teſtatiſſimum eſt quod ſubjicio. Quippe in oculis Hungariæ, nominatimque urbis Præſburgenſis, contigit anno 1641. & authoritate Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Strigonienſis poſt accuratum teſtium juratorum juridicum examen, inſigniúmque Theologorum conſultationem munitum. Igitur Præſburgi (Hungariæ civitas eſt ad Danubium ſita; Viennáque Auſtriæ decem milliaribus diſſita) Joannes Clemens, vir honoratus inter ſuos, & Caſtelli cujuſdam extra civitatem poſiti judex, poſtquam Lutheri caſtra quatuor & quinquaginta annis ſecutus fuiſſet, Catholicam fidem complexus circiter ſexagenarius piè obiit. Vix ab obitu fluxerat menſis, cùm puellæ, quam Reginam Fiskerein nominabant ex oppido Halſtadienſi, ſpectandum ſeſe obtulit, ac deinceps, & ipſi & aliis centies, aut circiter, vel auditus, vel viſus eſt. Porrò in teſſeram boni ſpiritus, rogatus ut crucem formaret, crucem igneam ciſtæ ligneæ, quam mantile tegebat, manu impreſſit, ſimulque igneam manus figuram. Tum alterum ſignum pariter rogatus, mappam alteram, & ſubjectum ei afferem contactu dexteræ aduſſit, denique vaſi aquæ luſtricæ teſtaceo triplicem crucem circa oram induxit.

Ex quibus omnibus acrimonia ignis quò flagrabat ſe prodit. Fac enim ardentiſſimum ferrum ligno, quod mantili operitur, imponi, non ſtatim ligno figuram ſuam inuret; ſed priùs aliquamdiu cum mantili luctabitur. Verùm eamdem ipſam acrimoniam aduſtio illa, denudatióque manus illius clerici, cui S. Pelegrinus ſeſe videndum objecit, maximè demonſtrat. Experientiâ enim conſtat carnem cacabo, calidiſſimâ licèt aquâ referto, injectam, non illicò, ſed lentè excoqui, neque niſi diuturnâ admodum concoctione ab oſſibus diffluere. Cæterùm in hiſce omnibus actionem ignis Purgatorii, tartareíve temperari, ſatis, ut opinor, patet ex vi illius ignis ſupremi, qui breviſſimo tempore univerſitatem hanc, atque adeò ſaxa, metalla, & quidquid igni impervium videtur, ad ima uſque, & omninò pervadet ac peruret. Quem ignem in tartara ſimul cum damnatis devolvendum ſuperius aſſeruimus. 311. *Concluſio.*

§. 7.

Acerbitas cruciatus ab igne purgatorio confertur cum Hujus vitæ cruciatibus.

PRÆFATIO.

QUÆ hactenus de gravitate luſtralium tormentorum diſſeruimis, non modò illuſtrari, ſed & magis expendi poterunt, ſi ea cùm graviſſimis hujus vitæ cruciamentis componantur. Ut enim præſentia mala vehementiùs, quàm futura mentem feriunt, ita etiam quæ ſub ſenſus cadunt, magis, quàm quæ ſub ſolam intelligentiam. Cùm ergo conſtet, & rurſum, ac evidentiùs demonſtrandum ſit purgantes pœnas, ut minimum æquare dolores mortalium, imò, & admodum eos ſuperare, hi nimirum ſub oculos ſubjecti, purgantium pœnarum vehementiorem ſenſum, & majorem piorum manium commiſerationem ingenerabunt.

PARS PRIMA.

Contentio cum morbis.

312. *Morborum ingens numerus.*

PRIMÙM igitur de morbis ago, quorum cruciatus, etsi plerumque latronum, ac Martyrum suppliciis longè gravior, tamen minus invisus est, & tolerabilior censeri solet. Atque ut de eorum numero nihil certi definiam, cùm multi supervenerint veteribus medicis incogniti, & hodieque non rarò peritissimos medicos lateant; tamen eorum ingens multitudo paucis attingenda est. Enimverò tot sunt, quot corporis partes; nam ut singulæ proprios habent affectus, sic oculorum proprii sunt morbi; sic aurium, sic stomachi, sic cæterorum. Atqui oculi tot sibi proprios numerant morbos, quot annus dies; quid censendum igitur de totâ partium omnium multitudine morborum? Etenim cùm singularum partium sanitas sit in propriâ temperie (alia est enim cerebri, alia stomachi, alia hepatis, & reliquarum) tot morbos esse necesse est, quot temperiei illius perturbationes. Adde causas morborum efficientes esse permultas sive intrinsecas, sive extrinsecas, & Aetio Authore lib. 3. de atra bile, *solam libidinem procreare exsolutionem virium, cruditates, hebetudinem sensuum, oblivionem, tremorem, articulorum dolorem, renum & vesicæ morbos, oris graveolentiam, dentium dolorem, gurgulionis inflammationem, ulcera in membris, ac phtisim.* Denique medici ipsi importunis medicamentis nova morborum genera, novasque mortes cudunt. Quippe, ut Plinius aiebat, discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt, medicoque tantùm, hominem occidisse, impunitas summa est. Certè Hadrianus Imperator moriens illud Menandri dixit. *Turba medicorum Cæsarem perdidit.* Et extat illud Stratonici medico falsè illudendentis, *Laudo tuam experientiam: quia non finis infirmos computrescere, sed illos statim è vitâ liberas.* Quamquam autem illud vitii non medicinæ sit, quæ à Deo ad valetudinem tuendam restituendamque condita fuit, tamen & hanc, ut id assequatur, colluctari contra improbitatem humorum, atque adeò vim, & molestiam ægris corporibus creare necesse est.

313. *Et acerbitas.*

Sed si remedia morborum acerba, quales ipsi morbi, quamque molesti sunt? En Rex Hebræus Ezechias in carmine Eucharistico pro valetudine recuperatâ morbum suum leoni comparat. *Quasi leo*, inquit, *sic contrivit omnia ossa mea.* Quem in locum Adamus, *hoc sentiunt*, ait, *qui vehementibus æstuant febribus, harum enim interior ignis instar leonis omnes corporis vires, succum, & ossa consumit.* Quare subdit pius Rex morbo victus, *Domine vim patior, responde pro me*, quasi ad Deum exclamet imparē se esse vi morbi sustinendæ; itaque precari se, ut eum à se propulset, & miserum tueatur. Et tamen quò acrior est febris, aut si quis alius ejusmodi Ezechiam morbus opprimebat, eò citiùs sentiendi facultas debilitatur, dolórque remittit. Quid si igitur podagra, Ischias, calculus, & similes morbi illum cruciassent, indefessò constantique doloris sensu. Quid si ignis sacer, qualis miseros Atrebates intolerabiliter perustos conficiebat, circa millesimum annum ac centesimum, quando Immaculata Deipara cereo divinitus illato eum extinxit? Certè lues inguinaria, hodieque doloris vi hominem in furorem adigit, & tantus est articulorum subinde dolor, ut Polæmon Laodicensis, Aristidis Oratoris præceptor, sub Traiano ætatis annum agens 56. dolorem illum non ferens seipsum in sepulchrum sponte conjectum inediâ extinxerit. Quid si intolerabilium hujusmodi morborum cohors velut agmine facto in unum corpus irruerent.

314. *Demonstrata in Liduina.*

Libet hîc tantisper Liduinam, amplissimum dolorū miseriarumque theatrum, spectare: nec enim alius quisquam toto terrarum orbe pluribus aut gravioribus conflictatus morbis, aut purgandarum animarum dolores, magis quàm illa expressisse videtur; nisi Christinam subducas, quam in voluntariorum tormentorum theatrum brevi producemus. Igitur Liduina, cùm quintum ac decimum ageret ætatis annum, summaque sæviente hyeme virgines sibi coævas per glaciem ludibundo pede pro solemni Gentis more labentes aspectaret; una earum in aspectantem impegit, & in glaciem marmoris instar obduratam dejecit, sic ut dejecta costam ruperit. A quo lapsu, tot tamque diros dolores ac morbos sensit, ut eos ab humano corpore ferri prorsus incredibile videretur. Et verò satis apparebat eam miraculo vivere: quia totos triginta annos vixit, vix tantillū panis comedendo, quantum homini sano satis esset in triduum: neque triginta solidis annis tantum somni cepit, quantum cuivis satis esset in tres noctes ad vitam conservandam. Sed & remediis ejus ægro corpori applicatis mali vis non modò nihil minuebat, sed etiam augebatur. Vix ullum commovere membrum poterat, & manibus pedibusque humi repebat. Sine

tormento

tormento nihil quidquam cibi aut potionis admittebat, sed instar mulierũ uterum ferentium salubria esculenta poculentaque nauseabat, insalubrium & insolentium avida: hinc non nisi turbidas aquas sitiebat, nullamque quietis partem capiebat. Atque has inter ærumnas innatum fuit ejus visceribus apostema, de quo terribiles, informes, grandesque vermes innumeri pullulabant, qui quamvis omnibus spectantibus varios horroris & miserationis affectus exprimerent; nil tamen fœtoris exhalabant. Invasit porrò illam sacer ignis, qui medicis Erisipelas, Columellæ Samonicus ignis, Polluci rubor, cum inflammatione ac dolore ulcus ambiens. Hic sacer ignis artus ejus usque ad ossium ima decoxit. Dextrum ejus brachium, itemque humerus putrescebant, torpebantque, caput aculeis dolorum compungebatur, frontem fissura longa, lataque, & serrata deformabat, mentum malè similiter erat affectum, oculi lippitudine caligabant, dentes hoduntalgia quatiebat, guttur angina stringebat, denique singulos artus singuli dolores cruciabant. Quin & ore, naribus, cruribus, & oculis tantum sanguinis ejectabat, ut omnes in stuporem daret. Præterea tantum aquæ rubræ vomebat, ut quod spatio unius mensis ejecerat, vix duo viri ferrent. Adde his phthisim, & nephritidem, quæ jecur, & pulmonem, renesque lancinabant, adde febres, quibus quotidie æstuabat, ne quod esset corporis membrum, quod non suo dolore cruciaretur. Atque hujusmodi vitam, si tamen vita dici potest, egit Sancta hæc totos octo, & triginta annos rerum omnium egena, ab omnibus derelicta, nec habuit ad quem confugeret, nisi Christum, qui etsi eam identidem solaretur, tamen pluribus etiam aliis ærumnis calumniisque sinebat afflictari, & tamen patientissima virgo novos dolores ab eo petiit, obtinuitque, nimirum geminum ulcus, secundùm guttur, alterum secundùm latus, tertium item, quartumúe in altero oculorum, quibus minimè contenta, lumbos aspero cilicio præcincta ad mortem usque permansit.

315. *Cedit acerbitati ignis purgatorii.* Verumtamen quidquid fortissima illa virago, quidquid mortales ex tot, quot diximus, morbis tolerare possunt, longè impar est piorum manium tormento, vel ab uno igne lustrali percepto. Primùm enim pleræque saltem corporis ægritudines eò cruciant vehementiùs, quò amplùis caloris extranei in corpus invehunt; est enim calor omnium qualitatum princeps, & efficacissima, atque adeò feracissima doloris. Quis autem dubitet quin ab igne extraneo etiam nostrate plus caloris corporibus inferri possit, quàm ex humorum intemperie iisdem innasci? Pone itaque hinc hominem vario morborum genere excruciatum, illinc alterum flammis sulphureis undique pervium ad viscera usque, atque ad ossium medullas, quem quo miseriorem censes? opinor ambustum illum; & tamen pictura est, imago est animæ in purgante ergastulo ambustæ. An non igitur omnium maximas, quæ fuere, sunt, & erunt corporis ægritudines huic uni animæ unius combustioni collatas, suaves esse arbitraris.

316. *Demonstratur.* Id verò ut altiùs imbibas, & omnem excutias dubitationem, pone animam illam corporis instar tot acubus igne vehementissimo candentibus perfossam, quot Liduina pertulit ægritudines, malis credo calculum singillatim, aut podagram pati, quàm sic acu vel una perfossus vivere: ac proinde malis omnes Liduinæ morbos perpeti, quàm toties ita perfossus intolerabilem vitam tolerare, & tamen iterum dico; ignis ille purgatorii adumbratio est, & plures ignis partes animam unicam excruciant, quàm Liduinæ corpus ægritudines, sive quòd totus fortasse ignis purgatorius agit in singulas animas (quippe satis vicinas, & actioni totius satis expositas) sive quòd licèt non totus agat tamen tot ægritudines Liduinæ simul consistere nequierunt, quot ignis partes animas singulas ambiunt.

Pars secunda.

Collatio cum suppliciis latronum.

317. *Diversa supplicio-rum genera.* Progredior itaque ad collationem ejusdem ignis cùm suppliciis latronum, ac quorumlibet sceleratorum. Torquendis reis plurima antiquis ac recentibus Judicibus usui fuisse comperio. Fuêre enim qui eos in puteum demergebant, lapide ad collum suspenso, ut Athenienses. fuere qui saxis obruebant, ut Judæi, & Macedones: Item Lusitani reos Majestatis. fuere qui culeo insutos parricidas in mare præcipitabant, ut Romani; porrò culeo gallus gallinaceus simia & Vipera cum homine jungebantur, ut in rixâ infensorum animalium, & fœdâ laceratione corporis, ob tanti sceleris immanitatem, diro cruciati vulnere interimerentur. Crux præterea fontium supplicium fuit, & quidem infame; arbor item cujus ramis per vim curvatis reos alligabant, ut cùm post laxarentur rami, ipsorum reorum corpora discerperentur. Adhæc quadrigis distenti in

diversa trahebantur. Calamis alii acutis configebantur, alii laqueo finiebant infamem vitam, quæ pœna omnium viliſſima, fœdiſſima, ignominioſiſſima ſemper habita fuit: ſed omnium acerbiſſima eſt pœna ignis, cujus diverſa genera. Nam ſedes ferrea Agatoclis ad homines necandos nota eſt ex hiſtoriis; Tunica item, quàm moleſtam vocabant, quia ignium alimentis illitam & intextam ſuccendebant. Aliàs inſerto gutturi unco producti in arenam, ubi poſteà pendentiũ crura frangebantur, & igni injecto ardebant, quod ſupplicium Nero in Chriſtianos exercens, eorum ardore pro luminibus uſus eſt: Denique vivi in ignem injecti: Poſtremò igneus ille taurus, Perylli inventum, dignáque authore pœna, igne ſubjecto incluſos omnium crudeliſſimè torquebat.

318. *Cedunt tormento ignis.* Horrenda ſunt hæc, fateor, ſuppliciorum genera, & tamen confiteri cogor nullum humanum cruciatum reorum cum piorum manium tormentis componi poſſe. Atque humana quidem, ſi ignem excepperis, vel ſuffocatione, ut ſubmerſio, ſuſpendium; vel laceratione, ut membrorum diſcerptio; vel diviſione, ut obtruncatio; vel contuſione, ut lapidatio exercentur; quæ omnia etſi lethalia ſunt, tamen non tantùm doloris pariunt, quàm peracris, & paulò diuturnior caſtigatio, puerile ſupplicium. Et tamen pueri apud Lacedæmones in arâ Dianæ, cui Orthia cognomen, flagellis ex more totum diem cedebantur, fortiterque ad mortem uſque ſub verberibus durabant, ſtudio victoriæ, præmiique illi conſtituti, qui diutiſſimè generoſiſſimeque ea toleraſſet. Quod certaminis genus quotannis inſtaurabatur. Quis verò neſcit ignis ſupplicio puerorum caſtigationem acerbitate cedere? Igitur inter tyrannorum & Judicum inflicta reis ſupplicia ſolus ignis cum igne purgante conferri poteſt.

319. *Et hic noſter ignis luſtrali.* Porrò ingens inter utrumque diſcrimen ſuperius demonſtravimus, & nunc addimus ignem hunc noſtratem, quo juſtitia humana, tyrannisque uſa eſt ad mortalium cruciatus, à Deo conditum eſſe ad eorumdem mortalium uſum, ac delicias; luſtralem autem ac inferum ad tormenta Numinis hoſtium, & injuriarum illius ultionem. Ex quo ſequitur vel diverſum eſſe eſſentiâ (intra tamen ignis rationem) vel quod maluimus eumdem quidem eſſentiâ eſſe cum noſtrate, ſed intenſione, atque acerbitate, longè horribiliorem. Præſertim cùm rationi conſentaneum ſit, ut factæ infinitæ Majeſtati injuriæ multò acriùs caſtigentur, quàm homini illatæ, vel puniantur, vel puniri queant. Cùm igitur tormentum ignis cætera multis partibus exſuperet, & illud tantum cedat ignis luſtralis ſupplicio, quantum ipſi cætera, imò longè amplius, cùm laceratio, aut diſcerptio membrorum longè plus ſit quàm umbra tormenti ignis, conficitur ſæviſſima reorum ſupplicia luſtrali cedere.

320. *Hinc oſtenditur hujus cruciatus.* Declaratur amplius. Pone varios reorum cruciatus, quos antea protulimus ab unico homine perſentiri: hic profectò non tantum doloris perpetietur, quantum ſi ſingulis corporis partibus tam internis, quàm externis conflagret. Enimverò partium illarum numerus, variorum, qui reis inflicti ſunt, cruciatuum multitudinem vincit, & ſingularum dolor ab igne non parum ſuperat, aut ſaltem ad minimum æquat dolorem, qui ab aliis tormentis poſſet inferri. Et tamen ſi totus homo igne noſtrate conflagret, umbram & imaginem exhibebit animæ flammis luſtralibus peruſtæ. Qualis igitur erit dolor à vero illo igne, cùm ab illius umbrâ ac imagine plus doloris pariatur, quàm rei multi, vel à Judicibus, vel à tyrannis, omni, præter ignem, tormentorum genere ſint perpeſſi.

Pars tertia.

Collatio cùm ſuppliciis Martyrum.

321. *Veterum Martyrum tormenta.* EX quibus ſatis perſpectum eſt, Martyrum quoque tormentis longè intolerabiliores eſſe flammas animarum expiatrices. Juvat tamen & idipſum figillatim ac propriè exponere. Ac Diocletiani quidem decennium, vexationis Chriſtianorum, maximè omnium temporum cruentum ac crudele fuit. Anaſtaſius Bibliothecarius ſeptem ac decem Martyrum millia, unico illius menſe numerat. Una Ægyptus per illud ſpatium ad centum quadraginta quatuor millia Martyrio coronatos recenſet. Cæteras provincias quid perſequar? Si genera ſuppliciorum iſtius temporis noſſe aves: Ruffinus lib. 1. cap. 8. ex Euſebio apud *Thebaidem*, ait, *omnem mortificationem ſuperat exercita crudelitas, pro ungulis teſtas fictilium vaſorum adhibebant tortores, quibus omne corpus eouſque lacerabant, donec totam carnis eraderent cutem. Aliàs ſicuti duæ arbores ſibi vicinæ inveniebantur, vi quadam ab utraque inflexis contra ſe invicem ramis, eíſque ſingulis ſingulos Martyris pedes obligantes, ſubitò ramos, quos vi inflexerant, relaxabant, qui cùm ad ſitum naturalem impetu referrentur, diſcerptis diſſectíſque viſceribus avulſa ſecum membra rapiebant,*

& hoc

& hoc per annos aliquot quotidie, quando minimum decem, interdum autem, & uno die centum viri, vel mulieres, & parvuli prædictis pœnarum generibus trucidabantur. Hactenus Ruffinus. Quod si libet hîc nonnulla ſtrenuiſſimorum pugilum certamnia ſpectare. Eutropius Lector quòd S. Chryſoſtomi partibus faveret, quaſi templi, ac curiæ, quæ divinitus arſerant, incendiarius per indices delatus, primùm boiis diſtentis (genus eſt vinculorum tam ligneorum quàm ferreorum) ſæpiùs tortus fuit; poſt autem fuſtibus, & clavis oſſa ei comminuta: dein ungulis membra, latera, & mamillæ conciſæ: poſtremò flammam accenſam inferioris corporis partibus excepit. Ita Nicephorus apud Bollandum Jan. 12. Præterea S. Ephyſius, ignem, reſinam, picem, oleum, & omne genus pinguedinis candentis duabus fermè horis in pavimento extenſus toleravit. Inde in fornacem injectus, flammas illæſus ſuperavit, cecinitque hilaris cum Pſalmiſta: *Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.* Erat autem tam acris flamma, ut circumſtantes uno prope temporis momento devorarit. Adhæc S. Martina Virgo, & Martyr ſub Alexandro Principe, cùm deos inanes colere juberetur, immane facinus ſummâ libertate deteſtata, cùm fuiſſet primùm aliquoties verberibus affecta, dein uncis, ungulis ferreis, teſtarum fragmentis lacerata, acutiſſimis gladiis membratim conciſa, adipe ferventi peruncta, demum in amphitheatro ad beſtias damnatur, à quibus divinitus ſervata in ardentem rogum pari eventu conjicitur; demum capite minuta, coronam Martyrii adepta eſt, cùm interea trementè urbe totâ vox è cœlo audiretur, quâ ad Superos evocabatur. Vide recens Martyrologium. Atque hæc, & his ſimilia in hiſtoriis ſacris paſſim obvia.

322. *Diuturniſſima omnium Martyria.*

Duo ſunt inter Martyres tormentorum ſævitie, ac numero, & maximè diuturnitate eximii, S. Clemens Epiſcopus Ancyræ, & ejus ſocius Agathangelus. Propria Clementis hæc fuere: ligno appenditur, & ferro raditur, lapidibus os & genæ illi contunduntur, in carcerem compingitur, rotæ alligatur, fuſtibus verberatur, cultris laceratur, ferreis graphiis os illi compungitur, maxillæ confringuntur, dentes excutiuntur, compedibus ferreis conſtringitur, rurſusque in ergaſtulum conjicitur. Hæc verò cum S. Agathangelo communia, crudis nervis bubulis ceduntur, è trabe ſuſpenduntur, tædis ardentibus latera uſtulantur, feris objiciuntur, ſubulæ ignitæ per medios digitos illis adiguntur, viva calce obruuntur, duosque dies in illâ relinquûtur, lora è cute corporis ab humeris detrahuntur, fuſtibus iterum conſcinduntur, in lectos ferreos igne candentes conjiciuntur, in fornacem incenſam immittuntur, ibique per diem & noctem cruciantur, lumbi ferro carpuntur, muricibus ferreis, extante ſupra acie rectâ in terram depactis, injecti fodicantur, quibus graviſſimè compuncti & ſauciati ſunt. Agathangelus autem ſolus liquato plumbo capite perfunditur, ſaxa molaria utriuſque collo appenduntur, tractique per urbem lapidibus petuntur. ſeorſum rurſus Clementi, fibulæ ardentes per aures trajiciuntur, faces iterum admoventur, ſaxo ingenti adſtrictus, baculis os & caput contunditur, & quotidie quinquaginta plagarum ictus ſuſtinet. Demum uterque Ancyræ Galatiæ capite plectitur. Quæris quot annis heroës illi contra tyrannos, tortoresque plurimos depugnarint? mirum dictu! Clemens octo, & viginti, Agathangelus octodecim.

323. *Tormenta recentiorum Martyrum.*

Atque hæc fuêre veterum Martyrum certamina; recentiorum, partim ſimilia, partim diverſa. Anglicana hæreſis ſuſpenſis, ac palpitantibus adhuc, cor crudeliter extraxit: Gallicana per omne tormenti genus in eos graſſata eſt, Belgica item. Japonica ſuperſtitio maximè ſæviendi perita inter omnes, poſt ferri ignisque, ſeu rapidi, ac vehementis, ſeu lenti ſupplicia, nova hæc invenit. Sanctos pugiles pedibus ad furcam ſuſpenſos, manibus poſt tergum revinctis, mediâ corporis parte deprimunt in ſcrobrem, quam fœtore plenam duplex tegit tabula, ne quid hauriant auræ melioris, vel lucis; itaque vel fœtore, vel inediâ, vel ſanguinis per os & nares effluxu, lentâ morte conficiunt. Aliàs illos capite deorſum in vas aquæ narium tenus depreſſo, divaricatis cruribus, fune in gyros contorto ſuſpendunt, quo deinde celeri circumactione retexto, ademptâque ſic reſpirandi facultate miſerè cruciant. Aliàs ſcalis illigant ſupinos, tum aquam infundibulo in os immittunt, dum ventre ea farto, ad os uſque redundet, ac poſtremò impoſitâ ventri tabulâ, pedibusque hinc & inde compreſſa, ingeſtam aquam per os, nareſque ſimul cum cruore excutiunt, diro ſcilicet cruciatu, qui & vitam primo ſæpe hujuſmodi tormento extorquet, & tamen nuper, anno nimirum 1643. quinque è Societate Jesu fortiſſimi heroës, cum tribus adoleſcentibus, totos ipſos ſeptem menſes alternis diebus id ſupplicii genus conſtantiſſimè pertulêre: ſi unicum excipias P. Franciſcum Marquez, quem parentum

Japonum impia pietas convellendæ blanditiis ejus constantiæ, aliquantisper domi, sed frustra detinuit. Jam si spatium Japonicæ tyrannidis audire libet, nunc quinquaginta fluxêre anni, ex quo non nisi dira supplicia morsque est in oculis Japonum Christianorum: ex quibus plus mille paria primævis Christianis tormenta fidei causâ subjere. Sola Jesu Societas octoginta septem generosissimos Athletas in iis recenset, & universim variis orbis, seu novi, seu veteris regionibus unico prope sæculo ducētos, & fere octoginta, præter eos, quos nova Francia, quam Canadam vocant, quotidie nobili palmâ condecorat.

Pars quarta.

Contentio cum tormentis Sanctæ Christinæ.

S. Christinæ mirabilia tormenta.

324. Cum igitur quanticumque Martyrum cruciatus lustralibus, ut statim probavimus, acerbitate cedant: Nunc denique an Christinæ mirabilis prorsus admirabiles voluntariæ pœnæ expiandarum animarum causâ susceptæ, iisdem lustralibus æquiparari dignæ sint, videamus. Postquàm conspectis divinitus purgantibus suppliciis inclyta illa Belgii Herois, pœnas animarum gratiâ subeundas suscepit. Ingrediebatur, „ *ait Cantipratanus*, in ardentes clibanos coquendis panibus præparatos, & illis incendiis haud secus, atque aliquis ex nobis cruciabatur, ita ut præangustia & dolore horrendos ederet clamores. Quando ad manū non erant hujusmodi furni in hominum ædibus, jactabat se in copiosos ignes, vel pedes tantùm, aut manus immittebat, tamdiu illic tenens, ut nisi divino servata esset miraculo, non potuerit non in cineres redigi. Interdum deponebat se in cacabos plenos bullientis aquæ usque ad mammillas, vel si profundi non essent satis cabi, usque ad renes; membra illa, quæ in aquam ejusmodi immergere non poterat, aquâ ferventi perfundens. Sub aquas Mosæ fluminis hiberno tempore, cùm rigerent omnia gelu, crebrò, & diu morabatur, sex, & eo amplius diebus in eo perdurans. Solebat etiam hyeme sub molendini rotâ erecta stare, ita ut aqua, vertente se rotâ, in medium verticem, & totum corpus delaberetur. Interdum in aquis natans simul cum illis ferebatur in rotam, atque horrendum in modum circumagebatur cum ipsâ rotâ. In rotis etiam quibus piratæ plerumque puniri solebant, instar eorum, qui illis excarnificabantur, contorquebat brachia, & crura sua, nonnunquam in patibulo, inter fures ex illo pendentes, se suspendebat, ad unum & alterum diem. Sæpe in monumenta mortuorum ingrediebatur lugens illic hominum peccata. Surgebat quandoque mediis noctibus, & totius Trudonensis oppidi canes in se concitans, ante illos ipsam infectantes instar feræ cujusdam cursitabat, sicque per devia, & per densos vepres, & spineta, agitata adeò ab illis compungebatur, & lacerabatur, ut nulla corporis ejus pars vulneris esset expers. Aliàs ipsa se suâ sponte spinis & sentibus compungebat, ut toto corpore sanguine perfusa videretur. Præter has sanguinis profusiones sæpissimè permultum sibi sanguinis venæ sectione detrahebat. Hactenus Cantipratanus. Porrò cursum hunc vitæ per duos, & quadraginta annos tenuit, ut jejunia, aliasque corporis macerationes silentio præteream. Sat enim superque ex his habemus, cur eam plus Clemente, & Agathangelo, plus plurimis simul Martyribus unam pertulisse dicamus. Præsertim cùm Deus Martyrum gratiâ vim ignis, atque aliorum tormentorum, aut omninò retunderet, aut saltem mitigaret, quod in Christinâ nemo sibi persuadeat, dum meminerit eam ad patiendum electam ac confirmatam fuisse.

Cædunt purgantibus flammis.

325. Cæterùm, & Heroidis illius infandas pœnas purgantibus longè mitiores fuisse, dicere cogimur, si SS. Patrum effatis, Sanctoque Thomæ, & rationibus antea propositis acquiescere velimus. Quibus accedit, quòd illa nunquam tota flammis arsisse legatur, qualiter ardent pii manes; neque semper ignem pertulisse, sed aliis tormentis hoc omnium acerbissimum mutasse: cùm manes, sine intermissione ullâ dies noctesque flammis expiatricibus perurantur. Quibus si addidero hasce flammas sine controversiâ ullâ flammas nostrates sævitie vincere, Christinæ tormenta utcumque tormentis Martyrum, latronum, morborumque longè sæviora, piis manibus solatii instar dici & esse poterunt.

Pars quinta.

Et prioribus, & voluntariis tormentis præferuntur purgantia, & peroratur.

Voluntariæ pœnæ.

326. Præterea volens collationem cum pœnis piorum voluntariis, etsi gravissimæ identidem fuerint susceptæ. Quo in genere incredibile dictu est quod unus ipse Dominicus Loricatus, teste Damiano, utrâque

utrâque manu se cædendo, totum Psalterium bis quotidie percurreret. Cùm enim Psalterium centum quinquaginta psalmis constet, & singulis psalmis centum ictus assignarentur, quotidie se verberando cumulabat ictus ad quindecim millia. Cùm verò per jejunium Quadragesimale, & aliàs subinde tria Psalteria inter ictus quotidie recitaret, quotidie ictuum numerus excrescebat ad quadraginta quinque millia; tantus erat illius ardor piæ in se sævitiæ! Sed quid hæc ad ignis diurnum cruciatum? Præterquam enim, quod perpetuo tunsione caro occallescit, ac sensus doloris hebetatur, etsi durare facias hunc integrum, ad sensum ignis, parvi debet æstimari.

327. *Conclusio.* Quid dico, & quid sententiam tam diu differo? Aio igitur, & Christinæ pœnas, & atrocissimos morborum, latronum, Martyrum, & piorum cruciatus, animæ purgandæ supplicio posthabendos esse, atque adeò Angelici Doctoris sententiam esse mihi exploratam. Quòd si verò minima lustralis rogi pœna, maximam hujus vitæ superat, eia mecum si lubet, ascende. Quot enim noxæ eâ minimâ, quæ pœnam sensus meretur, graviores sunt, totidem pœnæ ista minimâ pœnâ sunt acerbiores. Porrò etiam sistendo intra noxarum venialium classes, majores ac majores esse possunt, neque est dare ullam, quam altera non possit excedere. Deinde innumeras veniales condonatas, quantum ad culpam attinet, unica lethalis exsuperat, ut malitiâ, ita pœnæ dignitate. Quantum igitur tormentum, quantovè pœnis hujus vitæ atrocius mortali noxæ debetur! Agnoscis, credo, incrementum illud capi à te non posse. Quomodò igitur mente comprehendas immensitatem supplicii, quòd plurimis, maximisque criminibus per vitæ cursum perpetratis respondet? scilicet hîc hæres. Quid igitur ego? hoc saltem, quod Augustinus ac Cæsarius, aliique dixerunt, expiatrices flammas esse atrociores omni tormento, quod in mentem hominis cadere possit, ratum ac manifestum videri in illis, quibus complures defunctorum cruciantur, quippe qui multiplicata, & in dies exaggerata prope in immensum scelera vix nisi in morte, serio dolore, nedum voluntariis pœnis diluerint. Quos quidem si tot ardentibus stimulis confixos tibi objicias, quot venialia commisêre, quot, & quantorum morborum cruciatus, quot latronum supplicia, quot Martyrum carnificinam, unico unius ex illis tormento cedere arbitraberis?

Quid ergo dices, si pondus, ac cumulum pene innumerorum mortiferorum, illi ejus unius cruciatui adjicias? nonne illa tibi subrepet cogitatio, saltem aliquos ex piis manibus esse, qui soli tantumdem perferant tormentorum, quantum vel ægri omnes, vel latrones, vel Martyres? Quoquo modo id se habeat, effectum hic dari videtur, quod Supremus Judex Ezechielis ore Jerosolymis olim interminatus est cap. 15. hisce verbis; *Et faciam ipse, quod non feci; & quibus similia ultra non faciam, propter omnes abominationes tuas.* Quod enim nunquam hac in vitâ evenit, nec eveniet unquam, hoc miseris illis manibus evenit, ut unus unicus ex iis tantum tormenti perpetiatur, quantum forsitan omnes latrones. 328. *Resborrenda.*

O tormentum! ô pœna; ô mortales! Quî fieri potest, ut hæc non altè in animos nostros descendant? Quî, inquam, fieri potest, ut tam inauditam pœnæ immanitatem ita negligamus, ut causam illius, peccatum de industriâ admittamus? Quanta, mi Lector, tua insania est, ut evites aciculæ morsum, aut justam reprehensiunculam, suspendii te periculo exponere! Quanta, malle crastino die solvere sexcenta millia aureorum, cùm hodierno possis uno quadrante satisfacere! Et ita tamen, & deteriùs etiam agis, & ego, & passim homines agimus, ita in rem nostram intenti, imò minimè intenti, imò nobis infensi, & infesti sumus! Quid hic dicam? Quid non dicam? Res loquitur per se ipsa, nullam eâ majorem fatuitatem reperiri posse. Imò perspectum est omnes, quæ in commercio humano fatuitates contingere queunt, præ hac unicâ nullas esse. Quam igitur amarè olim deflebimus, quàm graviter nos ipsos incusabimus; quando pro mendaciolo, pro levi voluptatulâ, pro reculæ lucro tantum perferemus tormentorum, quantum nequissimi rei pro criminibus infandis veris, aut falsis, quantum excogitare non potuerunt Neriones, Caligulæ, Diocletiani, Maximiani, aliique innumeri. 329. *Hominum peccantium fatuitas.*

Et tamen vesania ista mortalium, ipsamet, ac sola est mundi sapientia. hanc Politici; hanc Epicurei, hanc libertini, hanc omnis academia docet. Hanc pueri, ac puellæ, hanc viri senesque, & omnis ætas, ac natio consectatur. Rem suam mendaciis facere, & augere, mille retibus honores aucupari, mille flagitiis voluptatem emere, id demum, & ejusmodi, mundo sapere est, utcumque dura, diraque tormenta reos maneant, & manere sciantur. Intisum jam abiit purgatorium, imò & orcus, & serium ac sapientiæ plenum est eorum, vel 330. *Est mundi sapientia.*

rum, vel obliteratâ, si fieri posset, memoriâ, vel rejectâ, agitare negotia, dignitates quærere, ac tueri, denique ætatem hanc sic agere, ut si morte omnia terminarentur, aut illa numquam esset oppetenda Itaque valet hic illud Jeremiæ cap. 5. *Stupor, & mirabilia facta sunt in terrâ, Prophetæ prophetabant mendacium: & Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in novissimo eius?* Nam qui mundi Prophetæ, seu videntes? nisi quos vocant Politicos, utique juris mundani peritissimos, quorum hæc sunt, quæ retuli, dogmata, seu mendacia potiùs. Quibus etiam ipsi sacri homines, & sacerdotes nonnulli saltem adstipulantur: certè semper nimis multi, & utrosque populus remis velisque sequitur. Sic quoque Noëmi temporibus, sic & Christi ætate res ac consilia mortalium procedebant.

331. *Deflenda magis, quàm Ierosolymæ excidium.*

Et propterea hic ipse Redemptor aliquando, *Cùm appropinquaret Jerusalem, videns civitatem, flevit super eam, dicens: quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis; quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique* Luc. 19. Ubi excidium illius florentissimæ urbis vaticinans, meritò cum lacrimis illud deplorat. Quippe in quo excidio præter innumeras calamitates, tanta fames obsessos oppressura esset, ut Maria quædam nobilis ac locuples femina regionis Pereæ, quæ trans Jordanem jacet, cùm Jerosolymam & ipsa confugisset, filiolum in frusta sectum coxerit, & *membra, quæ genuerat*, ut loquitur Egesippus l. 5. c. 41. *vorarit.* Porrò cæsa sunt per omne obsidionis illius tempus decies centena Judæorum millia, vel ut alii, centum & decem myriades. Captivi abducti ad nonaginta septem millia, & partim postea bestiis objecti, partim aliis suppliciis excarnificati, partim triumpho reservati. Hic fuit fons lacrimarum Christi, sed profectò gaudii fons dici poterat, si cum eorumdem Judæorum ærumnis mortem secututis, atque ut ad propositum revertar, si cum igneis piorum manium tormentis comparetur. Cùm, ut ostendimus, non illas modò Jerosolymæ calamitates ignis lustralis acerbitate superet, sed sæviissimas orbis universi. Quare si vir quidam rusticus, at divinus Vates, imminente illo excidio, nec tormentis, nec aliter cohiberi poterat, quin continenter exclamaret; Væ Jerosolymis, Væ Jerosolymis; Væ templo, Væ populo; nos longè potiori ratione mortalibus inclamare possumus; Væ longè funestius, nisi repudiato liberioris vitæ genere crimina sua hac in vitâ pœnitudine eluant, priùsquam atrociissimo illo igne sint expurganda.

ARTICULUS II.

An etiam leves noxæ supplicio ignis castigentur?

Pars prima.

Levissimæ solâ Damni pœnâ plectuntur.

332. *Culpæ levissimæ solâ pœnâ damni plectuntur.*

Dubitari nequit, quin pœna damni plectantur noxæ, etiam levissimæ. Ratum enim est illud Apocalypsis cap. 21. *Non intrabit in eam*, cœli Regiam scilicet, *aliquid coinquinatum.* Ambigitur autem, an etiam igne lustrali verbum, aut cogitatio otiosa, aut etiam animi inter preces levis evagatio, aut hujusmodi expurganda sint. P. Dicastillo affirmat, quippe quod id animis expediat, ut graviissimi supplicii perpessione beatitudinem sibi accelerent, quam vellent omnibus tormentis posse redimere. Verum sic minimè conficit etiam leviissimam culpam pœnâ ignis dignam esse. Et verò si faciamus unum aliquem culpæ omnis immunem decedere, ita tamen ut solum ultimum satisfactionis gradum non expleverit, sive ultimam noviissimi quadrantis partem certam ac distinctam, quam Deus castigare solitus sit, non exsolverit, is pœnâ quidem damni multandus est, donec totum solverit: sed eâ, ut videtur, solâ, breviissimâque, quoniam, ut ponimus, solam ultimam noviissimi quadrantis partem debet, cui abundè pœna damni faciet satis. Alioqui enim non esset pars ultima, cùm dari posset, quæ solâ pœnâ damni, non autem pœnâ ignis digna foret. Non enim id videtur negandum. Quin & revelationes subinde perhibent solius damni pœnâ nonnullos fuisse afflictatos: utpote scelere puros, & penè expurgatos voluntariis hac in vitâ suppliciis. huc pertinent quas antea produximus cùm de cœli atrio ageremus. Huc quoque pertinere videtur, quod in Chronicis ordinis Hieronymiani scribitur 2. P. l. 2. c. 3. fratrem Ferdinandum Jannez, è tribus illius fundatoribus unum, virum sanctimoniâ miraculisque clarum, ab obitu cuidam Monacho spectandum se præbuisse, veste monachali,

sed

sed attritâ lacerâque, vultuque tristi sacrificia postulasse, quippe quòd torqueretur, eò dumtaxat, quia ne minutus, & exactior videretur, & fratribus gravis esset, mitiùs cum eis egisset, atque indulgentiùs, quod tamen non culpæ, sed prudentiæ assignabat. Mitto alios, aliàs producturus. Itaque existimo solam identidem damni pœnam purissimis animis in alterâ vitâ esse luendam, sive cùm omnis culpæ expertes, perparum pœnæ solvendum habent, sive cùm unius ac levissimæ culpæ rei decedunt, qualis est ea, quæ per errorem, & ferè præter voluntatem contrahitur. Et addo Deum nonnullos solâ damni pœnâ castigare, quos pro meritis posset igne torquere, ut patet in iis, quos per aliquod temporis spatium sui conspectu prohibet, cùm pœna damni authoribus plerisque Theologis pœnâ sensûs gravior sit, & pœnæ damni diuturnitas utriusque conjunctione posset cõtrahi. Rei causam si quæras, meritò quidem respondent solemne illud, Sit pro ratione voluntas: sed ex D. Thoma adhæsionem ad noxam illius moræ ac pœnæ fontem dicere, saltem identidem possumus. Quod si quis objecerit culpæ, vel levissimæ gravitatem, utrâque penâ dignam, expendat ille pœnæ damni vel solius acerbitatem; non ægrè, opinor, nobiscum faciet, præsertim cùm citra condignum sit castiganda.

333. *Secus leves; probant id sacræ scripturæ.*

Cæterùm affirmare cogimur pleraque noxas veniales, & eas maximè, quæ de industriâ, atque à volentibus, scientibusque admissæ sunt, pœnâ ignis castigari. Sunt qui sententiam illam probent ex hoc Malachiæ loco. *Quis poterit cogitare diem adventus eius, & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos, quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino afferentes sacrificia in iustitia, & placebit Domino sacrificium Juda, & Jerusalem.* Etenim volunt ignem illum, quo Deus excocturus, & emundaturus animas dicitur, & animas quidem auro argentoque similes, id est, sanctas, & solâ venialium scoriâ obscuratas, non alium esse quàm purgantem. Imò Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus in expositione Concilii Florentini cap. 8. contra Græcos purgatorium quidem agnoscentes, sed minimè lustralis ignis supplicium, ex hoc ipso loco probat, & ignem in eo constare, & animas eo expiari. Sic enim argumentatur, Ignis hic conflagrans, & emundans non pertinet ad Beatos, utpote mundissimos, nec ad damnatos, quippe qui nec emundari queunt, nec emendari: ergo pertinet ad animas purgatorii. In eo igitur est ignis conflans, & animas justorum emundans, vel à levibus & venialibus maculis. Ita ipse tom. 4. Bibliothecæ SS. Patrum. Sed bonâ cum veniâ, si ignis ille sit purgatorius, quomodo illi, qui eo mundati fuerunt, dicuntur sacrificia oblaturi? Et quæ sunt illa Beatorum, postquam flammis expurgati fuerint, sacrificia? Itaque labat ea probatio, & illa Prophetæ vaticinatio Sacerdotes Catholicos spectat, quos charitatis divinæ mundandos igne, & auri argentique instar omni scoriâ ac labe purgandos, sic demum grata Numini sacrificia libaturos Malachias prænuntiat. Sed non deest nobis locus alter, unde hoc, quod agimus, plerorumque Patrum ac Theologorum sententia non obscurè colligitur. Sic enim Apostolus 1. Cor. cap. 3. *Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulas, uniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit: quia in igne revelabitur, & uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet; si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* Quem locum interpretatur hisce verbis Doctor Angelicus in 4. distinct. 31. q. 1. a. 2. *Venialia charitati adiuncta possunt per aliquam pœnam consumi, & ideò convenienter secundùm methaphoram significantur per illa, quæ per ignem consumuntur. Et quia quantò aliquod peccatum est gravius, tantò difficilius purgatur, in peccatis autem venialibus invenitur unum altero gravius, ideò convenienter eorum diversitas significatur per diversitatem eorum, quæ faciliùs, & tardiùs consumuntur ab igne. Et quia perfectio cuiuslibet quantitatis ternario comprehenditur, propter principium, medium, & finem, ideò triplex differentia ponitur; quia sunt gravissima in genere venialium, & difficillimè purgabilia, & hæc per lignum signantur. Quædam minima, quæ per stipulam, quædam media, quæ per fœnum significantur.* Hactenus Angelicus Doctor, qui quidem etiam minima venialia vult igne purgari, sed minimorum nomine, nonnulla opinor, accipit ex deliberatè admissis, levissima.

334. *Et ratio.*

Cæterùm efficaciter quoque confirmat rem hanc ratio ipsa. Nam malum culpæ, etsi perlevis, cùm sit cum injuria Dei conjunctum, atque adeò Dei malum, superioris est

ris est ordinis, quàm malum pœnæ ignis, quod utique malum est creaturæ; proinde nihil mirum, nihilúe nimis acerbum, si igne plectendum sit. Nec dicas sic quoque confici, leviſſimas omnium pœnas, quæ & in leviſſimâ materia verſantur, & voluntati potius excidunt, quàm ab ipsâ committantur, igne purgatorio expiandas esse: etsi enim ipsæ cum injuria Numinis conjunctæ sint, tamen & ea minima est, vixque habet rationem injuriæ, quippe fere præter voluntatem factæ, & humana fragilitas venià digniſſimas efficit. Et denique satis, ut diximus, castigari dici posſunt, dum pœnâ damni castigantur.

335. *Et figura.* Cæterùm hujus utriusque expiationis figuram aliquam eruere possumus è sacris litteris. Etenim Numerorum 31. *Omne*, ait Deus per Moysen, *quod potest transire per flammas, igne purgabitur. Quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur*: Ubi præcipitur quidem ut omne vas atque instrumentum è prædâ Madianiticâ, auro argentoque constans, & si quod aliud igni exponi sine læsione poterat, igni lustretur; cætera autem aquâ: sed pariter innuitur leves culpas cùm propter injuriæ Numini irrogatæ gravitatem, lustralem ignem sustinere queant, ac mereantur, igne expiandas; leviſſimas autem cùm propter humanam imbecillitatem eum ferre non possint, sive non mereantur, aquâ expiandas, id est, pœnâ damni, lentiùs instar aquæ sordes purgantis eluendas esse. Si tamen contingeret, ut plures ejusmodi noxæ migrantem è vitâ animam gravarent, non irem infitias supplicio ignis eluendas. Hoc enim pacto graviori ac maximè deliberatæ æquivalerent.

336. *Et Sanctorum pœnæ.* Quæ causa est, ut pauciſſimi, etiam ex hominibus singulari virtute præditis ab igne lustrali intacti cœlum conscendant. Certè B. Theresia: *Quamvis*, ait, *multarum animarum statum mihi Dominus revelare dignatus sit, ex omnibus tamen, quas vidi, animabus, nescio an una purgatorium evaserit, præterquam Religiosi illius de quo paulò ante verba feci, & S. Patris fratris Petri de Alcantara, nec non illius Dominicani cuius supra memini.* Ubi purgatorii vocabulo non exprimit quidem disertè, an flammeam custodiam intelligat, sed sanè nomen illud positum simpliciter illam designat: non autem cœli atrium, in quo sola damni pœna luatur. Affinia S. Theresiæ habet vita S. Veronicæ de Binasco. Asseruit enim illa peculiari Dei munere sibi esse exploratum, paucis admodum ita suffragari Apostolicas litteras, Indulgentiam intelligit Pontificiam, ut purgatorias pœnas aliquo modo experiri non cogantur. Non dubium tamen, quin utriusque illius Divæ tempore sancti viri ac fœminæ non paucæ vitâ functæ essent. Adde his SS. Pelegrinum, ac Paschasium Diaconum aliosque igne expiatos fuisse. Paucitatis porrò illius non alia apparet causa, quàm labes venialium noxarum. Nam lethiferæ vix, aut ne vix, in illos cadunt, & licèt prius, quàm animum totum addixerint Numinis obsequio, lethiferas contraxerunt, tamen procul dubio eas lacrimis sæpe, & abundè eluere soliti sunt, non sic autem leviores culpas, quæ quia leves, non feriunt admodum mentem, & frequenter iterantur, ac rarò, ut expedit, deceteque, deflentur. Quare Deum alloquens Augustinus, Ve, ait, Confessionum lib. 9. cap. ultimo, *etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ discutias eam.* Illustre autem est, etsi minus notum, S. Valricum Episcopum Augustanum, divinitus cognovisse se hoc solo nomine flammas expiatrices passurum, quòd neporem suum Adalberonem, cæterà dignum, sibi adhuc viventi successorem in Episcopatu constituisset: qui tamen ei minimè successit: quippe priùs avunculo mortuus. Admirationem auget quòd is pœnam illam evadere quà precibus, ac sacrificiis, quà piis operibus conatus, repulsam tulit. Ita Surius tom. 4. Jul. 4. *Discite Justitiam moniti* Præsules, qui nepotes vestros quales quales evehitis per fas, nefasque, & vestri laboris pretium condiscite. Postremò admirabiliſſimum est, quemdam ob solum veniale purgantibus flammis annum integrum, S. Vincentio teste Serm. de aquâ benedictâ, excruciatum fuisse.

Pars secunda.

Leves etiam pœnâ ignis plectuntur.

337. *Aliorum item ob leves noxas.* Quod si sanctorum hominum haud graves culpæ igne illo terribili expiantur, cùm tamen fidelisſimo Numinis cultu earum veniam, aut saltem gratiam aliquam mereri videantur, quanto severiùs agendum est cum turbâ ac fæce reorum? Itaque Dominicanorum fasti ita narrant P. 5. c. 5. In conventu Lemovicensi obiit frater Joannes Baliſtarii, facundus ac subtilis orator. Is octavo post obitum die visus est alicui, non mediocri splendidus gloriâ, dixitque septidui spatio carcere lustrali detentum se fuisse, maximè ob ingrati animi vitium, importuna solatiola, ac corporis

corporis oblectationem. Interrogatus autem de supplicii gravitate, *Frustra quæris*, ait, *nihil enim est in rebus humanis, quicum possit illud componi.* Recentius, & horribilius est, quod commemorat Boverius Capucinorum Historiographus Tom. 2. pag. 711. N. 87. *In Bononiensi Provincia*, inquit, *cùm post matutinas preces frater quidam senex hyeme sæviente ad focum pergeret, ut primo in culinam pervenit, Duo illic velut culinaria mancipia offendit, qui ardentes prunas ferreis rastris dispergentes, locum assando parabant. Tum statim adfuit, qui fratrem Capucinum veru infixum deferebat, impositúmque assario capreolo torrere cœpit. horrescere scilicet senex, atque discessum properè cogitare, sed ex iis quispiam pallio apprehensum abire vetat, quæritque num miserum illum agnoscat; neganti significat Capucinum fuisse, ac ministerio coqui, vitáque defunctum ita cruciandum, quod nullâ paupertatis habitâ ratione ligna liberaliùs combureret.* Si culpam hujuscemodi in Capucino paupertatem arctissimam professo non levem existimas: Disce B. Magdalenam Paziam divinitus cognovisse, monialem quamdam sedecim dierum spatio purgatoriis pœnis excruciatam, quòd primùm diebus festis, ut erat ingeniosa, manibus laborasset; deinde quòd respectibus humanis deterrita, neglexisset, & Præsidem ac Confessarium monere, quod res monasterii, & divinus instinctus ferebat: Denique quòd parentũ æquo ampliùs esset studiosa. Deinde disce quemdam Dominicanum scripta manu suâ præ se ferentem apparuisse, quòd, ut asserebat, hæc ipsa pabulo essent igni se exurenti, quippe nimium illis antehac addictum. Disce præterea quamdam Carmelitanam ex Teresianis, sodali obversatam fuisse, cum pyxide igni plenâ, quippe quòd filium cum pyxide diutius, quàm opus erat, in cellula præter Præsidis voluntatem retinuisset.

338. *Et subinde levissimas in speciem.* Sed levius est, vixque speciem habet peccati, quod in annuis litteris Collegii Ingolstadiensis Soc. Jrsu legitur, purgatoria pœnâ esse castigatum. Nam R. P. Jacobo Rhemio, quidam è nostris spectandum se præbuit, sordidâ formâ, affirmavitque se in lustrali ergastulo expiari, quòd frequenter sine facultate Præsidum flagellis corpus cæcidisset. Quod quidem eò admirabilius est, quòd Societatis nostræ regulæ (idem de vulgaribus Præsidum præceptis dicendum) ad peccatum non obligant per sese, sed rectè observat Lessius, variis ex capitibus emergere hanc obligationẽ; primùm ex votis, deinde ex lege alicujus virtutis, ut in proposito ex lege naturæ ingenitâ, non corrumpendi valetudinem, aut vires eatenus elidendi, ut munus susceptum exequi non possis. Præterea ex aliorum offensione, item ex negligentiâ laborísve tædio, tum ex libidine, seu immoderato affectu, deniqúe ex contemptu. Quos omnes delictorum fontes non piguit iterum proferre, ut violatoribus legum suarum Religiosis frænum injicerem, ac metum ignis expiatorii: ne vano illo obtentu religiosa disciplina defloreſcat, & purgatorium vix opinantibus sit subeundum.

339. *Et post quam D. Virgo morienti ad fuit.* Postremò id etiam hoc loco notandum est, eos quoque carcerem illum subinde manere, quos moribundos cœli Regina, Diviúque alii præsentiâ suâ, solatioque dignati sint. Nam B. Veronica eximiæ sanctitatis Augustiniana, divino instinctu cognovit, sororem Claram ejusdem Asceterii virginem, purgatorio adjudicatam, postquam Immaculatam Deiparam ipsi cum morte luctanti præsentem conspexerat, ut habetur vitæ Veronicæ cap. 15. apud Bollandum Jan. 13. & nos post fusiùs narrabimus, Celso Finetto è Soc. Jrsu idem contigisse; nec dubium quin & aliis ejusdem eximiis cultoribus contingat. Etsi enim optima Mater filios in extremo illo certamine vel per se, vel per Angelum Custodem coram animare solita sit, non continuò sequitur illam eos justitiæ divinæ vindictæque criminum subtrahere. Ergo providete vobis, O mortales, in tempore, purgate lacrimis ac precibus leves etiam noxas, certi eas alioqui igne, illo, inquam, ardentissimo igne esse eluendas.

ARTICULUS III.

Hujus vitæ pœnis confirmatur acerbitas pœnarum alterius.

PARS PRIMA.

Demonstratur.

NON desunt etiam è viris doctis ac piis, qui animum suum inducere nequeunt, tantam esse, quantam astruximus cum Theologis, ac SS. Patribus, Justitiæ, divinæ severitatem. Quare operæ pretium est eos, quà licèt, ex severitate pœnarum hujus vitæ convincere. Ponendum autem id, quod diximus, & omnes concedant necesse est, misericordiam hac præsertim in vitâ dominari ac regnare; at

Justitiam divinam in alterâ.

340. *In hac vita regnat misericordia.* Quippe in hac facultas est pro criminum pœnis satisfaciendi, in illâ necessitas totam eorum pœnam persolvendi. Est autem magnum discrimen inter utrumque. Nam satisfactio non est pœnæ solutio, sed compensatio ipsi pœnæ æqualis, non quidem æqualitate physicâ, & in genere entis, aut acerbitatis; sed æqualitate dignitatis. Qua fit ut cùm bona Justi opera digna sint vitæ æternæ, ingentiumque illius bonorum, multò potiori jure digna censeantur, quæ pœnæ temporalis obligationem deleant. Declaratur amplius ex Vasquio. Ut enim pusillum pecuniæ aureæ æquivalet mercibus & multis, & ingentibus; sic opus bonum hominis justi, licèt remissum, ac breve, æquivalet pœnæ alterius vitæ multò gravissimæ ac diuturnissimæ. Ut etiam tenue atque exiguum semen, fructum grandem, copiosumque efferre solitum est; ita tenuis atque exigua hujus vitæ satisfactio, maximam atque acerbissimam alterius vitæ pœnam potest compensare. Pono itaque hoc alterum ex Conc. Tridentino Sess. 4. cap. 9. *Tantam esse munificentiæ divinæ largitatem, ut non solùm pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensurâ delicti impositis; sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per JESVM CHRISTVM satisfacere valeamus.*

341. *Semper minores sunt meritis pœnæ.* Unde consequitur hoc ipsum quòd tertium hîc pono, dum Deus flagellum alinquod intorquet in criminum reos, ad ea hac in vitâ plectenda, longè levius illud esse debere, quàm crima per se in alterâ vitâ mereantur, quoniam ut statim dicebamus, tenuis atque exigua hujus vitæ satisfactio gravissimo alterius vitæ supplicio æquivalet. Quamobrem cùm Deus hac in vitâ pestem, famem, morbos, mortem infligit; certò statuendum, scelera quæ sic puniuntur, atrociori pœnâ digna esse, alioqui enim flagella hæc divina patienter tolerando non tam satisfaceremus, quàm satis pateremur.

342. *Et tamen leves culpæ graviter castigatæ.* Et tamen quàm levia, quanto supplicio hac etiam in vitâ, id est, in misericordiæ regno castigantur! Sunt qui noxam Cham filii Noë parentem suum temulentum fratribus suis, Semo, & Japheto, ad ludibrium proponentis venialem autument. Certè S. Ephrem *levem* vocat *irrisionem*, qualisillacumque fuerit, horrendam paternæ imprecationis, aut potiùs divinæ Justitiæ vindictam ad posteros usque Chami propagavit. Quid pœnam uxoris Lot in statuam salis repentè conversæ memorem? Quod enim ejus peccatum? Excesserat illa cum marito Sodomis, deducentibus Angelis, & audito vindicis ignis strepitu, ac percepto sulphuris ardore, pereuntiumque clamoribus ac gemitibus, partim timore, ne & ipsam flamma corriperet, partim jacturæ rerum suarum illic conflagrantium dolore, partim curiositate, levitateque muliebri contra Angeli præceptum, quod graviter obligare, in re utique per se levi, non existimabat, oculos retro in flammam sulphuream flexerat. En crimen in muliere potissimum, & muliere quidem tot rebus perturbatâ dignum veniâ, & sanè leve, Authoribus Cornelio, & Sanctio, licèt Carthusianus lethale putet; pœna autem profectò gravissima est, non modò quòd capitalis, sed quòd insuper probrosissima sit. Quippe statuâ illâ salis, Adricomio teste, ad hæc usque tempora permanente, & scelus levitatis muliebris hodieque signante. Huc etiam referre possem multos pueros per ætatem noxæ lethalis minimè reos, sed ad summum venialis, ultricibus illis, vel Sodomæ flammis, vel diluvii undis fuisse submersos. Sed ad pœnas, quæ legem scriptam consecutæ sunt, procedo.

Videbant Eliseum transeuntem pueri, 343. & cùm calvum animadverterent, corride- *In lege* bant inter se. Quid vulgarius hac etiam *præceptâ.* nostrâ ætate? tum & impetu naturæ petulantioris: *Ascende*; inquiebant, *calve, ascende calve*, Bethel enim, quo vates tunc tendebat, in edito sita erat. Vix illuserant, quando *Egressi duo ursi de saltu laceraverunt ex iis quadraginta duos*, nempe in petulantiæ ultionem divinitus immissi. Eliseus enim *in nomine Domini iis maledixerat*, sive Dominum in vindictam invocaverat. Atqui si ætatem ac judicium spectes, erant parvi pueri; si materiam, levis derisio, scilicet vitii non pudendi, ac naturalis; si verò pœnam, cruenta ac funesta laceratio pueris ac parentibus perquam aspera ac terribilis. Verumtamen levis hæc pœna videbitur, si cum Davidicæ vanitatis supplicio conferatur. Res nota est, & Concionatorum voce decantata. Jubet & curat David populum sibi subjectum censeri. Obtendit huic recensioni causam probabilem, ut videlicet numerum capitum ad bella idoneorum compertum habeat? sed revera studio inanis gloriæ impellitur. Quod studium nemo lethiferum arbitretur. Præsertim cum 3. Regum 15. dicatur David *fecisse rectum in oculis Domini, & non declinasse ab omnibus, quæ*

præceperat

præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ excepto sermone Uriæ Hethæi, hoc est ut ait Basilius Concione de pœnitentiâ, *exceptâ concupiscentiâ uxoris Uriæ, & eius interfectione.* Et tamen illam animi elationem castigavit Deus septuaginta millium virorum contagione ac morte. Quam contagionem ne alteri causæ facilè assignes, hoc recordare. Cùm David sceleris illius conscientiâ afflictus dixisset ad Dominum, *peccavi valde in hoc facto, stultè egi nimis*, statim durus à Deo nuncius, Propheta Gad adfuit, deditque ei optionem, vel famis ad septem annos, vel fugæ ab adversariis ad tres menses, vel pestilentiæ triduanæ, quam utique Rex elegit, ut pœnam omnium istarum mitissimam. Si tamen, & populum suorum criminum pœnam hac contagione dedisse malis, quod non ægrè concesserim; nonne ingens vanitatis Regiæ supplicium est tot cædibus ansam, imò causam præbuisse, quæ si abfuisset, nec illæ perpetratæ fuissent. Certè vir ille sanctus haud dubiè morte suâ illas redimere optasset, imò optavit, flagitavitque cùm dixit Angelo populum peste cædenti, *Ego sum, qui peccavi, ego iniquè egi, vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum Patris mei.* 2. Reg. ult.

344. *In Ezechia.* Similis culpa, & haud scio an impar pœna fuerit Regis Ezechiæ. *Veniunt ad eum legati Regis Babylonis, & ipse ostendit eis domum aromatum & aurum, & argentum, pigmenta varia, unguenta quoque, & domum vasorum suorum, & omnia quæ habere poterat in thesauris suis: non fuit, quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, & in omni potestate suâ* 4. Reg. 20. Regiam magnificentiam, & benevolentiæ principalis hanc tesseram diceres. At ex ore Isaiæ audi cum illo sermonem Domini. *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt Patres tui usque in diem hanc, in Babylonem, non remanebit quidquam, ait Dominus; sed & de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis.* An in pœnam hæc omnia, & quidem in pœnã elationis? Omninò in illius pœnam. Sic enim habetur 2. Paralip. 32. *Non iuxta beneficia, quæ acceperat Ezechias, retribuit, quia elevatum est cor eius, & facta est contra eum ira, & contra Iudam, & Ierusalem, humiliatúsque est populus, eo quòd exaltatum fuisset cor eius.* Expende porrò hujus pœnæ gravitatem. Post annos centum ac viginti ab eâ funestâ Ezechiæ humanitate, *venit Nabuchodonosor Rex Babylonis ad civitatem cum servis suis, ut oppugnaret eam*, & post pauca: *transtulit in Babylonem Regem Ioachin, qui in custodiâ Babylonicâ per triginta septem annos iacuit, transtulit & matrem Regis, & uxores, & Eunuchos, & Judices terræ, & omnes viros robustos, & artifices, & clusores Regis, ac templi.* Quanti verò illi? Ex his intellige. *Fuit Ezechias dives, & inclytus valde, & thesauros sibi plurimos congregavit argenti, & auri, & lapidis pretiosi, aromatum, & armorum universi generis, & vasorum magni pretii. Apothecas quoque frumenti, & vini & olei, & præsepia iumentorum, caulásque pecorum, & urbes ædificavit sibi, habebat quoque greges ovium, & armentorum innumerabiles* 2. Par. 32. nunc æstima, si potes, jacturam, æstima calamitatem ex veniali Ezechiæ culpâ enatam.

345. *Atque adeo plus pœnæ per se merentur.* Et tamen hæc jactura, & calamitas illa, item pestifera lues, si in solas Davidis atque Ezechiæ culpas allatas referendæ sunt, profectò culpis illis impares dicendæ sunt, cùm his castigandis à Deo immissæ sint, scilicet ad satisfactionem, non ad plenam pœnæ solutionem: Sed age solam mortem sumamus puerorum Bethel ab ursis illis laceratorum! hac enim in pœnam dumtaxat levium noxarum positâ, consequitur unicum veniale crimen pœnâ morte multo graviore dignum esse. Et certè Bernardus Sermone in obitu Humberti, *Post hanc vitam*, ait, *in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerunt hic neglecta, redduntur usque ad novissimum quadrantem.* I nunc igitur, & cum sententiâ nonnullorum Theologorum tibi blandire verbum unum otiosum non mereri in alterâ vitâ maximam ac gravissimam hujus vitæ pœnam, cùm audias Regis optimi inanem gloriationem pœnâ morte acerbiori hac in vitâ puniri, & derisionem puerorum morte repentinâ, & crudelissimâ.

346. *Gravissimè etiam puniuntur in lege.* Atque hæc, ut opinor, homini præjudiciis minimè impedito, adstructam hactenus divinæ justitiæ in leves noxas severitatem persuadere possunt: quæ subjicio de pœnis venialium quæ etiam infligi à Deo solent hoc ipso gratiæ tempore, sane omnino debent. Nam ut missa faciam extraordinaria eorum supplicia, uti Ananiæ ac Sapphiræ mortem ob mendacium, de receptissimâ sententiâ, tantùm veniale, uti Moysis Abbatis occupationem à dæmone ob minimam contentionem, mortem quoque alicujus è nostris ob immodicam Præfecturæ cujusdam recusationem: ut alia ejusmodi omittam, quæ certum est mortalibus evenire in ultionem culparum non gravium, si ex omnium Theologorum

sententiâ ostendero hac etiam in vitâ, & hoc tempore noxas ejusmodi gravioribus pœnis plecti, quàm in alterâ, facile concedet quisque leviores illas noxas igne castigari. Atqui constat inter omnes subtractionem gratiæ, quâ subtractione positâ corrues certò in novum & gravius peccatum, pœnam identidem esse prioris peccati: Et cùm graviusillud peccatum æternam cladem mereatur, efficitur prius illud peccatum, etsi veniale, nec gravissimum, cladis æternæ occasionem sæpe præbere. Quis autem negare ausit subtractionem illam gratiæ, tali re ac tempore; atrociorem peccati pœnam esse censendam, quàm ignis lustralis cruciatum? Quid dicam etiam ob parentum peccata, licèt condonata, subtrahi filiis abundantem gratiam, vel varias calamitates, afflictationesque seu mentis, seu corporis divinitus immittere, aut permitti: ex quibus deinde, & scelera multa consequuntur, & subinde sempiternus populorum interitus, ut de paganis lumine fidei aliquando illustratis, & de hæreticorum posteris dicere licet. Si Deus hoc etiam in genere pœnæ justissimum judicem se gerit, nec violat debitam huic ævo misericordiam, quis queretur in purgatorio, ubi plus justitiæ quàm misericordiæ concedendum esse compertum est, ipsos noxarum venialium reos leviori castigari supplicio, quàm nunc castigentur insontes filii reorum?

Pars secunda.

Epilogus ad commiserationem animarum, quas ob minores culpas ignis urit.

347. *Miserendum tanta innocentiæ adeò punitæ.*

Constet itaque etiam leves culpas igne lustrali, licèt ardentissimo, puniri. At non minùs constet mortales ex hoc capite extremæ vesaniæ meritò argui. Cùm enim ea sit communis opinio, Catholicorum mentibus quodammodo insita, ita tamen plerique ejusmodi culpas accumulant, quasi si nullæ eas pœnæ manerent. Sed hæc antehac deflevimus, licèt nunquam satis deflere possimus. Nunc porrò dic age, mi homo catholice, Religiose, cùm id ipsum tibi satis constet, quî fit, ut amicorum manium, quos pariter perspectum est levium ejusmodi culparum, aut certè pœnarum iis debitarum reos è vivis abiisse, atque adeò cremari isto igne, non major miseratio tuum fodicet animum? Enimverò quò minor est culpa, eò pœnæ, præsertim atrocis, reus commiseratione dignior est; hac enim de causâ in communi calamitate puerorum, ac virginum planctus fortiùs movet ad misericordiam, quippe quòd eam calamitatem minus mereri potuere. Quod cùm intelligerent cives urbis Troiæ in Apuliâ, ut veniam immodicæ in resistendo pertinaciæ à S. Henrico Cæsare eos oppugnante impetrarent, supplicationem puerorum ad eum misêre, qui cùm ad Imperatoris castra perveniissent, exclamarunt omnes voce lugubri, *Domine miserere*, & pium Imperatorem ad lacrimas commiserationis testes excitarunt. Quamvis autem tunc nihil obtinere potuerint, tamen eadem supplicatione postridie iteratâ, & veniam parentibus, & hæc ipsa Christi ex Imperatoris ore verba expressêre, *Misereor super turbam*. Si ergo innocentium miseria gemitusque, insolentibus hostibus obtinuit ab Imperatore & hoste gratiam, quantum miserationis in amicis ciere debet piorum manium adeò infandum in modum conflagrantium proxima innocentiæ vita? Ergo ô Christiani, ô Religiosi, & vos cum piissimo illo Imperatore *Miseremini super turbam* istam tot miserabilium animarum: imò cum pueris illis supplicationem instituite, piamque ad Imperatorem cœli legationem, ut iis faciat gratiam, pœnasque justas quidem, sed tamen acerbissimas, condonet. Eò maximè quòd ipsi usu vestro atque experientiâ compertum habetis, quantum exposita sit levioribus noxis humana gens; quamque arduum eas vitare: atque adeò facile intelligitis, & earum cumulum esse ingentem, & animarum ab iis purgandarum multitudinem innumerabilem. Quamobrem cùm singulæ animæ pietate vestrâ dignissimæ sint, saltem universis, quarum culpas dumtaxat leviores expiatorius ignis exurit, preces ac lacrymas date. Cùm item singulæ culpæ tam asperâ pœnâ castigentur, expendite, amabo, omnium cruciatum, & quà potestis ope mitigate. Denique quos humanitas innata non sineret sine sensu miserationis cernere in tormentis complurium parricidiorum atque incendiorum reos, quæso, obtestorque ne committite, ut hæc ipsa humanitas, quam etiam caritas supernaturalis in vobis animat, semperque comitatur, piissimis atque innocentissimis manibus tanto cum tormento luctantibus defuisse videatur.

ARTI-

ARTICULUS IV.

An præter ignem sit alia in purgatorio pœna sensus?

PARS PRIMA.

An sit pœna frigoris.

AMBIGI potest primùm, an sicut ab igne, ita à frigore animæ purgandæ patiantur. Et dubitatio non modò ad illas pertinet, sed potissimè ad damnatas, de quibus sic aliqui tum ex antiquis, tum ex recentioribus opinantur; ut tradant impios è stagno ignis rapi in stagnum frigidissimæ nivis, aut aquæ, & hinc vicissim in stagnum ignis perpetuâ vicissitudine revolvi. Favent huic sententiæ Gentiles poëtæ, apud quos nihil frequentius occurrit, aquarum fluminumque inferorum descriptione. Hinc toties decantatæ Acherontis, stygis, & lethes undæ. Sed quod meminerim, tormenti singularis à frigore mentio apud priscos nulla est.

348. *Frigus in orco ac purgatorio qui adstruant.*

Est qui illud probet ex nomine tartari quod à Græco verbo ταρταρίζειν, derivant, & significat algere; sed concesserim quidem tartarum, utpote sole ac luce carentem, per se frigidum esse, cùm orbis centrum occupet. At hinc non mihi ostenditur proprium à frigore supplicium: & sanè frigus illud loco innatum vehementissimus ignis facilè exterminat. Cæterùm eadem sententia patronos habet Patres aliquos, in quibus Hieronymus in illud Davidis Psalmi 147. *Ante faciem frigoris eius quis sustinebit? cuius?* interrogat. tum respondet ipse sibi, *alii dicunt crystalli, alii Domini; mihi autem de Deo videtur dici, ante faciem frigoris eius, quis sustinebit? quæ tormenta dicuntur in Scripturis ipsis præparata: nihil gehennâ calidius, & tamen ipsa frigida est.* Aliàs in Matthei 10, cap. orationem sic concludit: *duplicem autem esse gehennam, ignis, & frigoris, in Job plenissimè legitur.* Ita ipse: nos locum hunc postea producemus. Adstipulatur Hieronymo Damianus, Beda, Hugo Cardinalis, Innocentius III. Hugo Victorinus. S. item Thomas & alii. E recentioribus P. Dicastillo probabilem hanc opinionem censet.

349. *An è sacris scripturis.*

Et verò duplex assignatur è sacris scripturis ejus fundamentum: Prius è Jobo 24. cap. ubi hæc est in impium imprecatio, *ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum* illius. Posterius è Matthei 8. ubi de orco, *Ibi erit fletus & stridor dentium*, qui stridor ex frigore provenit: hoc enim nervos contrahit, stringitque, contra autem calor nativus distendit. Quare ex eâ pugnâ cùm dentium strĭdor, tum membrorum tremor exoritur. Verùm ille quidem Jobi locus de pœnis hujus vitæ intelligi debet. Has enim illic ipse impio precatur; ut patet ex hisce proximè præcedentibus, *Maledicta sit pars eius in terrâ, nec ambulet per viam vinearum, quibus subiungit transitum illum ab aquis nivium ad æstum intolerabilem*, ut indicet impium omni hujus vitæ solatio indignum; contra verò dignissimum omni incommodo, donec, ad orcum detrudatur. Ita Pineda, Suarius, Lessius. Quod autem objicitur de stridore dentium, exploratum est ad dæmones, aut ad animas, seu pias, seu impias à corpore divulsas, quales sunt purgandæ, minimè pertinere, atque adeò sic accipiendum est ut ingentem doloris acerbitatem, aut animi perturbationem, iramve denotet, quæ Chrysostomi quoque ac Prosperi interpretatio est: nisi fortè de damnatis mortalibus post Judicii decretorii diem mentio fieri dicatur, quibus sanè non deerunt causæ, & revera flendi, & dentibus stridendi.

350. *Non est admittendum.*

Hoc igitur utroque istius sententiæ fundamento diruto, frigus è lustrali carcere expellendum est. Namque orci ac purgatorii eadem est in hoc genere ratio. Et verò si vel in hoc, vel in illo frigus inesset, non nisi grandi miraculo sustineri contra ingentem ignis calorem posset; id verò sine necessitate invehere nefas: Deinde cur frigus in supplicium sontium statuitur, cùm potiùs igne ambustis atque exæstuantibus solatio futurum sit, scilicet utile ardori temperando? Certè non flagitaret ille dives Epulo aquæ guttam ad flammæ, sitisque cruciatum mitigandum, si & nivalis aquæ stagnum in promptu esset, & frigus acerrimum non pœnitendâ vicissitudine ardori succederet. Præterea quid frigus ad torquendum ardori succedat, cùm ardor longè sæviat vehementiùs? Denique si, ut ignis in sententiâ Thomistarum per sui ad animas alligationem eas excruciat, etiam nivalis aqua eodem pacto eas excruciabit, vel igitur simul alligabuntur, vel successione perpetuâ: si prius admittas, facies contra allatum illum pro tuâ sententiâ Jobi locum: si posterius, ergo ignis, vel tartareus, vel lustralis non erit animarum jugis & essentialis pœna, quam tamen perpetuitatem confirmat, & quòd vocetur ignis inextinguibilis, & quòd Judithæ histo-

ria 16. sic habeat, *Dominus vindicabit in eis in die Judicii; visitabit illos, dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum*, & postremò quod aliàs improbos manere dicatur *combustio æterna*. Certè propriè æterna non esset, si sæpiùs intermissa. Atque istis & similibus de causis plerique Theologi frigoris pœnâ pios impiosque manes eximunt.

351. *Non obstantibus visis id confirmantibus.*

His tamen id opponi potest, quod Beda commemorat à quopiam ad vitam revocato enarratum. Sic igitur ille lib. 5. Hist. Anglic. cap. 13. *Devenimus ad vallem multæ latitudinis ac profunditatis, infinitæ item longitudinis, quæ ad lævam nobis sita, unum latus flammis ferventibus nimium terribile, alterum furente grandine, ac frigore nivium omnia perflante, atque verrente, non minùs intolerabile præferebat. Utrumque, auteùs erat animabus hominum plenum, quæ vicissim hinc inde videbantur quasi tempestatis impetu iactari. Cùm enim vim fervoris immensi tolerare non possent; prosiliebant miseræ in medium frigoris infesti, & cùm neque ibi quidquam requiei reperire valerent, resiliebant rursus urendæ in medium flammarum inextinguibilium.* Et paulò post testatur dictum sibi ab eo, qui ducebat, Angelo, id loci purgatorium esse, & quidem infinitæ, ut memorat, longitudinis. Verùm in hac historiâ nonnulla sunt digna, quæ examinentur. Primum quòd vallis meminerit: quasi verò valles, & montes essent in centro terræ, ubi situm est purgatorium: & quidem infinitæ, ut memorat, longitudinis. Deinde quòd in purgatorio dextram juxta illa duo latera viam tormentorum immunem esse insinuet, ubi mirum est animas, quæ cùm ignis ardoribus sustinendis impares erant, in medium infesti frigoris prosiliebant, ad dextram illam viam non sese recepisse. Adhæc non minus mirabile videtur, quod narrat eas in gelidam vallis regionem se conjicere solitas, dum vim fervoris tolerare nequirent, quandoquidem animus corpore solutus, quanticumque doloris capax sit, cujus quippe vigorem sensûs ac vivacitatem, vitamque nihil possit lædere, aut minuere. Itaque similis est hæc historia illi de purgatorio S. Patricii, quam prius probavimus, nec revera accidisse, sed phantasiæ repræsentatam fuisse, ad aliquam tormentorum lustralis ergastuli imaginem ac formidinem. Scio alia alibi narrari tormenta frigoris lustralis, ut in viso quod proximè inferius subjectum est. Sed videntur non incommodè de frigore metaphorico, id est, de tristitiâ posse intelligi, atque adeò debere: cùm miracula sine necessitate non sint multiplicanda.

Pars secunda.

An quisque sensus proprio tormento afficiatur?

352. *Vti nec proprii cruciatus singulorum sensuum.*

Itaque procedere jam licet ad aliam quæstionem, an verum sit, quod Elias à S. Teresia scribit in hæc verba: *Nullus est corporis sensus, secundum quem non horrendos in purgatorio cruciatus sustineant animæ.* Quam propositionem ut persuadeat, primùm facultatem visûs tenebris, ac fumo ignis purgatorii; tum gustûs ardentissimâ siti, fameque vehementissimâ, ac sapore sulphureo cruciandam asserit: quæ omnia ex inferni pœnis à Drexelio Bessæoque descriptis confirmat. Sed attendere poterat pœnas istas tartareas ad illud tempus referendas, quo animæ corporibus redditæ sensuum usum sunt recuperaturæ, ac proinde ad purgatorii manes non esse transferendas. Affert deinde è D. Birgittæ revelationibus lib. 6. c. 39. hocce visum Sanctæ illius matronæ. Audiente enim illa, spectanteque dictum est à Christo dæmoni, ut animam quamdam in gratiâ vivis ereptam, purgaret: *Vsque quo*, inquiebat Judex, *fiat munda, & immaculata: Ipsa enim secundum modum culpæ patietur pœnam suam, tripliciter enim peccavit in visu: tripliciter in auditu; tripliciter in tactu, & ideo tripliciter debet puniri in visu. Primò enim debet videre personaliter peccata sua, & abominationes: secundò debet videre te in malitia tua, tertiò debet videre miserias, & pœnas terribiles aliarum animarum. Similiter affligatur tripliciter in auditu: primò enim audiet væ terribile, quia audire voluit laudem propriam, & delectabilia mundi; secundò debet audire horribiles clamores dæmonum, & irrisiones: tertiò debet audire opprobria, & intolerabiles miserias: quia audivit magis, & delectabiliùs mundi amorem, & favorem, quàm Dei; & quia servivit ferventiùs mundo, quàm Deo suo. tripliciter item affligatur in tactu suo; primò quidem ardeat ardentissimo igne interiùs, & exteriùs; ita quod non minima macula sit in ea, quæ non purgetur in igne: secundò patiatur frigus maximum, quia ardebat cupiditate sua, & frigida erat in caritate mea. tertiò erit in manibus dæmonum ut non sit aliqua quantumcumque minima cogitatio, nec minimum verbum, quod non purgetur, donec fiat tamquam aurum, quod in fornace,*

in fornace, & formella purgatur ad voluntatem possessoris. Hactenus Christus. Cæterum quisque satis intelligit, quæ de visu, & auditu illic dicuntur, de spiritali visu, & auditu accipienda esse. Enimverò agitur de peccatis, de malitiâ dæmonum, & miseriis animarum spectandis, quæ omnia sub visûs sensum non cadunt. Agitur item de audiendis dæmonum imprecationibus, irrisionibus, & opprobriis, quæ planè sunt spiritualia. Cùm igitur hæc, & hujusmodi citra miraculum accipi possint, imò debeant, & cæteroqui aliorum sensuum cruciatus suppleri optimè possit per acrimoniam ignis, negandum videtur animas propriis omnium sensuum suppliciis expiandas. Cæterùm si qua necessitas foret ea supplicia admittendi, sentiri possent virtute speciei impressæ eorum, quæ singulos sensus excruciant, uti sentiri diximus calorem ignis per speciei caloris in animâ impressionem.

Pars tertia.

An à Dæmonibus crucientur.

353. *Piorum manium à dæmone cruciatus qui & cur negent.*

Gravior difficultas est hujus inter Theologos agitatæ quæstionis, an dæmones piis manibus aliquas pœnas infligant? negantem sequitur Angelicus Doctor cum scholâ suâ universâ. Causam affert, quòd minimè deceat eos à dæmonibus torqueri, quorum utique victores extiterunt. At respondent alii non victores tantùm, sed & victos fuisse: ac proinde eatenus dignos dæmonum truculentiæ subjici. Ita Carthusianus. Verùm aliter urgetur hîc hoc argumento. Vel sponte suscipitur hoc ministerium torquendi à dæmonibus, vel necessitate: non prius: quia nec sperant pios manes vi tormentorum impellere ad peccandum (quæ spes eos permovet ad vexandos viatores) & insuper intelligunt vexationem suam animis profuturam ad accelerandam eorum liberationem. Neque posterius eligas, nempe dæmones ad id divino imperio cogi, quia minimè id convenit bonitati divinæ, quandoquidem non nisi ex odio, pravaque voluntate torturam hanc suscipere possunt. Ita arguit Suarius. sed & hoc argumentum haud ægrè refutari potest: si dicamus dæmones magnâ suâ voluntate cruciatus hujuscemodi aggredi, odio scilicet Numinis, & animarum ei carissimarum, quotiescumque eis permittitur. Primum, quòd de brevî obtinendâ salute certæ sint, quam illi supra omnem modum illis invident. Deinde quòd certum illis sit, eas brevî ipsorum crudelitati in æternum subtrahendas; quare pro eo, quo sinuntur tempore, eam in illas totam effundunt. Præterea quòd sese ab iisdem in æternum devictos, vehementissimè indignentur: quæ res ita rabiem illorum exacuunt, ut parum pensi habeant piorum manium felicitatem cruciatibus suis accelerare: quemadmodum quando mortales ad peccandum sollicitant, minimè laborant de accidentalibus, ut aiunt, suis suppliciis eorum consortio exaggerandis: quoniam crudelitati proprium est cætera, præsertim futura, negligere, modò impræsentiarum, dum licèt, sæviat.

Quæ cùm ita sint, cùm, inquam, rationes Theologicæ, non satis probent à dæmonibus cruciatus piis manibus irrogari: videndum nunc, quæ rationes eorum torturam affirment. Hæc ab aliquibus affertur, quòd dæmonibus competat esse justitiæ divinæ in altera vitâ ministros; sed nisi fallor nimium illa probat, ac proinde nihil probat. probat autem omnium supplicio- 354. *Adstruuntur.*
rum dæmones administros esse; omnia enim divini Judicis sententiâ infliguntur, probatque pariter, quod nemo facilè admittat, omnes pios manes dæmonum carnificinæ subjectos esse: nam omnes Justitiæ divinæ decreto plectuntur. Ego itaque nullam hîc aliam comperio causam, præter Numinis voluntatem, in pœnam aliquorum sinentis rabidos illos infestissimosque spiritus pro viribus sævire.

Porrò istius voluntatis indicia tot habemus, quot historias, seu apparitiones hujusmodi cruciamenta perhibentes. Hæ celebres. In actis vitæ S. Bernardi l. 1. c. 10. refertur religiosum quemdam ab obitu quatuor dæmonum potestati permissum, cùm eidem Divo sese videndum præbens supplicasset, illius precibus liberatum fuisse. Cantipratanus item commemorat lib. 2. Apum cap. 51. militem quempiam cùm gravium scelerum conscientiâ, nec non legitimo dolore vitâ functum binis dæmonibus traditum esse ad usque Judicii diem exagitandum. Ejusdem generis est illa historia, quam Beda narrat lib. 3. Hist. c. 9. ex revelatione S. Fursei. His addo ex Annalibus Cistercienſium, Religiosum quemdam istius Ordinis, dæmonibus quoque permissum, solitumque in puteum ab iis immitti tantâ rabie, ac crudelitate, ut centies ab hominibus, quàm ab illis semel injici maluisset. Narrat similiter Humbertus de SS. Ordinis S. Dominici, visum esse ex ejus asseclis quemdam post obitum per claustrum reptantem, ac muros ejus metientem, quem interea dæmones acri- 355. *Ex ostentis.*

ter ac continenter cædebant, quòd in ædificando nimius fuisset. Adhæc cùm B. Veronica divino lumine illustrata, Purgatorii tormenta conspexisset, sibi reddita cum ingenti dolore, gemituque, *heu! heu!* exclamavit, *quas hodie pœnas, quæve tormentorum genera vidi, ab iisdem tortoribus, qui sunt in orco, inflicta!*

356. *Nominatim parentis Dionysii Carthus.* Denique eximium nec satis notum est diabolicæ hujus truculentiæ exemplum in vitâ Dionysii Rikelii, quem Carthusianum solent appellare. Incessit quondam Dionysium cupido cognoscendi, quomodo pater ipsius haberet, postquam vita decesserat: idque ex Deo fortè studiosè quærebat, quando vocem hanc ad se delapsam accepit. *De parentis tui animâ cognoscendi, quo tu desiderio torqueris? pium esse ignoras pro mortuorum salute preces fundere? ne dubita ergo: quidquid in tua positum est potestate, cave omittas; nam si in tormentis est Pater, sed in viâ ad salutem, tuis precibus magno eris illi solatio. Sin autem in utilitatem tuam tua pietas convertetur.* Responsi hujus divinitus accepti ea vis fuit, ut in orandi studio perseveraverit Dionysius, non instigante jam cupiditate arcana Numinis consilia investigandi, sed opis alicujus Patri ferendæ. Quâdam ergo nocte levi depressus somno parentem suum inter binos infælices genios Æthiope nigriores medium vidit, magnâque vocis contentione clamantem audivit, *Carissime fili, miserere parentis tui, mihique tuis precibus subveni.* Vix illa dixerat, cùm magnâ vi abreptum, in caminum ardentem dæmones conjiciunt, ferreisque virgis cædunt. Porrò licèt, quæ prius in somnis vidisset Dionysius, somniaque ipsa fidei suspectæ semper haberet, hoc tamen in dubium revocare numquam illi in mentem venit. Quamobrem non prius pro illo destitit orare, quàm ille miser esse desiit. Ita noster Fisen in floribus Ecclesiæ Leodiensis martii 12. missa facio alia crudelitatis dæmonum in pios vitâ functos exempla; illa enim sufficiunt ad fidem nobis faciendam, cùm ut ostendimus, argumenta Theologica ad eam labefactandam parum virium habere videantur.

357. *Et quales.* Nunc igitur indagandum, quales piis manibus cruciatus à dæmonibus inferri possint? Equidem non assentior iis, si qui velint eos aliquid conferre, ad tormentum ignis, vel admovendum cùm in promptu & circumfusum sit, vel augendum, cùm ignis actionem supernaturalem minimè possint attingere. Solùm ergo reliquum est, ut aut deferant animas ad supplicii locum, aut illic detineant, aut aspectu suo convitiisque, aut ejusmodi ludibriis divexent. Atque Angelicus quidem Doctor in 4. dist. 21. q. 1. a. 1. *Ipsi dæmones*, ait, *qui de pœnis hominum lætantur, eos concomitantur, & assistunt purgandis, tum ut de eorum pœnis satientur, tum ut in eorum exitu à corpore aliquid suum ibi reperiant.* Antoninus autem 1. P. t. 5. cap. 5. dicit *spiritus iniquos irridere homines purgandos, & insultare eis de suppliciis.* At Suarius quod attinet ad comitatum animarum ad purgatorium carcerem tendentium, mavult Angelos Custodes honoris & solatii causâ eas stipare, neque verò à malis geniis detineri uspiam, permittit. *An verò animæ illæ videant clarè deformitatem dæmonum, incertum est*, ait, *tamen etsi videant, non videntur inde torqueri: sed potiùs inde gratias agere Deo, quòd se ab eo statu liberavit: nec de malo illorum compatiuntur, quia illos vident iam esse extra statum salutis; si autem percipiunt blasphemias damnatorum contra Deum, non parum inde torquentur.* Ita censet vir eximius.

358. *Statuitur.* Verumtamen statuendum videtur, nonnullos è piis manibus à dæmone deduci ad Purgatorium. Patet ex historiis, Dagoberti imprimis Franciæ Regis, qui cùm ad illum à dæmonibus jam jam transferendus esset, SS. Dionysii, Mauritii, ac Martini ope, ab iisdem exemptus fuisse traditur. Nec refert quod agnitâ Numinis voluntate, sponte, & promptissimè illuc tendant: quoniam non ex necessitate, sed in pœnam, probrumque suum à terrerimis illis hostibus suis stipantur, ut rei à satellitibus. Tum dicendum denique nonnunquam evenire, ut ob eamdem causam animæ ab iisdem in hunc terrarum orbem è carcere illo educantur, quod Carthusiani parenti obtigisse jam jam audivimus. Minimè verò existimandum videtur verberationem illam, aut aliam hujusmodi fuisse veram, quia dæmones vim non habent animas separatas lædendi, nec ullum instrumentum naturæ vi iis nocere potest. Ea igitur verberatio afflictationem earum demonstrabat. Nam præter probrum comitatus illius, primùm dæmonum maledicta, & in Deum, & in animas ei carissimas perpetua, fieri non potest quin illis sint molestissima, si ea percipiant, ut superiùs ostendimus. Percipere autem negandum non credimus, tum quia nil obstat quin percipiant; tum quia eâ maximè ratione à dæmonibus possunt vexari. His addo derisiones, quòd miseræ illæ nunc stipendium recipiant servitutis, quam illis aliquando serviere. Quod tormentum Divus Antoninus 1. P. tit. 5. c. 5. sic amplificat.

plificat. *Solet enim*, ait, *homini esse angustiosum, cùm videt inimicum suum insultare, & irridere de pœnis eius, & propter hoc Raxias vir venerabilis, & magnæ opinionis in populo Israël, ne captus illuderetur ab inimicis, protecit se è fenestra inter turbas. Ita ipse.* Et verò Abulensis in eum exodi locum c. 21. *oderántque filios Israël Egyptii, & affligebant illudentes eis*, gravior, inquit, *ac cæteris intolerabilior labor erat magna illusio, & insultatio Ægyptiorum.* Ex quo colligere licèt dæmonum irrisiones piis manibus non posse esse non amarissimas: neque infitias quis ibit easdem infami illo dæmonum aspectu vehementer cruciari, tum quia eorum pectum, & conscelerata mens animis Dei amantissimis necesse est ut sit invisissima, & cùm in pœnam ostendatur, horribilissima, tum quia acerbissimum est videre summam turpitudinem, infamiamque eorum, quibus te aliquando sponte subjeceris.

359. *Quanti sint collige ex horrore aspectus.*

Quàm verò acerba sit ea torquendi ratio ex solo aspectûs tormento collige. Etenim tam horrendum vel in hac vitâ utcumque conspicari dæmonem, ut Deus Pater S. Catharinæ Senensi ita locutus scribatur. *Benè recordaris, quando dæmonem semel in formâ, suâ tibi monstravi, quasi per ictum oculi, postquam ad sensus corporeos restituta fuisses, tu potiùs eligebas ire per unam viam igneam usque ad diem Judicii duraturam, quàm amplius eum intueri. Nihilominus licèt eum videres in brevissimo spatio temporis, adhuc ignoras, quantum est horribilis.* Ita ipse Dialog. c. 37. Et verò cùm eumdem aterrimum genium conspexisset variis in formis S. Franciscæ Romana, ita affecta erat, ut maluisset in ardentem fornacem transilire, quàm rursum conspicere. vide ejus vitam lib. 5. c. 11. Quin etiam B. Catharina Genuensis satius sibi fore judicabat, in orcum demergi, quàm eumdem deformissimum spiritum intueri: vide illam vitæ c. 50. Et Christus S. Birgittæ l. 5. Revel. Interrogat. 9. loquens, sic eam docet. *Si dæmonum horribilis deformitas videretur, uti est, anima videntis ex ipso visu extra sensum fieret, corpúsque totum, quasi hominis tremuli contremisceret, cor etiam totum, quasi exinanitum timore, moreretur, nec pedes sufficerent sustentare membra reliqua.* Et tamen exploratum est stygiorum monstrorum aspectum piis manibus longè esse horribiliorem. Nam vel mortales corporeis oculis figuram aliquam diaboli externam vident, similem hominis, aut bestiæ monstro; & constat eam non magis referre dæmonis turpitudinem, quàm hominis pulchri imago referat Angeli venustatem: vel in eorum phantasiâ formatur aliquod idolum, seu phantasma horrendum: & pariter certum est speciem illam non nisi rudem esse dæmonis adumbrationem; cùm hujus turpitudo in malitia consistat; vel hanc ipsam malitiam oculo intelligentiæ divinitus aperto, & sine phantasmatum pigmentis operâvè conspexere Divæ illæ, & si qui alii mortales: & hoc dato certè quidem mallent pii manes cum Divis illis in ardentem fornacem, vel etiam in avernales flammas conjici, quàm brevissimo temporis intervallo dæmonem conspicari. Sed, nisi fallor, piorum manium intelligentia longè perspicaciùs illam diabolicæ malitiæ deformitatem intuetur, quàm sancti mortales subinde cernant; propterea quòd ad eorum documentum sufficit nonnulla ac tenuis inspectio, & si intima esset, vitam eriperet: piis autem manibus in pœnam, eorum nequitia obtruditur, & semper in mentis oculos incurrit.

360. *Ideo animarum miserendum.*

Sed paucorum, ut superius innui, videtur esse hoc tormentum, eorum, opinor, qui se dum viverent, sæpe dæmonis dominatui magis permiserunt. Et verò rariùs historiæ hoc produnt. Cæterùm quàm formidandum, abundè, ut opinor, patet. Quare qui nefarii illius domini obsequiis te mancipas, O homo! ejus crudelitatem perhorresce. Time, inquam, ne de te quoque hoc Isaiæ vaticinium ratum sit. *Dominus tradidit eos in manu dominorum crudelium.* Ut enim Hieronymus in eum locum, *dæmones crudeles dominos vocat: quibus nihil est crudelius.* Verùm, & eorum miserere, in quos tantam crudelitatem exercent, O quisquis hostes illos Numinis odisti, & adamas amicos; & si misereris, eos illis subsidio precum eripe. Tortores ipsos vehementer torquebis, & pariter Deo gratificabere, qui sanè de suo bonus est, ut ait ille, de nostro autem malus ac justus. Atque adeò cùm velut coactus animas defectionis reas dæmoni permiserit torquendas, illas libentissimè recipiet hostis manibus ope tuâ ereptas. Alioqui, mihi crede, non est verus amicus, qui amici hostes impunè illi illudere, & grassari in ejus liberos ac bona permittit.

CAPUT SEPTIMUM.

Diuturnitas pœnarum purgatorii.

ARTICULUS I.

Generatim comprobatur ex Scriptura, sensu Ecclesiæ, & ratione.

§. 1.

Scriptura, & Ecclesiæ sensus.

PARS PRIMA.

Scriptura.

ETsi quas hactenus utcumque descripsimus defunctorum pœnæ, tam acerbæ sint, ut earum momentum intolerabile videatur; tamen tanta est earum diuturnitas, ut dubitare meritò possis, morâne an acerbitate sit magis formidanda. Atque illa quidem non paucis ex capitibus ostendi potest: si sacras litteras consulas: ita loquitur Apostolorum Princeps Epistolæ suæ prioris. c. 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo, & his, qui in carcere erant spiritibus prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabat Dei patientia in diebus Noë cùm fabricaretur Arca.*

361. *Purgati aliqui à diluvio usque ad Christi mortem.* Qui locus sic ab Estio, eximio scripturæ Interprete accipitur, ut carceris illius nomine non limbum SS. Patrum, ut alii plerique, sed ergastulum purgatorium intelligat, velitque Christum piis manibus à Noëmicâ diluvione eo detentis post resurrectionem prædicasse, seu annunciasse primum Jubilæum, eosque tum primùm eo carcere asseruisse. Cujus sententiæ est etiam noster Turrianus lib. 4. pro Epist. Rom. Pontificum cap. 12. & alii, nec aliud videtur voluisse Augustinus 12. de Genes. ad lit. 33. Quod si ita est, consequitur miseras illas animas per bis mille nongentos viginti octo annos (tot enim à diluvio ad Christi mortem fluxêre) cruciatas fuisse. Quod quidem Cornelio parum simile vero visum est, & videbitur compluribus, sed tamen alia sunt quæ confirment, ex sacris etiam petita Codicibus.

362. *Probatur ex pœnæ hujus vitæ diuturnitate.* Nam divino Judici diuturnas pœnas irrogare, vel in hac vitâ, ubi tamen misericordia regnat, non modò non insolens, sed etiam satis usitatum est. Enimverò primorum parentum contumaciam, hodieque castigat ærumnis, ac morte omnium mortalium. Et quot illorum eheu! ortâ ab illo tempore & ex eadem contumacia libidine peccandi, in omne genus scelerum, ac deinceps in æterna supplicia præcipites se dedere. Quid? nonne hodieque Noëmi parentis imprecatio in Chamum, quòd eum deridendum fratribus proposuisset, infælices ejus posteros premit? Nonne etiamnum uxoris Loth curiositas haud gravis in probrosa illa statua plectitur? nonne Judæorum in Christum crudelitas usque ad postrema mundi tempora, omnis fermè posteritatis execratione (quâ pœnâ nulla funestior) punietur? Quid igitur mirum, si sontes ipsos trium ferè millium annorum spatio carcer lustralis attinuisse dicatur, cum sontium posteros, tam horribilis pœna tam diu sit comprehensura? Accedit, quod illi Noëmi coævi centurias annorum multas vivendo, peccandoque impleverint, & quidem ex gravissimâ libidinis inolitæ pervulgatæque consuetudine adeò Numini contumaces, ut Noëmum sanctissimum virum ad pœnitentiam eos adhortantem derriderent, non modò audire detrectarent. Quibus adde nec tantam gratiæ affluentiam, nec tantam indulgentiæ opportunitatem tunc temporis extitisse, quanta nunc sese omnibus, & passim offert. Cum præsertim purgatorio ergastulo etiam summum aliquem Pontificem hoc gratiæ tempore ad novissimum usque orbis diem adjudicatum esse audierimus.

363. *Imo ab Abel usque ad S. Iacobum.* Quæ res minuet admirationem precationis, quam liturgia Ecclesiæ Jerosolymitanæ,

mitanæ, quæ authorem creditur habere S. Jacobum Apostolum ejus Episcopum, his verbis exhibet. *Memento Domine Deus noster spirituum, & universæ carnis, quorum memoriam egimus, & quorum non egimus, Orthodoxorum, & rectè de fide sentientium, ab Abel iusto usque ad hodiernum diem. fac eos requiescere in regione viventium in regno tuo, in deliciis paradisi, in sinu Abrahæ, & Isaac, sanctorum Patrum nostrorum, vnde exulat dolor, tristitia, & gemitus, ubi præsidet lumen vultus tui, & perpetuò refulget.* Ex qua prece nemo non videt persuasum fuisse Sancto illi Apostolo nonnullos jam inde ab Abelis ævo, adusque sua ac posteriora quoque tempora, expiatrice custodiâ detentos esse, & deinceps detineri posse, cùm liturgiam suam non sibi tantùm, ac suis coævis; sed etiam posteris sequendam constituerit. frustra enim liberationem eorum exposceret, quos liberatos esse crederet. Cæterùm in hanc quoque sententiam allici potest S. Basilius in suâ Ecclesiæ Syriæ liturgiâ. Sic enim præcipit. *Sublatâ voce Sacerdos orat Deum, ut meminerit Deus omnium, qui transierunt ex mundo, recreet eos in tabernaculo suo, traducat per mansiones horridas, & in tabernaculis luculentis collocet.* Audis fieri omnium mentionem, qui sunt vitâ functi? memineris etiam liturgiam Armeniorum sic comprecari. *Per hanc oblationem, da æternam pacem omnibus, qui nos præcesserunt in fide Christi.* Et cum vox illa *omnes* comprehendat quantumlibet antiquos, tu vide cur aliquos excludas.

364. *An Salomon usque ad hæc tempora.*

Dicamne Salomonem ad hæc usque tempora acerrimas pœnas in flammeis purgatorii latebris dedisse, id quod nuper, ait Cornelius in 3. l. Regum c. 10. Concionator quidam insignis, Romæ inter concionandum publicè asseruit sanctæ cuidam animæ divinitus patefactum fuisse. Absit ut hoc dicam: absit, ut in re tam novâ, & inauditâ, fidem habeam fœminæ, præsertim ignotæ. maximè cùm vetus problema sit, damnatusne, an servatus sit. Nam damnatum censent Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Chrysostomus, Beda, Rabanus, Isidorus, Syranus, Abulensis, aliique, Tum quia ejus gravissimas noxas memorans historia sacra, non cõmemorat, ut in Davide, pœnitentiam. Tum quia sua ipsius delubra, idolis extructa, non ipse, sed Josias demum destruxit. Tum quia ardens amor fœminarum, longâ præsertim consuetudine corroboratus, malum est prope insuperabile. Contra tamen servatum contendunt Gregorius Thaumaturgus, Rupertus, Pineda, Barradius, Salianus, Sanchez, Delrius, aliique, sive quòd censeant, eum post lapsum librum Ecclesiastes scripsisse, in quo tamquam ex facti pœnitentiâ exclamat, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*: sive quòd promiserit Deus se Salomonem, si peccaret, *in virgâ virorum* castigaturum (scilicet ut emendaretur) sive quòd proverbiorum 24. v. 23. Septuaginta Interpretes addunt, *Novissimè ego quoque egi pœnitentiam, respexique, ut eligerem disciplinam.* Quæ utriusque partis argumenta cùm rem ambiguam reddant, non est utique sapientis, eam ex incerto, & quidem fœminæ oraculo, definire, multò minùs addere illum lustrali carcere nuper esse assertum.

365. *An in Resurrectione Christi, aut assumptione D. V. purgatorium sit exhaustum.*

Satius hîc mihi objiciam id, quod proferebam ex Estio, & Turriano, Christum statim à morte, eo tridui spatio, quo in sepulchro jacuit, datâ communiter omnibus piis manibus veniâ, purgatorium exhausisse. Quod Cornelius valde probabile censet in 1. Petri cap. 3. & alii promiscuè tenent, ac publicè tradunt, dum agunt de Christi Resurrectione. Quin idem prærogativæ tribuitur Immaculatæ Deiparæ in cœlum Assumptæ, scilicet ut misericordiæ Mater, dum triumphans cœlum ascendit, filiorum inter omnes miserrimorum aperto carcere, partâque libertate, matrem se præberet: fateor equidem hanc utramque passim receptam esse sententiam; nec ego honori Redemptoris, aut cœli Reginæ refragari ullo modo velim. Verumtamen adverto primùm eumdem Cornelium Act. cap. 2. dum sententiam refert de piorum manium liberatione per Christum, hæc conceptis verbis tradere. *Melius alii censent Christum morientem, vel omnes, vel plurimos ex purgatorio liberasse: eúsque dedisse primam & plenariam indulgentiam.* Ex quo patet non dici ab illo omnes definitè liberatos; sed innui aliquos fortasse in carcere illo esse relictos. Deinde authoritas liturgiæ S. Jacobi, non modica est; hanc enim Cyrillus Archiepiscopus Jerosolymitanus, Proclus Constantinopolitanus, Nicolaus Methonensis Episcopus, Bessarion Cardinalis, S. Jacobo minori tribuunt. Præterea qui fidei controversias tractant, ut Bellarminus, & cæteri; item qui SS. Patrum dicta, & Ecclesiæ Catholicæ firmamenta, ut Coccius, Garetius, & alii, eamdem proferunt, tamquam S. Jacobi prolem genuinam. Scio Bellarminum lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis dicere, eam à posterioribus esse locupletatam: sed quis divinet, hâc, quàm proposuimus, particulâ crevisse? Adde si quis

locupletarit, vel Cyrillum, vel alterum Episcopum Jerosolymitanum, qui eâ usus sit, extitisse; cæterosque illius Ecclesiæ id augmenti approbasse: quæ vel sola authoritas contemnenda non est. Ex quibus postremò colligitur eum nullâ notâ dignum videri, qui purgatorium vel in Christi Resurrectione, vel in Assumptione B. Virginis omninò exhaustum neget. Quid? quod Angelicus Doctor, Magnúsque Suarius nonnullis tantùm hanc libertatis gratiam collatam esse suspicantur, iis nempe, qui fide, & pietate in Christum præstiterant; imò, quod durius, Ricardus, Durandus, Abulensis, locis à Cornelio in 13. Ezech. citatis, aiunt, purgandis animis Christum in resurrectione nihil indulsisse? non erit igitur damnandus, qui ausit asserere, nonnullos à mille ac mille annis ante Servatorem, post ea Resurrectionis, & Assumptionis tempora, diu in lustrali rogo detentos fuisse.

Pars secunda.

Ecclesiæ sensus.

366. *Anniversaria sacra probant diuturnitatem pœnæ purgatorii.*

Sed planiora, certioraque nunc consectemur. Constat enim ex funeralibus Ecclesiæ sacrificiis, quæ pro unius & ejusdem animæ liberatione in perpetuum constituuntur, nonnullos è defunctis, longissimo intervallo temporis in purgatoriâ custodiâ detineri posse. Qui quidem mos jam inde ab Apostolis originem accersit. Illum enim insinuat Clemens Romanus l. 6. Constit. Apostolicarum cap. 28. & disertè tradit non uno loco Tertullianus. Nam exhortatione ad castitatem, *Repete*, inquit, *apud Deum pro cuius spiritu postules, pro quo oblationes annuas reddas.* Et lib. de monogamiâ. *Enimverò*, ait, *uxor pro animâ eius mariti orat, & refrigerium interim postulat ei, & in primâ resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis eius.* Cyprianus quoque sic habet. *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniversariâ commemoratione celebramus.* Quod attinet ad posteriora tempora ut alios, & alia taceam. Tornaci 28. Martii celebratur obitus Chilperici Regis Franciæ, qui ante mille annos vivis exemptus est. Similiter in insigni Cœnobio S. Amandi in pabula, instituuntur quotannis funebres exequiæ Regis Dagoberti, qui pariter ante annos mille vivere desiit. Præterea Insulis in templo S. Petri justa quotannis solvuntur Balduino Flandriæ Comiti jam inde à 400. circiter annis demortui. Denique nihil vulgarius in Ecclesia, sacrisque ædibus penè omnibus, quàm institutio annuorum censuum in perpetua sacrificia ad subsidium instituentium facienda, si quidem egeant eo subsidio, aliis aliàs addicenda. Quod si hic Ecclesiæ sensus non esset, posse animas perdiu jacere in purgatorio, profectò hujusmodi curis & sumptibus parcerent mortales, stultitiæ alioqui arguendi, tamquam si quis sibi annonam ad trecentos annos præpararet.

367. *Pœnæ item reus ab Ecclesia imponi solita.*

Porrò eadem diuturnitas colligi etiam potest ex earum pœnarum diuturnitate, quas olim Ecclesia publicis criminibus assignabat. Cùm enim mundus hic, ut sæpe diximus, misericordiæ potius, quàm justitiæ sit destinatus; cumque hac in vitâ satisfactioni locus sit, in alterâ plenæ solutioni, quæ millecuplo amplius, quàm satisfactio exigit, perspectum est pœnas alterius vitæ, iis quas Ecclesia Mater suis filiis decrevit, longè esse diuturniores. Atqui hæc ob unicum lethale crimen exexpiandum, poënam reorum ad annos septem, decem, & viginti aliquando extendi voluit, imò ad finem vitæ nonnunquam. Ne verò existimes levem illam, aut facilem fuisse. Nam Fabiola, princeps fœmina Romana, quòd divortio facto cum priore marito, Ecclesiasticæ legis ignara, secundas nuptias iniisset, *Post mortem secundi viri*, inquit, hæc narrans Hieronymus Epist. 30. *in semetipsam reversa, saccum induens (ut errorem publicè fateretur) & tota urbe Romanâ spectante ante diem Paschæ, in Basilicâ quondam Laterani, stans in ordine pœnitentium, Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacrimantibus sparsum crinem, ora lurida, squallidas manus, sordida colla submittens, post immensos ipsius fletus & lamenta, recepta est in communionem.* Sic ipse. Neque posterioribus temporibus ea publicæ pœnitentiæ severitas remisit. Nam anno salutis 822. Ludovicus Imperator cùm semel inflictum conscientiæ vulnus ex morte Bernardi, nepotis sui, atque Italiæ Regis, nunquam sanare potuisset, & ipse exemplo Theodosii Imperatoris ultrò pœnam suscepit. Erat autem id temporis, ut patet ex ejusmet constitutionibus, solenne, ut rei diuturno cilicio, jejunio, orationibus, eleëmosynis, frequentique manus sacerdotum impositione luerent; quibus illum se submisisse intimus ejus dolor facilè persuadet. Denique illustris est Petri Morani Principis Albigensium pœnitentia. Cùm enim hæresim abjurasset, vestibus ac calceis exutus, templum S. Saturnini Tolosæ inductus est, cædentibus

cædentibus illum, hinc Episcopo Tolosano, illinc Abbate S. Saturnini, ab ipso ædis ingressu, donec ad aram, atque ad pedes Cardinalis legati sacrificantis constitueretur. Illic primùm hæresim rursus abjuravit. Tum jussus est quadraginta diebus exul à patriâ degere; adhæc egenis inservire triennio Jerosolymis, & singulis diebus Dominicis Tolosana templa nudus, & discalceatus, cum virgarum manipulo circumire, item omnia damna resarcire.

368. *Et maximè indulgentiæ.*

Sed nihil clarius demonstrat hanc, de qua agimus, diuturnitatem, quàm Indulgentiæ reis ab eadem Ecclesiâ concedi solitæ. Etenim si solas Stationum Indulgentias attendas, mirum dictu est, quot illæ numerentur. Enimverò Ianuario mense, ac luce SS. Fabiano ac Sebastiano sacra, præter Indulgentiam Plenariam ac remissionem omnium peccatorum, ad S. Sebastianum confertur Indulgentia centies & quinquagesies octies millenariorum: item mille, ac nongentorum sexaginta octo annorum, & ducentorum sexaginta ac quinquaginta dierum. Dominicâ item primâ post festum S. Antonii Abbatis, quando ostenditur velum S. Veronicæ, Romani habent indulgentiæ septem millia annorum; at ultramontani, quatuordecim millia, totidemque quadragenas, & remissionem tertiæ partis peccatorum. In die verò SS. Vincentii & Anastasii, quadraginta millia annorum ad S. Joannem in Laterano. Februario autem mense ac die Purificationis Immaculatæ Mariæ præter indulgentiam plenariam ad S. Mariam de populo, sunt indulgentiæ centum quinquaginta quinque millenarii ac ducenti nonaginta tres anni, ducenti item octoginta quinque dies. Deinde die Cathedræ S. Petri, præter indulgentiam plenam, mille anni ad S. Petrum, & centum quinquaginta octo millenarii. Item nongenti sexaginta octo anni, & centum octoginta quinque dies. Adhæc Martio, die S. Thomæ Aquinatis. indulgentia plenaria ad S. Mariam de Minerva, & centum quinquaginta octo millenarii, mille item, ac nongenti quinquaginta octo anni, & ducenti octoginta quinque dies. In Annuntiatione D. Virginis, indulgentia plenaria, & mille anni, & totidem quadragenæ, & remissio tertiæ partis peccatorum, & iterum mille anni ad S. Mariam Majorem, & centum quinquaginta octo millenarii. Mille item, & nongenti quinquaginta octo anni, & centum octoginta quinque dies. Quid alios menses, quidúe alios plures, quàm recensui, dies persequar? Summatim cum Emanuele Roderico tom. 2. Reg. quæst. q. 88. a. 2. Romæ quotidiæ ad minimum censeri quatuor millia annorum, & mille quingentas quadragenas indulgentiæ in Stationibus solis acquirendas.

369. *Indulgentiæ explicatio.*

Porrò Carena est indulgentia, quâ remittuntur pœnæ purgatorii tot, quot fuissent remissæ peragendo pœnitentiam in pane, & aqua, quadraginta diebus. Quadragena est remissio tot ejusdem purgatorii pœnarum, quot fuissent remissæ pœnitentiâ quadraginta dierum juxta Canones pœnitentiales injungenda. Idem pariter de Septena dicendum. Atque ita dum mille annî indulgentiæ conceduntur, perinde est, ac si dicatur tantam indulgentiam conferri, quanta responderet mille annis pœnitentiæ. Cùm igitur Canonicæ pœnæ tam graves forent, facilè est intelligere hoc etiam ex capite, quis sit Ecclesiæ de diuturnitate pœnæ lustralis sensus, nimirum, & magnam esse ut plurimum, & identidem pro scelerum portione maximam esse posse.

§. 2.

Idem Ratione firmatur.

370. *Quia lethali condonato quævis ejus pœna brevis dicenda.*

POSTREMÒ non mediocre momentum huic sententiæ addit ratio, eaque multiplex. Peti enim potest primùm ex pœnæ, quæ peccato lethali debita est, infinita longitudine. Deinde, quòd nullum, vel levissimum, ac maximè veniale, non aliquam pœnæ moram mereatur. Postremò ex utrorumque multitudine. Quod igitur ad primum attinet, certum quidem est, dum crimen mortiferum condonatur, simul remitti debitam illi alioquin pœnæ æternitatem; quoniam gratia sanctificans, per quam deletur, æternæ gloriæ efficit hæredem, quo fit, ut pœnæ æternitatem abroget. Attamen peræque certum est condonatâ lethali noxâ, manere ut plurimum obligationem, ad pœnam aliquam temporalem, nisi vis contritionis, ac copia gratiæ, per eam partæ, omnem eam obligationem, quod rarissimè contingit, extinxerit. Quærimus hîc ergo, quantum sit reliquum illud tempus pœnæ subeundæ, propter unum lethale flagitium condonatum. Atque illud quidem certò, ac precisè definire, solius est Judicis, qui pœnam culpis attemperat. Sed tamen fide, ac ratione ducibus, nonnihil hoc in genere assequi ac statuere possumus. Nimirum maximæ gratiæ, ac singularis beneficii loco habendum fuisse, si sexcenta annorum millia, mortiferi criminis condonati supplicio essent assignata. Ohe! exclamas. Ecquæ futura

futura esset istiusmodi gratia, tam atroces unius mortiferi flagitii pœnas, tam diu exigere? Aio ego majorem futuram fuisse, quàm si ex sexcentis, annorum millibus pœnæ debitis, unicam horulam Judex solvi vellet. horulam autem? imò, & horulæ quadrantulum: quin imò istius quadrantuli centesimam partem. Etenim quantumcumque temporis intervallum cum æternitate conferas, nihil est ad illam: quia, ut aiunt scholæ, finiti ad infinitum nulla est proportio; at aliqua certè intercedit inter centesimam horulæ partem, & sexcenta annorum millia, & hanc Angelus, non modò Deus, cognoscit. Unde emersit illud vulgare, & Concionatorum vocibus tritum, damnatis summi beneficii loco, ingentique voluptati fore, si tum demum tormentis eripiendi essent, cùm exhaustus foret mons arenosus, utcumque excelsus ac porrectus, ex quo avicula centenis quibusque annorum millibus arenulam unicam carperet.

371. *Et mirum sit quod unici mortalis pœna non sit mille annorũ.*

Cùm igitur æternitate pœnæ condonatâ quævis ejus diuturnitas in summis favoribus numeranda sit, quid mirum, si supremus Judex pro unicâ mortali culpâ mille cruciatûs annos exigeret? Quid iniquum si pro decem, decem millia, pro sexcentis, sexcenta: & tamen miramur vehementer Justitiæ divinæ severitatem, cùm pro mille sexcentis, & amplius mortalibus, nonnullos legimus mille annorum suppliciis adjudicatos. Obstupescimus autem cùm aliis non alium pœnæ, quàm mundi finem constitutum esse intelligimus. Itaque admiranda esset potiùs clementia Salvatoris etiam hoc in genere, perinde, imò magis, quàm miraremur benignitatem creditoris, qui non amplius, quàm millesimam debitorum partem soleret exigere: Judicis item mortalis, qui pro crimine perpetuum carcerem merito, ejus dumtaxat ingressum consuesset injungere: aut Prætoris etiam qui reos ad triremes in perpetuum damnatos post unicum remigii diem solitus esset liberos dimittere. Si enim omnium in ore est illud Ducis Guisii, vel etiam Ducis Doræ (utrique enim tribuitur lepidum factum) quando remiges, nefarios utique homines, sigillatim rogans, cujus criminis causâ triremi addicti forent, cæteris mentientibus sese alioqui insontes affecto sibi crimine, aut vi ad remigium adactos, quispiam ex illis se meritò plecti fassus, ab eo liber dimissus est, ne, ut joco dicebat, unicus ille criminosus reliquos innocentes corrumperet; Certè laude, & admiratione dignissima esset Numinis clementia, si reos unius lethalis, perennes in orco cruciatus commeritos, propter culpæ confessionem, ad mille pœnarum annos damnaret.

372. *Potest quidem esse, sed non est tam longa quàm omnium venialium.*

Cæterùm id quoque hîc statuere possumus, si judex supremus omninò pro meritis crimen unicum lethale, etiam condonatum castigare vellet, posse sanè diutius, quàm omnia venialia. Et ratio facilis & obvia est, quòd lethale unicum, ut malitiâ, ita merito pœnæ, universa venialia, etiam ea, quæ æternitate totâ committi queunt, superet, & quidem supra omnem modum. Quare unici lerhalis condonati pœna, universorum venialium pariter remissorum pœnam diuturnitate superare posset. Verùm & hoc satis liquet illud minimè fieri Aliàs enim unumquodque mortiferum ad Judicii extremi diem pœnas daret. Cur ita? Quia nempe venialium pabulum igni purgatorio numquam deerit, & verò etsi ea ipsa universa, quæ fuere, sunt, & erunt, & esse possunt, sigillatim, & suo quæque tempore punirentur, haud dubiè pœnæ tempus, non modò usque ad mundi excidium, sed & in immensum protraheretur. Itaque pœnæ peccato mortali debitæ diuturnitas, gravitate videtur compensari. Statui tamen & istud potest, unius mortalis pœnam longiorem esse pœnâ plurimorum, & gravissimorum venialium, sive quòd illud æquissimum sit; sive quòd utillimum ad mortales à lethifero peccato avertendos, ad quod pœnæ diuturnitas confert plurimum: Quamobrem Augustinus Hom. 15. ex 50. *Quantò*, ait, *magis minusvè transitoria dilexerunt, tantò tardiùs, breviúsque salvabuntur, ut quanta fuerit peccati materia, tanta esset & transeundi mora.* Si Deum scitaris, quanta sit illa mora? ad ea te remitto, quæ ex historiis super ea trademus; ex iis enim non difficile illam saltem aliquatenus cognosces.

373. *Ratio secunda: venialia singula mora pœnæ digna sunt.*

Quod si mortali unico diuturna pœna debeatur, quanta pluribus? quanta enim reddenda est tot venialibus? neque enim ullum est veniale vel levissimum, quod aliquam pœnæ moram non mereatur. Nam si peccatum est, Dei injuria est, igitur, & pœnæ digna, atqui pœna omnis spatium aliquod requirit: nulla momento contenta est: tum quòd nullum est restrictè punctum temporis: sed ejus pars, quæ proinde fluat, & alias partes habeat, necesse est, nimirum præteritas, præsentes, & futuras. Sed esto sit in tempore momentum partibus vacans, & dividi nescium; tamen omni culpæ nonnulla pœnæ mora debetur. Inest enim omni culpæ adhæsio quædam ad bonum creatum, quemadmodum

admodum, & aversio à bono increato. Illi Porrò adhæsioni diuturnitas pœnæ debetur. Quia ut superiùs diximus ex Angelico Thoma, eò diutiùs in Purgatorio culpa plectitur, quò fortiùs mens per eam rebus conditis, præter Numinis voluntatem, agglutinata est. Quod & in humanis usuvenit. Eò enim diutiùs pater castigat filium, quò pertinaciùs peccasse deprehendit. Certè D. Birgittæ Angelus illam & nos edocet in purgatorio solius pœnæ damni, quòd atrium cœli nominavimus, multos, & diu commorari; credo quod in multis vitæ probæ mortalibus, plus sit adhæsionis ad creaturas, quàm aversionis à Deo, quem utique amant medullitùs. Illum audiamus l. 6. Revel c. 37. *Post hæc*, ait, *anima fertur in locum tertium, ubi non est pœna, nisi desiderium perveniendi ad Dei præsentiã, & eius visionem beatam*, ita ipse.

374. *Quid si sint multa simul collecta.*

Cæterùm si vel levissima culpa moram pœnæ solvendæ exigat, quantam exigent & graves, & multæ? Etsi enim simul omnes, non singulæ sigillatim puniantur, tamen cùm singulæ moram exigant, universæ exigent longiorem. Age verò quot esse solent migrantium è vitâ, necdum expiatæ noxæ? Quis eas commemoret? imò quis credat ad tam ingentem numerum posse pertingere? Age, rationes mecum inire lubet, & cognoscere, quem peccatorum numerum homo alioqui probus è vulgo, atque sæculo, post septuaginta vitæ annos, qui ferè longissimus vitæ nostræ terminus est, implere sit solitus? En tibi subjicio causidicum, si placet, aut Mercatorem, aut alium virum, aut fœminam sacramentis frequentandis assuetam, & Numinis reverentem in paucis. Certè si peccata mentis, oris, & operis attendas; item si ad Deum, & ipsum peccantem, atque ad proximum animum adjicias; præterea si negligentiam, ac præcipitationem humanæ mentis expendas; adhæc si propria, & aliena consideres, non minus, opinor, cuique, præsertim actuoso, negotiis tractandis addicto, quotidianarum culparum ac levium maximè, assignabis, quàm viginti in dies singulos. Quin etiam fatebere illum numerum solis verbis cum peccato conjunctis imparem esse, ut plurimùm; quippe linguâ nostra obtrectationum, mendaciorum, obmurmurationis, jactantiæ, despectus aliorum, derisionis, reprehensionis, imprecationis, & hujusmodi vitiorum nimis fœcundâ. Sed esto, demus isti homini non plures, quàm noxas viginti quotidianas: non modo in virili, sed etiam in puerili ac juvenili, senilique ætate. Atque ut numerum commodiorem habeamus, inchoemus ejus noxas non à septimo anno, circa quem exoriri solet malitia, sed à decimo dumtaxat. Cùm igitur annus integer diebus trecentis sexaginta quinque, & sex circiter horis constet, horis etiam omissis: Petrus, vir alioqui bonus, & frugi, & Numinis reverens, unius anni spatio septies mille ac trecentas culpas commiserit. Quinquennio verò, trigesies sexies mille, quingentas; Decennio autem septuagesies ter mille. Præterea viginti annorum spatio impleverit noxarum centum quadraginta sex millia. Porrò post annos triginta, id est ætatis anno quadragesimo, ducenta novemdecim millia. Quinquagesimo deinde ducenta nonaginta duo millia.

375. *Culpæ veniales sub mortem quot sint.*

Dæmum ætatis anno septuagesimo, quadringenta & triginta octo millia noxarum contraxerit. En ecce quanto ære alieno gravis erit hic septuagenarius senex. Et tamen usque ad novissimum quadrantem, Veritate teste, solvendum illi est. Solvendum, inquam, usque ad ultimum pœnæ decretæ diem, imò ad ultimum temporis momentum. Sed juvat explorare, quis tandem numerus annorum ingenti illi noxarum numero respondeat. Etsi enim hic aliquid certi definitè, simpliciterque proferre, supra limites mentis humanæ est: tamen interpositâ conditione omninò probabili, horrendum annorum numerum pœnæ tot venialium debitum colligere licet.

376. *Et quàm diuturnæ illarum pœnæ.*

Equidem mitissimam philosophandi rationem sequemur, si singulis illis culpis, singulam pœnæ purgantis horam deputemus. Constabit enim postmodum ex historiis longè productiorem, saltem identidem, esse attributam. Atqui si facias vel unicam pœnæ horam singulis venialibus seorsim esse decretam! heu misero illi septuagenario, quinquaginta annorum spatio, demptis novem diebus, lustrales cruciatus jure meritissimo essent subeundi. Deus Immortalis! Deus clementissime! adeone sævies in noxas hominis, qui semper tibi amicus, semper fidelis fuit, tametsi quod peccavit, non tam crimini, quàm humanæ imbecillitati verti à mortalibus soleat? Verùm si longa videtur ista pœnæ mora, quomodo inhorresces, si, quod æquitas, & historiæ confirmant, uni veniali, unum pœnæ diem assignemus? Eheu! numero isti quadringentorum, & triginta octo millium noxarum levium, mille ducentos purgatorii annos, exceptis ducentis, ac sedecim diebus, assignemus, necesse est. Auditis ô mortales, percipitis rationes illas, atque infandam

ſupputationem ? Iterum pronuntio viginti noxis venialibus in dies ſingulos ſpatio ſexaginta annorum admiſſis, non pauciores pœnæ anni manerent, quàm mille ducenti, ſi quidem ſingulæ ſingillatim, ac diſtincto quæque ſpatio caſtigarentur.

377. *Numerus mortalium ſub mortem.* Quis igitur purgantium annorum numerus exiſtet, ſi lethalia venialibus, nec pauca, nec exigua adjunxerimus ? Rurſus audi ô mortalis, ô peccator ! Si ſtatuamus aliquem unicum intra ſingulas hebdomadas mortiferum patrare, decennii ſpatio quingenta viginti cumularit. Si decennium adjicias, mille quadraginta; igitur triginta annorum ſpatio mille quingenta ſexaginta contraxerit. Quid hæremus ? ſpatio quinquaginta annorum peracto, & jam ſexagenarius, aut ſeptuagenarius, prout vel decennis, vel vicennis lethaliter peccare cœperit, gravarit ſe mole infauſtiſſima bis mille, ſexcentorum mortalium.

378. *Et quanta diuturnitas pœnarum.* Fac igitur eum his oppreſſum, dolorem tantummodò neceſſarium ad Sacramentalem exomologeſim adhibere, atque ita ad tribunal juſtiſſimi Judicis ſiſti; quale de illius ſupplicio judicium expectas ? quid cenſes de illius diuturnitate ? nos quidem ſuperiùs demonſtravimus, vicena dumtaxat in ſingulos dies venialia ſexaginta annorum ſpatio cumulata excreſcere ad quadringenta triginta octo millia, hisque ſi ſingula integrum pœnæ diem mereantur, deberi purgatorii fermè annos mille ducentos: ſin autem, quod minimum dici poteſt, horulâ pœnæ digna ſint, demum prope quinquaginta iis annos eſſe aſſignandos. Ex quo clarè conficitur plus quinquagenis; quid loquor ? imò fortaſſe plus mille ducentis annis, unicum lethale peccatum meritò caſtigari poſſe. Quid ad hæc ô homo ! ô conſcie non unius, ſed plurimorum lethalium ? Dic age, ſi ita eſt, bis mille quingenta mortalia quot exigent pœnæ annos ? Quid attinet numerare ? Nam ſpatium annorum queis ſtabit hic orbis, procul excederent.

379. *Videtur gravitate compenſanda.* Itaque diuturnitas gravitate compenſanda eſt, nec ſingulæ noxæ ſeorſim, ſed ſimul expiandæ. Id quod maximè ſentiendũ de plurimis hominũ, qui omnia ſeu verba, ſeu facta, vel ad libidinem, vel ad latrocinia vel ad ambitus injuſtos referre cõſueverũt; potiſſimè ſi magiſtratum aliquem gerunt, ſi exercitum, aut imperium tractant, ſi bellum injuſtum, aut injuſtè movent. Quis enim, niſi aut Angelus, aut Deus, recenſeat noxas proprias, & alienas improborum Principum ? nec dicas earum pœnitentiâ non parum minui. Pœnituit ſanè Theodoſium Imperatorem cædis innumerorum Theſſalonicenſium; Pœnituit & Henricum Quartum Occidentis Cæſarem Eccleſiæ per ſe ſuoſque bellis ac fraudibus dirè diuque afflictatæ. Pœnituit & alios Principes ac Reges, ſed quis exiſtimet pœnitẽtiâ ſuâ tot ſcelerum privatorum ac publicorum, ſuorum & alienorum, quæ vel conniventiâ, vel indulgentiâ, vel imperio ſua fecere, pœnas magnam partem deleviſſe ? Enimverò ſanctiſſimi homines, & levium ad ſummum culparum rei, poſt multos pœnitudinis annos, poſt pietatis exercitia quotidiana, nonnullis adhuc nominibus Juſtitiæ divinæ obſtricti manent, & alii iſti, innumerorum, ingentiumque criminum conſcii, brevi, facilique pœnitentiâ immenſis nominibus ſe liberaſſent ? nemo ſanus credat: tantum abeſt, ut quilibet jure arbitrari poſſit plurimorum ex reis hujuſmodi dolorem, pœnarum utique metu exprimi ſolitum, & tantùm non imparem eliciendæ per confeſſionem gratiæ divinæ, de pœnarum gravitate, ac morâ debitâ perparum delere. Sed de his adhuc poſtmodum.

ARTICULUS II.

Diſtinctiùs monſtratur pœnæ luſtralis Diuturnitatas.

380. *Parium culparum par pœna.* NON poteſt id certiùs, liquidiusúe agnoſci, quàm ex hiſtoriis ac viſis. Parium enim videtur parratio. Cùm igitur acceperimus hominẽ ſanctum in pœnã culpæ exiguæ, atque unicæ, quindenis, aut octonis diebus cruciatum, facilè erit de paribus judicare. Cùm Religioſum pluribus annis hærere in flammeo carcere, ob vitam ſolutiorem; quis dubitet quin, & alios ſimilis inſtituti, ac diſſolutionis par aut ſuppar ſupplicii longitudo maneat ? neque alia eſſe poteſt, ut plurimum improborum ratio, quando ſub vitæ exitum improbitatem deſierunt, niſi fortè piis operibus, atque indulgentiis alius alio diligentiùs largiusque animæ ſuæ bono conſuluerit, de quibus poſt erit dicendi locus. nunc itaque à minimis ordiemur.

381. *Pœnæ ſanctorum quàm longæ.* Celebris eſt hoc in genere S. Vitalina, quam Gregorius Turonenſis de gloria Confeſſ. cap. 5. refert D. Martino poſt ſat longum ab obitu ſuo tempus ſignificaſſe ſeſe conſpectus divini exortem adhuc eſſe, quòd frequenter feriis ſextis caput laviſſet: quæ res tunc temporis fortè vetita, nunc licèt. Cumque vir ille ſanctiſsimus admiratione ac mœrore plenus in preces ſe, pro

pro ejus liberatione effudisset, id tantùm obtinuit, ut tertio post die ad castissimos illa Sponsi amplexus evolaret, de quo iterum postea. Celebre quoque est, quod de sorore Petri Damiani, piissimâ virgine, fertur; quindenis diebus acriter esse castigatam in purgatorio, quòd cum aliqua voluptate, non utique mortiferâ, carmen aliquod minus castum è plateis inaudiisset. Erat B. Thomæ Aquinati soror admodum religiosa, hanc ille mortuam, & Numini commendavit ipse, & fratribus, ut enixè commendarent, supplicavit. Et tamen non nisi post moram satis longam, cùm hic Romam contenderet, purgatorio asserta est. Quamdiu illic detenta fuisset, si etiam efficacissimis, sancti fratris, aliorumque precibus sublevata, non nisi post multos dies eripere inde se potuit? Illustrius est hoc in genere quod in actis vitæ B. Bertrandi commemoratur. Enimverò cùm pro fratre Clemente Benet, viro optimo, ob leves defectus expiatricibus flammis adjudicato, nominatimque quòd lineo, non laneo indusio, contra Ordinis leges, non diu usus fuisset, cùm inquam, vir ille sanctus cum toto conventu preces cumulasset, sexto demum, aut octavo post die frater ille terrâ emergens, cœlum rectà petere visus est. Observa porrò Dominicanorum leges citra peccatum solvi posse. Cæterùm huc quoque referri potest quod in Annalibus Discalceatarum S. Theresiæ Monialium commemoratur Anno 1571. vivebant in Cœnobio Abulensi binæ virgines pietate eximiæ: quarum alteri Mariæ de Incarnatione, alteri Euphrasiæ de JESU, nomen. Hæ cunctas suas satisfactiones piis manibus transcripserant. Interea vivis excessit in eodem monasterio Sanctimonialis, sanctitatis nomine, inter reliquas clara, & Eupraxiæ sese videndam offerens, summum cruciatum præ se tulit, & attonitæ quòd etiam Sanctimonialem in in purgatorio hærere cerneret; sic mortua ingemuit. *Heu! quàm clarius hic res, & virtus patet, quàm inter mortales! hic vitium dicitur, quod apud eos virtuti tribuitur*, dixit & subsidium flagitavit. Quippe cui expiandæ Monialium preces communes, & harum sanctitate illustrium satisfactiones propriæ, non sufficerant, adeoque nec aliquot Purgatorii dies.

382. *Religiosorum vulgarium.*

Sed ista levia sunt. Quid enim dies ad annum? Audite viri Religiosi, & timete. Anno Domini 1597. undecimo Kalendas Octobris, Celsus Finettus, magnæ pietatis, purique candoris, & egregiæ exspectationis adolescens, vitæ cursum absolvit. Sex ille vixerat annos in Societate, cùm vigesimum tertium ætatis annum ageret. Patria erat Senensis, cultui Virginis Matris præcipuè addictus, quam etiam sub mortem visam, mortem sibi, & salutem certò prædixisse narravit, diem quoque purgantium pœnarum quadriennio finiendam nunciasse. adjecisse insuper M. Antonium Ridolphi, adolescentem 22. annorum, Societatis tantùm quatuor (fortè per id tempus ægrotabat) non longo intervallo secuturum; non tamen ultra biennium purgandum. Non inane autem, aut umbratile fuisse visum multi judicarunt, cùm insolitâ ex eo tempore lætitiâ ejus animus frueretur, nec nisi de futurâ vitâ sermones vel haberet, vel admitteret. Sed multò magis ejus rei fidem confirmavit alterius, illius mors, quarto idus octobres consecuta. Hæc litteræ Societatis Anni 1597. Testatur Nicolaus Lancitius, qui utriusque morti interfuit, se, qui aliquot annis cum eis vixerit, nullam tamen culpam, nullum defectum in ipsis deprehendisse. Qui insuper refert R. P. Julium Mancinellum libello primo cœlestium luminum sibi affusorum, narrare hæc de quodam Societatis sacerdote, quem minimè nominat. Visum illum sibi esse, cùm importuniùs preces postularet. Obierat tamen ante quinque, sexvè annos, unde se intellexisse non facilè animas defunctorum evadere in cœlum: sed acri purgatione priùs egere, maximè cùm certò persuasum haberet Patrem illum numquam à Religionis ingressu ullum lethale admisisse, paucissima verò ante illum (nam ejus confessiones excipere consuerat) Verùm eumdem jam Religiosum laboraſſe vitiis nimiæ severitatis, & tenacitatis judicii: insuper inanis gloriæ, cùm res ex animi sententiâ cederent, pariterque tristitiæ, cùm parum succederent.

383. *Expenditur mora Purgatorii Religiosorum.*

Quid ad hæc viri Religiosi? nonne professio, alter baptismus est ad eluenda crimina vitæ secularis, & anteactæ? atque adeò nonne pauca illa mortalia diluerat, & in hoc & in duobus illis prioribus, si qua fortè iis hæsissent? Restabant ergo sola venialia? ergo pauca, vel quatuor, vel sex annis erant eluenda? At quid effecerant tot sacrificia unicuique Sacerdoti Societatis indicta in piorum è Societate manium gratiam? quid tot preces, tot indulgentiæ? Quis hæc non vehementer demiretur. Si objicias adolescentes illos tam longis quidem pœnis adjudicatos, sed precibus, ac sacrificiis priùs ereptos, ita equidem velim; sed quid dices ad Patris illius post purgatorii sexennium apparitionem? Etenim vitia illa, quæ perhibentur, naturæ vitia erant fortè, non voluntatis, & pro-

fectò vel ipsa, vel similia etiam probissimis adhærere solita sunt. At leve illud. Quid, inquam, dices, si intelligas (id, quod idem Nicolaus Lancitius noster plurium testimoniis confirmat) M. Albertum Mohovuski, Polonum è Soc. Jesu, in qua per parum vixit (mortuus enim est anno 1616. ante sacerdotium cùm infimam Grammaticam doceret) quatuordecim ab obitu annis spectandum se præbuisse Jeroslaviæ, P. Visnensi supplicem, ut Purgatorio assereretur, in quo utique adhuc se detineri, & torqueri dicebat ob vacillationem in vocatione, cui tamen numquam se omninò permiserat? Postremò omnem admirationem superat quod superiùs notavimus, & refert S. Vincentius Ferrerius serm. de aquâ benedictâ, quemdam hominem ob unicum veniale per annum integrum in Purgatorio conflagrasse.

384. *Mediocrium peccatorum.* Quod si autem venialia, & pauca, & levia, tam diu exuri necesse est, quid si multa, & gravia numerentur, eaque lethalibus immixta? Atqui author est P. Martinus Lhermitte in vita B. Hugonis Præsulis Marchianensis, monachum quemdam ob negligentiam parendi, & obtrectationes, denique ob vitam solutiorem Purgatorio addictum ad annos quinquaginta, ac demum post quadraginta pœnarum annos igni perustum apparuisse, ac preces efflagitasse, quibus decennium reliquum redimeret. De Comite Lossensi S. Christinæ, defunctorum matris amico, ac perfamiliari, ita narrat noster Fisen in vita S. Christinæ, Ludovicus Comes Lossensis vir omnis honesti perstudiosus, Christinæ sanctitudinem admiratus, magnâ animi sui voluptate cum eâ sermocinabatur; ejus audiebat consilia; venienti assurgebat; matremque solebat appellare. Ludovici verò benevolentiæ id officii lubens ipsa reponebat, ut si quid adversus rectam rationem, aut Ecclesiæ jura, quandoque designaret, non modò matris instar erratum deploraret, verùm sanctâ etiam libertate castigans evinceret, ut ad æqui semitam ille se reflecteret. Is ut in morbum incidit, quem medici periculo non vacare censebant, Christinam sibi adesse voluit, rogavitque obnixè, ut ne ad ultimum vitæ spiritum usque se desereret. Recepit illa perlubenter. Tum Comes remoto omni arbitro, quâ potuit virium omnium contentione se ad Christinæ pedes abjecit, coortisque uberrimè lacrymis, quidquid ab undecimo ætatis anno adversus rectæ rationis leges deliquisset, candidè aperuit; non ad beneficium absolutionis (sat enim gnatus erat id potestatis penes eam minimè esse) verùm ut statu animi cognito, hæc ad eum sublevandum, ille ad peccata detestanda magis impelleretur. Tum revocatâ familiâ, suas res ex Christinæ arbitrio disposuit, & paulò post, ipso mediæ ætatis flore, mortalitatem deseruit.

385. *Post preces S. Christinæ.* Animam tamen ejus acerrimis pœnis expiandam esse, ipsa divinitus didicit, & Ludovicus post mortem ei oblatus, precum subsidium imploravit. Promisit illa liberalissimè; neque segniùs promissa implevit. Modò enim in flammas se torrendam, modo in aquas vi frigoris ac glacie astringendam suo more immisit. Satisne? Etenim supplicia hujusmodi sanctæ Virginis quàm atrocissima longissimaque Comitis animam purgantibus flammis absolvere brevi debuisse videntur. Cùm igitur non absolverint, abesse non potest, quin diuturnissimo Purgatorio sit condemnatus. Ergo Christina prioribus non contenta, quædam subinde loca petebat, quæ Comes peccatis suis polluerat, eaque uberrimis lacrymis ac novis cruciatibus velut expiabat, & tamen iterum *longo post tempore*, inquit Cantipratanus l. 2. c. 53. *ante mortem suam*, Christinæ scilicet, *idem Comes eidem apparuit, & gratias agens illi, eâ contemplante ad superna transivit.*

386. *Dissolutiorum.* Horribilius est, & ad rem nostram accommodatius, quod contigit Aragoniæ Virgini Alexandræ nomine. Quidam antiqui Historici, ut Flaminius, & alii apud Malnendam anno 1219. & apud Joannem Rechacium in actis S. Dominici, commemorant, Alexandram Aragoniam Gente, Domo nobilem, cùm Divi hortatu Rosarii pietatem avidè complexa esset, pauco post tempore dissolutarum puellarum consortio ab eâ defeciisse, & puellaris vanitatis studiis totam fuisse addictam. Interea procabantur eam Juvenes duo, quos ipsa seu iniquis susurrationibus, seu alio pacto ad singularem dimicationem, atque adeò ad mutuam necem adegit. Quo cognito, & ipsa à consanguineis occisorum furore accensis, ferro interempta est, & avulsum à cervicibus ejus caput in puteum dejectum. Quini menses ab ejus cæde fluxerant, cùm D. Dominico conspiciendam se præbens Immaculata Virgo, rem, ut erat gesta, edocet, jubetque ad puteum se conferre, & caput inde evocare. Enimverò invocato inter vulnera Mariæ nomine ab Alexandra, cœlitus obtentum ut vivere posset, donec fateri noxas, & earum veniam ritè à Sacerdote acciperet liceret. Itaque animam illius abscisso licèt capiti adhuc esse conjunctam, his à Diva auditis, properè adit puteum vir sanctus, & è puteo

Alexan-

Alexandram evocat, ſtatimque adeſt ad putei crepidinem truncum caput, ſanguine adhuc recenti. Confitetur, SS. Euchariſtiæ Viaticum ſumit, ſacras ſpecies in palato conſumit (mirum auditu, & omninò extra ordinem, ſenſumque communem Doctorum) oleo ſacro inungitur, iisque peractis grates habet plurimas Dominico, quòd ſe piiſſimam Roſarii exercitationem docuiſſet, praviique exempli veniam ab adſtantibus, & ſpectaculo attonitis precatur. Tum à S. Patre interrogata, quid ſibi ſtatim ab eo tempore, quo animus corpore exceſſerat, contigiſſet, reſpondit præcipuam ſalutis ſuæ cauſam in Roſarii pietatem eſſe referendam. Etenim B. Virginis meritis ſe impetraſſe, dum perimeretur, idoneum de peccatis dolorem, vitæque in capite prodigioſam retentionem: quoad ſuus ille dolor Sacramenti efficaciâ perfectior evaderet. Ac demum diſertè affirmavit, ob cauſam mutuæ illi rivalium cædi datam, indictas ſibi pœnas purgatorias ad ducentos annos: at ob plurimas alias Numinis offenſas, in quas alios blanditiis, ac lenociniis ſuis impulerat, ad quingentos, annos non modò quinquaginta ut alii ex errore numerant. ſibi autem ſpem ineſſe Dominici precibus, eorumque qui percurrendo Virginis Roſario darent operam, moram illam purgatorii, eſſe contrahendam, nec ſpes eam fefellit. Nam decimo quinto abhinc die libera, fulgensque D. Dominico apparuit: gratiiſque pro ſuâ libertate perſolutis, reliquorum manium nomine ſupplicavit, ut Roſeâ illâ in Divam Virginem pietate flammas luſtrales temperare dignaretur. Hæc enarravit. R. P. Joannes à Monte, Dominici ſocius, & hujus oculatus teſtis hiſtoriæ. Ex quâ cædis duplicis pœnam obſervo porrigi ad ducentos annos, vitæ autem ſolutioris, atque in vitia puellaris licentiæ, & niſi fallor libidinis effuſæ, ad annos quingentos. Quid igitur ſubiiſſet, ſi multarum cædium rea impuram vitam ad annos quinquagenos perduxiſſet? Quid? ſi ut lupæ vulgares, promiſcuè omnibus totâ vitâ ſeſe proſtituiſſet? Attendite his ô mortales, ô nepotuli diſcincti, ô molles femellæ, attendite, & quàm longa brevis voluptatis pœna vos maneat, videte. nec enim vobis Dominicos nanciſci licebit, quorum voluntariis pœnis ac precibus ſeptingenti cruciatuum anni ad quindenarium dierum redigantur: Atque ut liceret, non continuò eadem gratia vobis fieret; minimè autem fiet, ſi potentiſſimæ cœli Reginæ gratiam quotidianis ad eam precibus, ſtatoque cultu non contenditis demereri.

Libet in hoc argumento paulò diutiùs immorari, & cùm puellæ licentiam ſeptingentis ſupplicii annis adjudicatam videri- mus, viri cujuſdam nobilis pœnam haud ſcio an imparem diuturnitate, ejusque nonnullas cauſas juvat contemplari. Sic igitur D. Birgittæ loquitur Angelus l. 4. c. 9. *Tu priùs audiſti, quod propter preces amicorum Dei, obtinuit ille nobilis divinam contritionem, ex charitate pro peccatis modicùm ante mortem, quæ contritio ſeparavit eum ab inferno. Ideo poſt mortem iudicavit iuſtitia Dei, quod deberet per ſex ætates ardere in purgatorio, quas habuit ab illa hora, qua primo ſcienter mortale peccatum fecit, uſque dum ex divina charitate pœnituit fructuosè, niſi de mundo, & amicis Dei auxilium obtineret.* Tum pœnæ illius cauſas ſex producit, quas compendio ſubjicio. Prima igitur fuit neglectus amoris Deo debiti. Altera defectus timoris Domini. Tertia ſuperbia, & cupiditas. Quarta luxuria. In quinta culpæ ſunt alienæ, qualis, quòd matrimonium ſuaſerit inter conſanguineos. Sexta neglectus Sacramentorum ad finem vitæ. Ex quibus ſat liquet non paucos nobilium pariter affectos, pariaque ſcelera impunè deſignantes, non impares illi viro pœnas commereri. Quid igitur denotant ſex illæ ætates ſupplicii illis debiti? P. Alexis Salo Capucinus ſexcentos annos interpretatur. Durantius in hunc locum, ſic eum accipit, ut velit ætates illas ſex, ſpatium ſignificare uſque ad diem ſupremi Judicii. Cauſam affert, quod ſextâ ætate ſæculum eſſe finiendum plurimi tradiderunt. Verùm non dicit Angelus uſque ad finem ſextæ ætatis ſæculi, animam illam eſſe torquendam. Quare non rectè Durantius rem ſuam conficit. Quid verò nos? Equidem nihil admodum nobis licet hîc definire. Nam ætas aliàs ſpatium triginta, & aliàs centum annorum ſignificat. Hinc Ovidius, *annos bis centum vixi, nunc tertia ducitur ætas*, aliàs vitæ varias partes, ut infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, juventutem, & ſenectutem deſignat; aliàs integrum vitæ tempus: unde illa, *adulta, præcipiti, ſenili ætate.* Itaque rem Lectoris judicio relinquo.

387. *Viri nobilis purgatorium annorum 600.*

Cæterùm ſpatium longiſſimi cruciatus ſui diſtinctiùs aſſeruit, in Andrami oppido quædam anima corpore ſoluta. Cùm enim, qui hæc memorat, Monopolita, in arce, quæ illi oppido imminet, iiſſet cubitum, audiit ſtrepitus, atque fragores, catenarumque ingentium ſonitum horridum. Quibus perterrefactus, ſodalem ſuum, num hæc audiret, interrogavit. Eo annuente

388. *Purgatorium mille annorum.*

annuente, dum arrectis auribus rei præstolabantur exitum, illicò velut confringi cubiculi fores mirâ facilitate, magnoque fragore illud concuti persentiunt, fenestras quoque aperiri: summo autem diluculo accitis arcis custodibus didicerunt oberrare illic animam quamdam quæ referat se mille annis torquendam esse in pœnam scelerum illic à se commissorum. Vide Maiolum Dierum Canicularium parte. 1. colloq. 2.

389. *Vsque ad diem Iudicii Inno. III.* Venio nunc ad pœnas non prius, quàm ad judicium citetur orbis universus, finiendas, nisi piorum subsidio, earum tempus contrahatur. Atque ut de aliis ejusdem modi certiùs judicemus; sumo mihi authenticam historiam Innocentii III. Pontificis Maximi, de quo in hæc verba scribit Cantipratanus in vita S. Lutgardis.

„ Hoc fere tempore Dominus Innocentius „ III. post celebratum Lateranense Concilium ab hac vitâ migravit, moxque apparuit visibiliter Lutgardi. illa autem ut „ vidit illum ingenti flammâ cinctum, quisnam sit, percunctatur. Respondet se esse „ Innocentium Papam: & illa cum gemitu, „ Quid hoc est? inquit, communem omnium nostrum Patrem tam dirè cruciari? „ Respondit ille, tres ob causas ita crucior, „ quæ me etiam æternis suppliciis justissimè „ addixissent, nisi per intercessionem piissimæ Matris, cui Monasterium condidi, in „ extremis me pœnituisset: & æternam quidem mortem evasi: sed pœnis atrocissimis usque ad Judicii diem cruciabor. Quod „ autem ad te suffragia petiturus venire potui, mihi à filio suo Mater misericordiæ „ impetravit. His dictis confestim dispariuit. Lutgardis ejus necessitatem sororibus, ut ei sucurrerent, indicavit. Porrò „ admodum dolens vicem ejus, mirabili se „ cruciatu ejus causâ affecit. Noverit Lector nos revelâte Lutgarde tres illas causas „ non ignorare; sed pro tanti Pontificis reverentia referre noluisse. Ita Cantipratanus. Porrò Bellarminus his relatis: Si „ tam laudabilis, *inquit*, Pontifex, & qui in „ oculis hominum non probus, & prudens „ modò, sed etiam sanctus, & imitatione „ dignissimus habitus est, tam parum abfuit „ à gehennâ, & usque ad diem Judicii Purgatoriis incendiis atrocissimis puniendus „ erat, quis Prælatus non trepidet? quis non „ accuratissimè conscientiæ suæ secreta rimetur? Ego enim facilè mihi persuadeo „ tantum Pontificem non potuisse lethalia „ peccata committere, nisi sub specie boni „ deceptum ab adulatoribus, & domesticis, de quibus in Evangelio dicitur: *Inimici hominis domestici eius*. Hæc ipse lib. 2. de gemitu columbæ, c. 9. Et verò Spondanus Ecclesiasticæ Historiæ Anno 1216. præter humani divinique juris peritiam laudat ejus Pontificis pietatem, charitatem, constantiam, zelum item fidei, ac disciplinæ, ac denique probatissimos mores, additque mortem ei obtigisse ab æstu nimio, dum fidei causam prosequeretur. Quæ sanè omnia eò admirabiliorem reddunt divini Judicis de illo sententiam. Nam subire periculum æternæ damnationis, vel ob celatum in confessione peccatum mortale, vel unicum, vel ob similem causam, sat proclive est, pro mortalium imbecillitate. At hominem tantarum virtutum, rectèque factorum laudibus illustrem, gravissimis pœnis ad diem usque decretorii Judicii damnari; quis satis miretur?

Itaque si Cantipratanus lib. 2. Apum c. 51. memoret militem quemdam scelestissimum in pœnam innumerorum flagitiorum, nominatimque turpitudinum ac cædium, eisdem flammis, eidemque diuturnitati adjudicatum fuisse, facilè id concessero. Si Drithelmus apud Bedam l. 5. Hist. Ang. cap. 13. referat sibi ab Angelo narratum multos ex iis qui emendationem scelerum, & exomologesim ad vitæ finem procrastinaverunt, ad mundi quoque finem in purgatorio cruciandos, minimè infitias iero. Hæc enim vero longè similiora sunt. Si etiam Regem, aut Ducem exercitus improbum, si Judicem impium & iniquum, si hominem maleficum, & aliorum plurium corruptorem, post brevem, & tantùm non inidoneam criminum pœnitentiam vitâ functum pari pœnâ condemnatum audiero, non diffitendum censebo. At talem, tantumque Pontificem, tot rebus præclarè gestis, designatisque, tantisque virtutibus ornatum, tam acerbam, horrendamque supremi Judicis sententiam subjisse, nisi authoritate cogerer, non possem animum meum inducere. 390. *Et alii.*

Verùm quia cogor, compellor pariter aliis metuere; quin, & audeo dicere, væ Regum ac Principum infidis ministris, omnia sua Consilia ad suum compendium referentibus. Væ magnatum adulatoribus, iniquas Regum iras, & inanis gloriæ cupiditatem, innocentium sanguine, & Provinciarum vastitate exsaturandas, insinuantibus! Væ Religionum calumniatoribus, væ miserè plebis sanguisugis. Nam si cum tali viro tam severè actum est, quid vobis fiet, qui quantum assequi humanitus possumus, Innocentii III noxas, & numero, & gravitate decuplo superatis. Profectò si tartarus 391. *Quibus timendum tam longũ Purgatorium.*

si tartatus vobis pro merito vestro non obtingat, si detur ex immensâ Numinis clementiâ in ejus gratiâ decedere, habetote, perquàm probabile esse vos vestríque similes, nec breviore, nec leviore Purgatorii cruciatu esse torquendos. Illa plus nimio certa: *durum iudicium his, qui præsunt, fiet, & potentes potenter tormenta patientur.* Sap. 6. *Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in porta Samariæ. Quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes; quæ dicitis vestris: afferte, & bibemus.* Ita monet Amos Propheta c. 4. Ubi Hieronymus per *vaccas* viros lasciviæ ac gulæ deditos intelligit: & quidem Principes Israël, atque optimates. Cornelius verò iniquos advocatos ac procuratores, aliosque tropologicè accipit. Hi enim dicunt Judicibus, æquè impiis, *afferte, & bibemus*; inhiant enim velut Harpiæ bonis populi, ex iisque symposia instruunt. Audiant igitur, & hoc ejusdem Prophetæ, *Juravit Dominus in Sancto suo, quia ecce dies venient super vos, & lavabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis ferventibus*, utique diu, & acriter excoquendos.

ARTICULUS III.

An mortales tempus Purgatorii sui multum contrahere sint soliti?

392. *Improbi & medii parum satisfaciunt.*

QUÆSTIO intelligi potest vel de probis, vel medio quodam hominum genere, quibus salus curæ quidem est, sed eatenus dumtaxat, ne illâ excidant, nève æternis suppliciis sint obnoxii; nam purgatoria, quia parum novere aut certè parum expendunt, floccipendunt. Ac de his quidem pariterque de improbis facilis & obvia est responsio, negans nimirum ab alterutris pœnarum lustralium moram valde contrahi solitam. Nam prioribus cùm in omne flagitiorum genus sese effundere cõsueverint, minimè usus est aut orationis, aut jejuniorum, aut eleëmosynæ, quæ opera ad satisfaciendum idonea sunt, aut Sacramentorum, aut sacramentalium, aut sacrificii, aut indulgentiæ, quæ ad idem valent plurimum. Posteriores verò cum salutem in tuto collocare satis habeant, scilicet solâ præceptorum observatione sunt contenti. Quamvis porrò, & ipsa observatio si gratiam habitualem comitem habeat, ut meriti novi potens, ita sit satisfactionis, tamen cùm ex orci timore proficiscatur, uti parum gratiæ, sic & parum meretur indulgentiæ. Adde & hos sacrificii, & Sacramentorum, minimos percipere fructus; quandoquidem, Missæ quidem solis Dominicis, & festis diebus, idque parum reverenter ac piè intersint, ac propterea tum etiam novæ pœnæ reos se reddant: pœnitentiæ verò, atque Eucharistiæ Sacramenta semel tantùm per annum usurpent: aut sæpiùs quidem, sed semper solo ducti pœnæ timore: quo fit ut hæc Sacramenta minimum gratiæ veniæque iis obtinere possint. Adde, quod potissimum est, ejusmodi homines, quibus sola tartari tormentorum fuga proposita est, dum neglectis passim venialibus licentiùs vivunt, in mortales culpas facilè se induere, & cùm rariùs eas ritè ac legitimè apud Sacerdotem deponant, toto ferè anni spatio gratiâ sanctificante vacuos, atque ad solvenda nomina, pœnarumque obligationem rescindendam ineptos esse consueviſſe. Quamobrem & hi, & insigniter improbi vitâ defungentes, fortè vix decimam, aut vigesimam etiam debitorum partem à se solutam esse comperiunt Quid loquor? nonnumquam enim aliqui ex improbis post multorum annorum perpetua crimina, vix ultimam eorum confessionem, ut par erat ac necessarium, obierunt, quando, & obeunt mortem, & Judici sistuntur; quare & omnia nomina ignis supplicio delenda ad Purgatorium deferunt.

393. *Rarissimè rectà in cœlum eunt.*

Non ignoro nonnullos etiam ex perditæ vitæ hominibus proximè à morte sine ullâ pœnâ purgante cœlum rectà petiisse, sed hi quàm pauci? quanto etiam dolore crimina expiarant? primùm contritionem præcessisse necesse est, nec enim attritio etiam cum Sacramento ad id sufficit; quippe quòd imperfecta sit ad Deum conversio. Quomodo enim hominem tot scelerum reum, ita Deo reconciliaret, ut etiam eorum vinculis ac pœnis absolutum cœlo statim transcriberet? neque verò contritio quæcumque id valet, sive quia novimus Davidem cùm ex verâ contritione dixisset, *peccavi Domino*, audîsse quidem ex Nathan Propheta, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, id est abstulit ac remisit, nihilominus illius pœnam luisse. Additum enim est: *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, filius qui natus est tibi, morte morietur.* 2. Reg. 12. Sive quia miles ille, quem supra Cantipratanus purgantibus pœnis ad finem usque mundi addictum scripsit, cùm sine legitimâ criminum confessione decesserit, haud dubiè veræ contritionis beneficio

ficio divinitus fuit impertitus. Oportet igitur id genus contritionis, quod virtute polleat, innumeras, graviſſimasque pœnas ſimul cum innumeris, graviſſimisque noxis condonandi, ex ſummo Numinis amore dimanare. Qualis fuit illa Magdalenæ, cui dictum, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* Lucæ 7. Qualis item boni Latronis, cui idem Chriſtus, *Hodie mecum eris in paradiſo*; nec enim ſine prævio, congruoque apparatu, atque adeò nec ſine ſinceriſſimâ animi ad Deum converſione, vel tanta noxarum vis, vel tanta pœnarum acerbitas à Deo condonatur. Proinde ſicut prodigiorum ſummum ſit ita hominem derepente immutari, ut ex profligatiſſimo religioſiſſimus evadat, & ardentiſſimum rerum terrenarum amorem velut unico fortiſſimoque impetu transferat in Deum; ſic ingentis prodigii inſtar eſt hominem improbum, aut etiam eo, quo diximus pacto medium, longiſsimi purgatorii ſibi debiti tempus, multùm contrahere.

394. *probiſſimi vix venialia admittentes.* Id igitur ſolis probis competere poteſt. Quos inter primùm eos ſumo, qui ad perfectionis apicem contendunt. de quibus verum exiſtimo, quod pronuntiavit vir in Aſceticis egregiè verſatus, P. Jacobus Alvarez de Paz tom. 1. de exterm. mali l. 1. P. c. c. 9. in hæc verba: *Multi ex perfectis hominibus hoc conſequuntur, ut poſt converſionem ſuam, ac guſtatam Spiritus Sancti dulcedinem, numquam, aut rariſſimè peccata venialia ſcienter, & ex induſtriâ, & ex plenâ deliberatione committant.* Et verò id de ſe ingenuè faſſus eſt Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus, videlicet haud umquam ſibi eveniſſe, ut ſciens prudens noxam aliquam admitteret, non modò à Societatis ingreſſu, ſed toto vitæ ſpatio, quæ tamen nonum ac ſeptuageſimum annum attigit. Cujus nitoris cuſtodiendi votum nuncupaverat P. Ludovicus de Ponte, & conſtat per viginti omnino annos ab eo fideliter eſſe perſolutum. Quid? quod nonnullis rarò quidquam excidit etiam ante deliberationem, quod noxæ rationem ſortiri poteſt? Sic enim teſtis eſt, de B. Mariâ Oegniacenſi Cardinalis Vitriacus, interdum ad quindecim uſque dies omni eam pravâ cogitatione vacuam fuiſſe. Quanto magis peccato, quod ejuſmodi cogitationem neceſſe eſt habeat præambulam. Bernardinum quoque Realinum Societatis Jesu lumen, accepimus octonos menſes ab omni veniali abſtinuiſſe.

395. *Vix harent* De his igitur, ac ſimilibus hoc habeo dicere, ſi quidem luſtrales pœnas non omninò evadant, iis breviſsimè torqueri; atque ut ſuperius diximus, ſolis illis, quas privatio viſionis beatificæ infligit. nec enim perpetuus ille ac ferme illibatus vitæ nitor, ſine Reginâ virtutum charitate conſtare poteſt, & hæc ipſa gratiæ, atque veniæ maxima conciliatrix eſt, ſive per ſeſe, ſive ad ſcitâ Sacramentorum ac bonorum operum, quæ valent ad ſatisfaciendum ope: eò maximè, quòd hominis ſancti opera ex ipsâ illius apud Deum gratiâ, ſanctitateque non leve momentum accipiant, quemadmodum ad meritum, ſic ad faciliorem ſatisfactionem. Quibus adjice ex hoc inſuper capite breviorem eſſe debere hominis ſancti pœnam damni, quàm alterius, etſi paria venialia, paresque noxarum mortalium reliquas pœnas: quia vir ſanctus breviori tempore pluribus gloriæ gradibus privatur, quàm alius longiori, atque adeò plus triſtitiæ minore morâ concipit, quàm ille majore. *in purgatorio.*

396. *Aliis multa generatim deſunt ad ſatisfactionem.* Jam ut de cæteris agamus, quia longum eſſet per varias hominum claſſes diſcurrere, ea tantummodo proponam, quæ promiſcuè peccari ſolent ab iis, qui opera ad ſatisfaciendum idonea exercent. Imprimis ea in medium produco, quæ univerſim obſtant cuivis generi ſatisfactionis. Nihil porrò illi magis immicum eſt culpâ lethiferâ: hac enim ſtante, nec ullius noxæ etiam venialis, nec ullius pœnæ illi debitæ venia fieri poteſt. Quippe quod omni gratiâ, veniaque indignum ſe præſtet, qui mortales cùm Deo gerit inimicitias. Etſi autem mortiferi peccati reus ſumptis ultrò de ſe pœnis, fortaſsis ſatis pati poſſet, & aliquantum de ſupplicio peccatis venialibus debito detrahere; tamen nullo numero illud cenſendum eſſet, quoniam citra Chriſti ſatisfactionem, quæ operibus in gratiâ patratis, non verò patratis in ſtatu peccati mortiferi, applicatur, omnis noſtra pœna ad Purgatoriam venialibus debitam vix nomine pœnæ digna eſt, atque ideò vix illius particulam poteſt ſolvere.

397. *Contritio extra ſacramentum.* Alterum hîc obſervandum eſt, probabilius eſſe attritionem extra Sacramentum, venialia minimè delere: tum quia alioqui homini juſto venialia numquã virtute clavium condonarentur, cùm prius deleta eſſent vi attritionis abſolutioni Sacramentali prævia: quia culpa etiam venialis, eſt quædam à Deo averſio, ergo non niſi voluntatis ad Deum converſione poteſt aboleri. Rectè autem notat Leſsius in Poſthumis de pœnitentiâ, converſionem illam non neceſſariò profluere debere ex amore Dei ſuper omnia, adeò ut ſit perfecta contritio, atque odium peccati ſuper omne malum.

ſufficit

sufficit ergo, ut ex affectu aliquo benevolentiæ in Deum procedat: quoniam cùm ad mortalis extra Sacramentum condonationem contritio perfecta sit satis, imperfecta illa ad remissionem venialis sufficiat, oportet. Denique ne pœnas quidem peccatis jam remissis debitas posse condonari puta, nisi earum reus actu voluntatis, eoque supernaturali eâ veniâ dignum se præbeat: propterea quòd, & omnis satisfactio nostra, meriti rationem sortitur, & id genus conditionis ad meritum requiritur. Ex quibus liquet multa passim multis obesse, quo minus piis operibus divinæ Justitiæ faciant satis, pœnarumvè in Purgatorio debitarum diuturnitatem contrahant. Quippe quòd vel mortalis noxæ rei sint, dum ejusmodi opera exercent, vel interea dum exercent non exuêre affectum ad noxas veniales, vel etsi exuerint, non induêre amorem illum Numinis ad reconciliationem cum eo idoneum: vel denique quòd solo fere naturæ motu ferantur, quocumque feruntur, ut ne reliquias quidem pœnarum ex peccatis condonatis remanentes possint persolvere.

398. *Nominatim amor Numinis.* Porrò ex proximè dictis sequitur ea, quæ vulgo vocantur opera satisfactoria, scilicet orationem, jejunium, & eleëmosynam, nisi ex affectu mentis in Deum dimanent, eoque velut animentur, pro venialibus culpis minimè satisfacere: etsi ad id impetrandum destinentur. Quod quidem duriusculum est, tamen animadvertendum ut securiùs procedamus. Licet enim contraria Suarii, Coninck, Præpositi, & aliorum sententia aliquibus meritò probari queat, ea tamen probabilitas nihil confert ad veram noxarum remissionem, si revera Deus benevolentiæ, aut charitatis divinæ actus ad eam extra sacramentum concedendam exigat. Néque aliter de Sacramentalibus existimandum. Cùm enim ex probabilissimâ sententiâ non per seipsa, & velut ex opere operato venialia deleant, sed quatenus propter Ecclesiæ preces, & suffragia impetrant nobis auxilia gratiæ excitantis, piosque animi motus, primùm si eos minimè amplectamur, Sacramentalia nihil præterea efficient; sin autem amplectamur, vel meram attritionem excitant, & rursus venialium condonationem non obtinent, vel Numinis amorem, & tum dæmum, nec aliàs, nec aliter eamdem veniam consequuntur. Quin etiam cùm Missæ sacrificium non aliter culpas veniales exterminet, quàm gratias actuales impetrando, quibus illæ deleantur, ut plurimi tradunt, consequitur eas gratias amoris Divini provocatrices esse debere, & simul admitti, ut venialia expient; quamquam idem sacrificium per sese proximè pœnas peccatis debitas condonare possit. Quare hinc etiam patet, quam nulla, aut certè quàm incerta sit plurimorum satisfactio pro noxis venialibus, cùm tam pauci sint, qui ex amore Numinis, vel preces fundant, vel animum frangant, corpusque jejuniis, aliisque modis afflictent, vel erogent stipem, vel aquâ benedictâ utantur, vel quid aliud perficiant.

Soli igitur duo fontes veniæ supersunt; Sacramenta, & indulgentiæ. Illa porrò cùm pleraque semel tantummodo usurpentur, ut baptismus, confirmatio, & ferè extrema unctio: cùm etiam Eucharistia culpas veniales non aliter, quàm excitatis piis motibus, aboleat, solùm prope relinquitur pœnitentiæ Sacramentum ad culparum expiationem. Et certùm quidem est solam attritionem ad eam per absolutionem Sacramentalem consequendam sufficere; sed tamen non minùs exploratum multa sæpe in pœnitentiæ Sacramento evenire, quæ vel culparum venialium, vel pœnarum aliis quibuscumque noxis debitarum, remissionem impediant. In primis tam exigua esse potest attritio, ut præter peccata mortalia, pœnæque æternæ condonationem perparum cum Sacramento obtineat, quo pacto propè tota pœna temporalis mortalibus debita, luenda manet. Nec dicas magnam pœnæ partem expiari operibus ad Sacramentalem satisfactionem injunctis. Etsi enim fatendum sit ea opera propter ejusmodi injunctionem multò plus ad veniam promerendam valere, quàm si sponte suscipiantur, idque propter Christi institutionem, tamen cùm in pœnam non unius lethalis culpæ, recitatio brevium precum imponi solita sit, quis credat eâ peractâ, omnem cruciatus in Purgatorio solvendi, obligationem, aut magnam partem dilui? Imò quis contra non sibi persuadeat potissimum illius pœnæ superesse luendum? maximè si antiquos pœnitentiæ Canones attendat, qui unico mortali delicto pœnam septem annorum imponebant, atque ut omninò censendum est, minimè injustè.

399. *Et alia in pœnitentiæ Sacramento.*

Cæterùm quod ad venialium condonationem attinet, constat ea sæpe vel non proponi Confessario, utpote levia in speciem, vel nullo fermè dolore, vel sine emendationis proposito, atque adeò frequenter minimè remitti per exomologesim, multò minus pœnas iis commensas. Sed fac & confessionem, & legitimum dolorem, & emendationis propositum adhi-

400. *Et in confessione venialium.*

beri, equidem ægrè inducam animum quadringentorum, aut etiam mille venialium pœnas omninò expungi, si ut solet, in Sacramentalem pœnitentiam indicantur quina dumtaxat, aut septena Pater & Ave pronuntianda. Quid igitur? inquies: Ergo malè agitur cum reis ac confitentibus, si jam pro Ecclesiæ more benignè? minimè verò; hanc enim indulgentiam exigit imbecillitas humana, periculumque, ne injunctarum gravitate pœnarum, mortales à confessione absterreantur. Cæterùm qui sibi probè consulunt, severitatem in Confessariis amant, & acerbiores pœnas sibi ab iis imponi petunt, ne quid in ardente illo carcere multò durius luendum supersit. Et tamen quotusquisque ex austerissimis & durissimis in corpus suum animumque mortalibus, dum è vitâ migrat, omnia nomina sua se omnimodè deleviſſe comperiat? Quî ergo credam confessione Sacramentali ea omnia solere dissolvi, cùm neque susceptî ultrò plurimi, maximique cruciatus, confessioni ac dololori perpetuò adjuncti, purgantium pœnarum immunes reddere consueverint? Et quid, quæso, existimandum est de vulgarium hominum confessionibus venialium, quæ quia illis familiaria, & per humanam fragilitatem vix evitabilia sint, vix eorum recordatio tangit animos, nec nisi votum doloris elicit, certè quidem ad summum elicit tenuissimam emendationis voluntatem?

401. *Imò, & in Pontificiis indulgentiis.*

Itaque demum veniendum est ad Pontificias indulgentias, ut pœnarum plenissimam veniam faciliùs ac certiùs consequamur. Verùm, & earum adeptio multis ex capitibus ambigua est, & frequenter frustratur. Nam ut præteream nec concessas sine causâ valere indulgentias, neque ut causa justa sit, plus valere, quàm causæ momentum exigit, quod momentum non est nostrum expendere; ut, inquam, hæc præteream, non est dubium, quin multis obsit hac in causâ crimen lethiferum animo hærens, etiam tum, cùm veniam Pontificiam aucupatur. Constat enim illud ultimum opus pium, quod exigitur, peragiturque ad Pontificiam veniam adipiscendam, in statu gratiæ divinæ peragi oportere; & credibile est, non ultimum tantùm, sed integrum opus ad id requisitum, eumdem statum exigere. Id enim tenent graves Theologi, ut Caietanus aliique. Et verò opus in statu peccati mortalis præstitum, ut Deo gratum esse nequit, quia ab inimico, sic nihil, aut parum conferre videtur ad finem ab Ecclesiâ intentum. Ideò enim præscribitur, ut per illud, gratum Numini obsequium exhibeatur, itaque demum venia obtineatur.

402. *Causa præcipua, quia culpa delenda prius quàm pœnæ ejus obligatio.*

Sed caput est hac in re culpas etiam veniales esse delendas, priusquam pœnarum iis debitarum indulgentiâ frui possis: nam culpæ omnis comes individua est obligatio ad pœnam, necesse igitur est culpam deleri, ut hæc quoque desinat. Alioquin enim posset quis venialium culparum reus decedere, ita tamen, ut pœnæ illarum reus non esset, si nempe indulgentiam pœnæ, non verò culparum veniam obtinuisset. Atqui ut deleantur culpæ, exploratum est animum eas detestari & odisse oportere; nec minus compertum, facilè, & persæpè iis illum adhæresce re; ut patet in mercatoribus, qui cùm mendacia sibi fere ad quæstum necessaria autument, quantumlibet ea confiteantur, illorum studium non deponunt. Idem de aliis pari jure ac ratione sentiendum docet experientia. Sed eo studio depositio, non continuò culpa venialis exterminatur, ut prius diximus. Quamobrem necesse est obligationem ad pœnam illi commensam perstare, adeoque quidquid tunc agas indulgentiæ Pontificiæ consequendæ causâ, irritum fore. Et sic, arbitror, non rarò evenit multis, ut suo vitio plenæ veniæ minimè compotes esse possint. Et fieri potest, ut ne illius quidem participes sint, adhibitis licet cæteris ad ejus consecutionem requisitis: si nimirum venialia, quibus scatent, minimè expiata retineant. His accedit probabilitas illius sententiæ, quæ opus moraliter bonum exigit ad ejusdem Pontificiæ veniæ lucrum. Cùm enim illud præscribatur ad supplendum causæ Pontifici propositæ momentum, quî eò conducet, si malum, & damnabile sit? Notum est non paucos è Christianis eo vitio veniâ speratâ frustrari, quippe quibus satis est præscriptum opus impleſſe; rectène an secus, parum pensi habent.

403. *Rarissimè plena indulgentia obtinetur.*

Denique undecumque impedimentum objiciatur, abundè demonstratur perpaucis, & rarissimè obtingere, ut plenam noxarum indulgentiam obtineant. Enimverò si alias umquam obtinerent, maximè in morte; sive quia tunc omnes animæ vires exeruntur ad idoneum de noxis dolorem concipiendum: sive quia instante, & inhorrescente jam propiùs Purgatorio, ardentius est indulgentiæ desiderium, & idcirco animus veniæ impetrandæ est aptior; sive quia opus præscriptum, si umquam aliàs, singulari cum pietate peragitur. Verùm sat quoque perspicuum est, ex tot mortalibus, quibus jam morti proximis

sacra

sacra numismata non semel applicantur, quique nomina JESU, & MARIÆ piissimè invocant, & identidem sæpiùs ante mortem pronuntiant, paucos rectà in cœlum evolare, imò pauciſſimos: imò vix ullos saltem de vulgo. Et verò asseruit B. Veronica de Binasco, singulari religione fœmina, divinitus sibi renuntiatum, paucis ita suffragari Apostolicas litteras, seu Indulgentias, ut purgatorii pœnas experiri aliquo modo non cogantur. Vide Bollandum in ejus vitâ.

404. *Patet in religiosis.* Deinde, si quibus id beneficii eveniret, ii maximè essent homines religiosi. Ut enim verè Bernardus, *Nonne hæc religio sancta, pura, & immaculata, in quâ homo vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quiescit securiùs, moritur fiduciùs, purgatur citiùs, iuvatur copiosiùs.* Hom. super Evang. *Simile est Regnum cœlorum homini negotiatori.* Cùm ergo religiosi minùs inquinati decedant, minùs etiam sordium purgandum habent, ac proinde minor indulgentia, plena illis esse potest, quæ non esset reliquis: Et tamen licèt multis nominibus plenam acquirere valeant, studeantque, nimirum virtute instituti, variorumque numismatum, quibus, & in vitâ, & in morte utuntur, eorum aliqui per multos annos ardent flammis lustralibus, alii pro noxarum levium expiatione preces viventium dum sese ostendere datur, efflagitant. Quid igitur de cæteris licebit opinari?

405. *Et sanctis.* Quid de viris ac fœminis sanctis dicam? Estne credibile eos indulgentiarum usum neglexisse? atqui jam inde à Silvestro Pontifice Maximo, earum in Ecclesiâ usus reperitur, & post recensentur concessæ nominatim à Gregorio Magno, Paschale I. Leone III. Sergio II. Urbano II. Urbano IV. & cæteris. Igitur & Sancti, Sanctæque indulgentiarum usu Deum sibi ac potissimùm proximè ante mortem conciliare conati sunt; & tamen Pelegrini, Vitalinæ, aliique, & aliæ in tristissimum Purgatorii ergastulum conjecti, nec parumper eò detenti sunt.

406. *Ideo sibi consulendum.* Si verò etiam subinde Sancti, quorum charitas operire debuerat non multitudinem, sed paucitatem peccatorum, nec plenam in morte veniam Pontificiam obtinuere, nec purgantes pœnas evadere potuerunt, quid multarum reis, & noxarum, & pœnarum exspectare fas erit? Et si postremò bona opera, sacramentalia, Sacramenta, Indulgentiæ, Purgatorii tempus sæpe & in multis non contrahunt: quàm meritò longa illius mora iis timenda est, qui quò magis ea negligunt, eò plures noxas, plusque debitorum ad Purgatorium deferunt? Itaque si qua vestri vobis cura est, O mortales, iterum, iterumque moneo, & hortor, demite de multitudine noxarum, & pariter de diuturnitate pœnarum detrahetis, frequentate diu pia opera ac Sacramenta, indulgentiasque multas colligite, & longos Purgatorii dies in breve spatium cogetis. Denique amori divino omnia vestra devovete, & justitia nihil vestrum sibi olim vindicabit.

ARTICULUS IV.

Lustralium cruciatuum Diuturnitas amplius Demonstratur, & propter eam mortales ad commiseration em piorum manium commoventur.

MISERIA infælix, & invisa mater, prolem amabilissimam gignit, misericordiam, ubi pectus humanum invenit. Solet autem hæc, debetque esse major, ac vegetior, quò mater infelicior, & annis fractior. Cùm ergo antehac miseriæ piorum manium velut obstetricati simus ad ingenerandam Christianis animis ex dolorum acerbitate pietatem, consequitur, ut ex eorum tantâ, quantam admirati sumus, diuturnitate, eamdem elicere conemur. Enimverò mali diuturnitas ipsa per sese gravis ac molesta est, quippe quia malum eò magis multiplicat, quò est prolixior. Nam si tres, ut aiunt, gradus doloris hodiè sentias, & cras, ac perendiè totidem, post triduum novem persenseris. Adde animum hominis sensim flaccescere, & qui nunc pronus est ad ferendum fortisque, velut deteri patiendo, brevique eidem dolori ferendo imparem sibi videri. Ita quod aliàs tolerabile censetur, diuturnitate fit intolerabile. Id quod egregiè expertus est facinorosus ille, qui à S. Liduinâ, cui scelera detexerat, jussus eorum in pœnam supinus immotusque unam noctem cubare, cùm se molli lecto immersisset, nec situm illum, nisi ægerrimè ferre posset, cœpit secum ipse reputare quantò molestior sibi futurus esset invariabilis in orco situs, atque demum ad meliorem vitam traductus est. Et sanè etsi virgulæ tactus, aut aciculæ punctura, aut pulicis morsus joco identidem excipiantur, tamen

407. *Mali diuturnitas per se magna.*

nemo est, qui in gravibus malis ea non numeraret, si ad duos, trésve annos essent duratura. Et *si quis*, ut rectè Bellarminus l. 2. de gem. columbæ c. 9. *certus esset, se pedum, aut stomachi, aut capitis, aut dentium, aut calculi dolore, continuos viginti annos, sine ullâ intermissione, laboraturum, sic ut neque somnum capere, neque requiescere posset; mallet ille mori potiùs, quàm sic vivere.* Et si optio *daretur, an vellet sic tot annos vivere, an iacturam facere omnium fortunarum, promptissimo animo omnes fortunas abiiceret, ut à tam immani & tam continuo dolore liberaretur*; hæc ipse. Ex quibus cum eo conficere possumus, Purgatorii pœnam diuturnitate supra omnem modum horrendam esse.

408. *Maximè Purgatorii.* Etenim si cruciatus hujusmodi, qui ad Purgatorios nulli sunt, adeò diuturnitate inhorrescant, quantum horroris incutere isti debent, quantumúe doloris parere? & si eorum momentum intolerabile est, quomodo tolerabitur decennium, aut vicennium. Siquidem eò mali cujuspiam diuturnitas gravior est, quò malum atrocius; maximè si ut in carcere expiatorio, continenter ac sine ullâ intermissione affligat. Sed demus flammam expiatricem per se non esse adeò atrocem, concedamus D. Bonaventuræ, ejusque asseclis, minimam Purgatorii pœnam maximâ hujus vitæ majorem non esse. Quin etiam addamus decuplo esse mitiorem; his etiam gratis concessis, manifestè demonstro centuplo, & longè ampliùs frequenter cruciare. Siquidem si de morte agatur, quæ summum omnium malorum, certè terribilissimum censetur, constat eam momento obiri. At nonne centias, nonne multò amplius horulæ spatium in Purgatorio ut minimum exigi solitum momento est longius? Si verò de diuturnis tormentis sermo est, vel morborum, vel ignis lenti, vel virgarum, vel hujusmodi: comparemus primùm illa cum suppliciis purgantibus diuturnissimis mille & amplius annorum; perspectum est tormenta hujus vitæ longissima centuplo breviùs minusque cruciare. Quia lentus ignis trium circiter horarum spatio hominem necat; virgæ si atrociter infligantur, teneris præsertim partibus, aut corporibus, haud scio an diutius in earum perpessione vita constaret. Solummodò difficultas est de morbis, aliisque cruciatibus sæpius iteratis; at hi, ut plurimùm, si summus est dolor, brevi sensum adimunt, mortemque accelerant; sin autem est mediocris, diu quidem durare possunt; at & somno intermittuntur, & rescillamentis leniuntur, & remediis minuuntur. At in Purgatorio nulla omnino quies, nulla pœnarum intermissio, perparum solatii invenitur: atque ut remittat dolor, diuturnitate profectò molestissimus est, & multis est probabilius minimè illum remittere, certè optabilius piis manibus esse videtur ut eò citiùs Deo fruantur.

409. *Quantum cruciaret ordinaria mora, etsi pœna esset mitior.* Verùm fac remittere, fac totâ vitâ durare morbos, ac tormenta, ut calculum, & ejusmodi; quid vitæ spatium ad mille & amplius annos? Et quis non mallet acerrimâ febri exuri ad mensem, quàm hecticâ tabescere ac langueścere totos quinquaginta annos? Jam si ordinaria vitæ tormenta cum ordinariis Purgatorii compares, hæc quoque illis centuplo diuturniora comperies. Atque ego quidem ea voco ordinaria Purgatorii supplicia, quæ sunt hominum mediorum, inter probos improbosque: quia rariùs quidem, sed mortalia tamen admittunt (Pone singula singulis mensibus) venialia autem promiscuè, & vel joci causâ cumulant: cæterùm indulgentias rarissimè quærunt, rarò obeunt Sacramenta: & iterum aio centuplo diutiùs graviusque in Purgatorio cruciari, quàm qui ordinaria hujus vitæ tormenta patiuntur. Enimverò mille ducentos Purgatorii annos exigerent sola venialia, si vicena singulis diebus annorum sexaginta tribueres, & singulis venialibus unicum pœnæ diem, singulaque disjunctis temporis spatiis plecterentur. Porrò unicum mortale longè prolixius Purgatorii tempus per se exigit, quàm tot venialia; tamen multo plura & venialia, & mortalia illis quos descripsi hominibus assignanda sunt: quantum igitur tormentorum spatium? Sed redige illud ad annos centum; redige ad quinquaginta, sive quia diuturnitas gravitate compensatur, sive quia confessionibus, Synaxibus, bonisque operibus, veniam aliquam obtinuêre: nonne sat multum illis concesseris? At nonne etiam quinquaginta annorum tormenta Purgatorii, diuturnitatem gravium, & ordinariorum hujus vitæ tormentorum centuplo superant, cùm supplicia reorum singula, ne horulæ quidem occupent quadrantem?

410. *Diutius omnino quam omnes latrones, aut Martyres.* Mirum dictu! unica de vitâ functis anima post vitam non improbè, non injustè peractam, diutiùs hærere posset in lustralibus tormentis, quàm octingenties mille latrones in crutifragio, licèt singulorum supplicio dimidiatam horam assignes. Quia nimirum illa quinquaginta annis torqueri potest, & omnes illæ dimidiatæ horæ non tot annos conficiunt. Mirùm etiam cogitatu, & omnium mortalium commi-

commiseratione dignissimum! Innumemeri Martyres, innumeriúque prædones, ac malefici, non tam diu conflictati sunt cum omni genere tormentorum, nec ad diem usque extremi Judicii conflictabuntur, quàm diu torquentur, aut torqueri digni sunt aliqui manes in lustrali carcere, quippe qui ad mille & amplius annorum tormenta continua adjudicati sunt. Et quis non videt innumera illa Martyrum, prædonum ac maleficorum tormenta non potuisse, aut posse, tam ingens temporis intervallum occupare? neque verò dicas nonnullos Martyres, ut SS. Clementem, & Agathangelum pluribus annis excarnificatos fuisse: nam & hi pauciſſimi sunt, & eorum tormenta diutissimè intermittebantur, & cùm repeterentur, fortè vix horam durabant. At piorum manium pœnæ sine ullâ intermissione, diu noctuque continuantur, nec ullam quietis partem eis umquam permittunt. O igitur moræ tormentum grave supra omnem modum! O sanguineis lacrymis mortalium omnium dignissima, vel unica è functis anima, quæ tam longo tormento digna est!

411. *Acerbitas illius moræ ex ejus notitia.*

Cæterùm acerbitas illius tantæ moræ ingravescit ex hisce capitibus. Nam animæ dum judicantur, uti peccatorum gravitatem, ita cum pœnarum gravitate diuturnitatem illis commensam ex Judice cognoscunt; nec deinceps ejus memoriam ex animo delere possunt. Quare jam inde ab initio, & deinceps totam pœnarum molem ac molestiam animo quasi congestam, & totam quodammodo præsentiunt. Etenim quemadmodum vehementer ille gaudet, qui non modò optatis potitur, sed unà cognoscit diu sese illis potiturum, ita contra cognitio diuturnitatis cruciatûs, quem præsentias, dolorem non parum exaggerat. Quod si etiam in humanis brevium malorum certà provisio molestissima est, *Mórsque minus pœnæ, quàm mora mortis habet.* Si Osorius Diego Hispanus auditâ mortis sibi subeundæ sententiâ, ita turbatus animo, & afflictatus fuit, ut nocte una incanuerit; unde extat versus: *O nox quàm longa es, quæ facis una senem!* Quantopere miseras animas excruciat cognitio tantæ diuturnitatis tantorum tormentorum!

412. *Et quòd sit pœna brevis gaudii quam facilè poterant redimere.*

Verùm altera notitia miserum in modum exacerbat, nempe exsorbendam illam esse in pœnam, brevissimæ, quàm peccando hauserunt, voluptatis. Heu gravissimè dolent ad se spectare hoc Ezechielis vaticinium c. 23. *In viâ sororis tuæ* animæ deliciis deditæ *ambulasti: & dabo calicem eius in manu tuâ*; vis scire quem calicem? *Hæc dicit Dominus Deus: calicem sororis tuæ bibes, profundum, & latum*, profundum, inquam, pœnarum magnitudine, & latum earumdem diuturnitate. *Eris in derisum, & in subsannationem, quæ est capacissima, Ebrietate, & dolore repleberis, calice mœroris, & tristitiæ: & bibes illum, & epotabis usque ad fæces, & fragmenta eius devorabis, & ubera tua lacerabis.* Quæ omnia demonstrant, voluptati, quæ peccato vix percipitur, tum reponi acerbissimam tristitiam, tum eam diu, & ad ultimam velut usque guttam exhauriri. Itaque hoc ipsum experientiâ suâ dum probant defuncti; Heu! amarissimè lamentantur, fuisse olim in sua potestate facilè, & unico die persolvere, quod solvendum est spatio unius anni Purgatorii, & neglexisse. Cæterùm id infaustæ sortis repræsentatum est divino isto ad eumdem Ezechielem mandato cap. 4. *Et tu dormies super latus tuum sinistrum, & pones iniquitates Israël super eo numero dierum, quibus dormies super illud, & assumes iniquitatem eorum; ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum numero dierum trecentos, & nonaginta dies: & portabis iniquitatem domus Israel: & cùm compleveris hæc, dormies super latus tuum dexterum secundò, & assumes iniquitatem Juda quadraginta diebus, diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.* Ubi Deus unicum pœnæ diem Ezechieli tolerandum assignat in satisfactionem pœnæ animæ criminibus debitæ, quasi dicat, inquit Cornelius, *pro annis trecentis nonaginta iniquitatis Israelitarum, iniungo tibi pœnam decubitus super latus sinistrum per trecentos nonaginta dies. Pro annis verò quadraginta peccatorum Juda, cubabis super dextrum totidem dies quadraginta.* Quàm Numinis clementiam pii manes sibi, dum vita manebat, propositam, sese floccipendisse, gravissimè jam ferunt: quando ex adverso iisdem indicitur annus gravissimi supplicii pro die, imò pro horulâ voluptatis, quasi & illis intonet Deus funestam illam in Israelitas murmuratores sententiam nu. cap. 14. *Juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram, annus pro die imputabitur, & quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, & scietis ultionem meam.* Sed quid annum pro die reddi memoro? Heu gemunt, & dolentissimè ferunt memoriam voluptatulæ brevissimo tempore præteritæ, quinquaginta subinde, imò, & centum pœnæ annis adjudicatæ, quod ex historiâ Alexandræ illius Hispanæ à nobis supra

relatæ colligitur, & pari ratione homicidis, adulteris, constupratoribus pertimescendum est.

413. *Supra modum pœnarum omnium humanarum.*

Itaque magno quidem constitit Davidi Regi oculorum conjectus in Bersabee, quot enim flagitia, quot, & quàm diuturnæ calamitates inde secutæ? magno quoque Roboamo stetit durior ad populum responsio, quâ factum ut decem tribus Israeliticæ ab eo deficerent, & pluribus annis divisæ remanerent: magno denique redemisset Theodosius Imperator datam militi facultatem, unius Ducis necem à Thessalonicensi plebe patratam ulciscendi: hæc enim ultio non nisi septies mille Thessalonicensium cæde expleri potuit; & multis lacrymis, multaque per octo menses submissione, ac pœnitentiâ Cæsari constitit. Sed viditnè sol iste aliquando tam diuturnam, gravemque pœnam tam brevi noxæ imponi, quanta imponi solet in carcere expiatorio? Itaque maximè in illos, qui eo detinentur, quadrat Caroli Borbonii lemma. Cùm enim exprobratum illi esset, nullâ causâ, atque ut Gallicè dicitur, *pro nihilo*, turbatam ab eo Galliam, ipse in insigne sibi sumpsit globum terrestrem filo è nubibus pendulum, cui circum adscripsit hoc lemma; *de nihilo res magna*, Gallicè, *de rien choses grandes*, & sanè voluptatulæ momentum nihil est ad œntum, & ampliùs annos incendii expiantis.

414. *Item quòd minimè omnium juventur qui diu Purgantur.*

Porrò his accedit tertia causa ægritudinis animarum, ex tam longâ Purgatorii morâ. Nam quæ diutissimè illic conflagrant, minimè omnium adjuvantur. Quippe quòd jam vel fugiant hominum memoriam, propter temporis, ex quo decesserunt, diuturnitatem, vel quia nullius opis indigere credantur; vel quia posteri proximos parentes pœnis eximere magis studeant, & dum pauculas preces horum saluti impendêre, piget alias Majoribus destinare. Quis animum induxisset Ludovicum Pium Imperatorem adhuc precibus egere ad levamen pœnarum post elapsos triginta & amplius à morte annos? Cùm Regibus, & Imperatoribus tot preces, & sacrificia privatim, ac publicè per totum Regnum & Imperium destinentur? Ipse tamen post tantum spatii, Ludovico filio, atque in Imperio successori, nocte quadam precanti, interposito Christi nomine supplicavit, ut se tormentis, quibus cruciabatur, liberaret, quo demum vitæ beatæ particeps posset effici. Quo viso ita perculsus fuit filius, ut è vestigio omnes Regni sui viros Religiosos per litteras obnixè flagitarit preces, ac sacrificia, pro parentis defuncti obtinêdâ libertate. Quis Hugonem Petrapontium, Episcopum Leodiensem non virtute minus, quàm genere nobilem, non brevi cœlo potiturum speraret, cui in preces incumbenti divina bonitas eam pietatis suavitatem impertiebatur, ut uberrimo sæpè lacrymarum imbre perfunderetur, quippe his temporibus floruit, quo Joannes Abbatulus, B. Lutgardis, B. odilia, B. Simon Alnensis, utraque Ida, B. Maria Oegniacensis, Juliana, Eva, Joannes Nivellensis, aliique, & aliæ Sanctimoniâ florebant. Qui insuper duobus ante mortem annis scripto testamento, Cisterciensibus aliquot Abbatibus crediderat triginta duo marcarum millia, eoque amplius, quæ post mortem erogarent, partim in eos quibus teneretur, quocumque nomine, partim in ædes sacras, Afœteria, egenos, viduas, pupillos per totam Diœcesim. Qui denique Ecclesiâ Leodiensi annis viginti novem feliciter administratâ, bonis omnibus acre sui desiderium reliquerat. Quis, inquam, talem, tantumque virum non paucos annos hæsisse in flammis lustralibus, & à suis derelictum crederet? Et tamen *vide*, inquit, noster Fisen, ex quò hæc deprompsi, *quantum rationes humanæ dissideant à divinis*. Non diu decesserat Hugo, quando se cuidam videndum exhibuit (B. Odiliam fuisse putat Transmosanus) affirmans se quidem æternos cruciatus evasisse, aliis tamen longè acerbissimis purgari, donec cœlitum choris inseri mereretur. At cùm sensim, ut humana fere sunt omnia orantium pro illo studium se remitteret, pridie Pentecostes Sacerdoti (cum item Transmosanus autumat fuisse Joannem Abbatulum) suo quondam necessario in lectulo quiescenti, horrendo ejulatu somnum excussit. Evoluto deinde annorum quinque spatio ad eumdem Sacerdotem rediit, questusque graviter à cæteris omnibus in durissimâ necessitate se deseri, ejus saltem quàm maximè suppliciter opem imploravit. Suam omnem operam ille liberaliter promisit, nec impendit segniùs, factumque est ut post breve tempus idem ille Sacerdos Hugonem in cœlum viderit intrantem, deducente clarissimo frequentium Episcoporum agmine. Ita Fisen in illius vita a. 12. Non est cur de aliis hîc loquar sigillatim: tantummodo id peto, si etiam Reges, post aliquot annos à morte, & negliguntur, & oblivioni traduntur etiam ab iis, quos beneficiis maximè expetitis affecerant, quique illos vivos venerabantur, ut quosdam deos; si Præsulibus optimis idem obtingat;

quid

quid futurum censeamus vulgaribus hominibus, quorum funeri adfuisse satis, & plus satis, compluribus videtur? Quid iis, qui & ipsi neglexêre defunctos, & progeniem reliquêre parentibus vitiosiorem? Equidem ita existimo, plurimos, dum migrant è vitâ, immigrantque in subterraneam illam ac tenebrosam Purgatorii specum, admirabundos offendere illic avos, abavos, tritavos, & alios majores, & ingenti propterea affici tristitiâ, sive quia eorum miseriis gravissimè commoventur, sive quia se pariter autumant derelinquendos. Cæterùm si durum est tantis in tormentis non juvari à suis cùm facillimè possis, quàm erit acerbum non juvari tam diu?

415. *Imo, & à suis affligantur.* Quòd si verò hoc ipsum tam durum ac crudele est, quale erit ab iisdem affligi, eoque vehementiùs, quò diutiùs in ergastulo illo flammeo commorantur! non jam loquor de parentum pœnâ, qua filii, ac nepotes, pravo usu facultatum, ab iis cum aliquo salutis dispendio partarum, illos discruciant, si quod credibile est, in Purgatorio illum resciant, in pœnam immodici & iniqui in suos amoris: non ago de criminibus filiorum ac nepotum, quibus nimiâ indulgentiâ peccandi ansam dedêre, propterea que eorum notitiâ puniuntur, eoque magis, ac spatio temporis longiore, quò magis crimina illa eodem spatio cumulantur. Verùm sermo mihi est de gravissimis tormentis, quibus pios manes ex suorum, seu filiorum, seu amicorum in purgantia loca descensu conflictari necesse est. Quò enim longior eorum mora illic est, eò plures è posteris & amicis suis ea subire & perpeti vident; & quis ambigat, quin cum novo & acerrimo dolore? Ut enim beatis ex novorum cœli incolarum adventu ac beatitudine nova semper lætitia obtingit, ita & piis manibus nova in dies tristitia ex adventu novorum Purgatorii inquilinorum: Præsertim filiorum, nepotum, aliorumque sanguine & amicitiâ junctorum.

416. *Propter amorem subeuntium Purgatorium.* Quemadmodum enim amicorum bona sors gaudium amicis parit, sic & mala mœrorem. Quis verò existimet amorem à piis manibus exui, dum vitam exuunt? Quin etiam perspectum est amorem supernaturalem in iis magis excitari, tum quia rerum divinarum præstantiam clariùs vident, atque adeò pluris faciunt: tum quia animæ nepotum atque amicorum in gratiâ charitateúe divinâ confirmatæ sunt. Atqui filiorum amicorumque mala, quantos in parentibus tristitiæ motus ciere solent! Indegundis S. Ermenegildi uxor, fortissima alioqui Heroina lectis illius ad mortem se parantis litteris, auditaque simul morte, novercæ machinationibus, carissimo marito crudeliter illatâ, viso etiam præpropero fato puelli ex eo suscepti nimirùm, & ipsa brevi amore ac mœrore confecta est. Agar Ismaelis parens, cùm in siticulosâ eremo consumpsisset aquam, quam utre detulerat, jamque parvus Ismael siti emoriturus videretur, *abiecit*, inquit sacer Historicus Gen. 21. *Puerum subter unam arborem, quæ ibi erat*, nempe, ut commentatur Abulensis, *ne videret signa cruciatus pueri in exitu animæ in vultu, & voce, & ex hoc multùm afficeretur.* Et notum est parentes liberorum miseriis acerbiùs affici, quàm suis. Quamobrem Deus Israelitas timore urgere volens ad observationem Decalogi. *Ego sum*, inquit, *Dominus Deus tuus, fortis Zelotes visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem* Exod. 20. Quid? quòd Rex David intuens Angelum urbi Jerosolymitanæ pestem exerto ac flammivomo gladio intentantem, misericordiâ in populum permotus, pœnam in se converti petiit. *Ego sum*, exclamans, *qui peccavi, ego qui iniquè egi, isti, qui oves sunt, quid fecerunt?* Cùm ergo pii manes, quos longior Purgatorii mora exurit, non populum suum, non unicum filium, sed plurimam prolem usque ad quartam quintamúe generationem, & amplius, comburi intuentur, quantis premuntur angustiis! quot tormenta in tot liberis perpetiuntur!

417. *Exemplo epulonis.* Et ejusmodi nimirùm tormenta metuebat ille dives Epulo, cùm Abrahamo diceret, *Rogo te, Pater, ut mittas eum in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum* Luc. 16. Etsi enim veræ in suos misericordiæ virtute non movebatur ille perditus, etsi fratrum conversionem non exoptabat, Dei hominumque osor: tamen meritò metuebat, ne si & hi incendiis æternis immergerentur, suppliciis suis aliqua accessio fieret: quia cùm eos adhuc amore naturali diligeret, non poterat in tantis tormentis sine commiseratione naturali conspicari. Adde augendam quoque fuisse illius pœnam ex eorum consortio, quibus quippe author peccandi, & causa damnationis extiterat. Atque hoc ipsum est, quod in tantâ Purgatorii sui morâ pios manes maximè torquet, modò enim vident eos, à quibus in flagitia impulsi, modò quos ipsi impulêre, modò liberos, ac nepotes in eamdem

secum

secum pyram conjici animadvertunt, quibus fundos, & prædia calidiùs conquirendo, meruêre aduri, modò socios olim culpæ, nunc & pœnæ cernere coguntur; ex quibus, ac similibus, nova semper manat tristitia, & diuturnitatem tam infausti carceris exasperat.

418. *Vnica anima omniũ mortalium commiseratione digna est.* Quæ cùm ita sint, cùm, inquam, tam longæ sint in ardente illo ergastulo moræ, & cùm diuturnitas ipsa mali etiam facilis tum per sese, tum ratione adjunctorum, illud reddat intolerabile: *Miseremini* piorum manium, ô Christiani, ô mortales, amicorum defunctorum, quantum humanitus fas est, *miseremini*. Siquidem tanta existit eorum calamitas, vel ex solâ diuturnitate, ut omnem commiserationem humanam excedat. Quippe cùm plurimorum Martyrum, ac latronum longissimos cruciatus sæpe unius animæ Purgatorium morâ superet; illi autem cruciatus omni humanâ commiseratione digni videantur, consequitur unicam talem animam omni hominum miseratione dignam esse. Quid igitur de universis sentiendum? Certè negari nequit, quin si in medio foro concremaretur quispiam vir probus, & insons, cujus supplicium divinitus annum duraret, & infinita vis hominum undique concurreret ad spectaculum, nemo tam saxeus esset, qui tantâ supplicii morâ non intimè commoveretur. Quid si ad centenos annos perduraret? nonne totum probè orbem admiratione sui, & commiseratione continenter impleret? Atqui ducentis ac trecentis, atque amplius annis, lustralis flamma nonnullos perurit.

419. *Quanta omnes.* Cùm ergo horum singuli, omnium mortalium misericordiam mereantur, quid universi? cùm illis miseratio debeatur, quamdiu tormenta durant, profectò nullus est ex piis manibus diuturnæ pœnæ destinatis, cui juvando plusquam universim vitæ tempus, si liceret, impendere non deberemus. Quantum igitur reddemus, si parentibus, amicisque nostris adjuvandis, quorum haud dubiè non pauci diu in Purgatorio attinentur, pauculas vitæ horas insumamus, & quàm parum, quàm nihil universis piis manibus daremus, si vitas mille, ac mille iis sublevandis addiceremus, maximè cum eò plures sint, quò pœna diuturnior. Cùm enim quot diebus permulti in illum carcerem conjiciantur, ex quibus pauci citò eripiuntur, nonnulli diutissimè, id est, ad centenos, ac centenos annos in eo jaceant, plures ad quadraginta, quinquaginta, aut circiter, nimirùm longè maximam multitudinem simul cruciari necesse est, atque adeò simul misericordiæ opisque nostræ indigere.

Ergo ô mortales, ô Christiani, iterum iterumque vos obtestor, tantæ multitudinis animarum Deo fidelium, tantæque earum ex tam longâ morâ calamitatis, miseremini. Mementote, quæso, iterum quos animorum motus in mortalibus concitare solita sit supplicii, aut miseriæ diuturnitas. Latro quidam plurimorum cæde nobilis, in Austriâ inferiore in rotam actus est, cruribus solùm fractis, producendæ morti in gravius reo supplicium: jamque dies in vesperam ibat, cùm numerosus populus affluere, illi solari, isti commiserando lacrimari, alii Deum orare, ut lento tormento, quod triduum duraturum credebatur, brevi finem daret, & revera sub occasum solis cùm copiosus imber defluxisset, ipse pœnâ simul & vitâ defunctus est. En triduani supplicii sola formido spectatores ad intimam ardentemque commiserationem commovet. Quid efficere deberet vera combustio trecentorum annorum? 420. *Ergo miserendum.*

Ægrotabat quispiam è Societate nostrâ juvenis, necdum sacris initiatus, sed sensu ac virtute senilem prætergressus ætatem. Igitur ingravescente in dies morbo dixit in aurem Socio familiari; *O mi frater, ora, quaso, Deum: grandis enim mihi imminet tempestas*: vix dixerat, cùm pectus æstuare, ardere, premi, frangique scapulæ, humeri, tergum, caput totum tremere, perpungi, lancinari. Quid plura? omnibus membris, ossibus, nervis, medullis, atque visceribus intimis desævire malorum nec visa, nec audita colluvies. Stupere interim omnes, commiserescere, precibus ad Deum fusis juvare, blandis vocibus consolari æstuantem: ipse patienter agere, Numinis clementiam, Virginis matris opem implorare. Perstitit hoc malum integras viginti quatuor horas. Quo spatio exacto posuit tempestas, & æger tandem in portu fælicitatis æternæ consistens, tantæ rei causam explicuit. Petiisse nimirùm se à Deo perquàm obnixè, ut Purgatorii pœnas sibi ante mortem infligeret, quibus perfunctus liberè rectaque in cœlum posset evolare: postulatisque Deum annuisse, nec voto frustratus placidè sanctèque in Collegio nostro Eborensi vitam hanc mortalem cum immortali commutavit. Vide Benedictum Fernandum in cap. Gen 35. sect. 10. Cæterùm si umbratile illud Purgatorium quatuor, & vicenum horarum, adstantes tantopere commovit, quantò vehementiùs commovere nos deberet, 421. *Religiosorum Societatis IESV.*

non

non vicenum horarum, mensium, aut annorum, sed plurium lustrorum verum animæ incendium? Quid si illud oculis usurparemus, quemadmodum insignium interdum reorum ustulationem? Contigit sub annum 1605. ut Antuerpiæ, celebri Brabantiæ emporio, vir nefarius ob multas & atroces hominum cædes ignis supplicio adjudicatus, vestimento pice illito, tertiò in ardentem rogum injici juberetur. Aderat insolito supplicio vis hominum propè infinita. Injectus est igitur primùm, atque illicò undequaque ardens catenâ extractus. Id spectaculi cum horrendo infœlicis rei ejulatu ita permovit omnes, ut oculis auribusúe illud minimè ferentes, statim uno ore misericordiam à Judice suppliciſſimè flagitarint. Ipse qui hominis salutem procurabat, Sacerdos è Societate Jesu, eum obnixissimè rogavit, ut secundò immersus non extraheretur; nec difficilè impetravit, cùm & Judicem, & quemvis alium utcumque crudelem, tam atrocis tormenti miseratio patronum rei fecisset. Ergo brevissimum nefarii hominis veste ardentis conspectum ferre non possumus, & parentum amicorumque nostrorum intima longissimaque incendia, immoti planeque sicci negligemus?

422. *Nam omnia sensim molliuntur.* Atqui immitis ingenii est, objectâ alterius gravi calamitate, non statim emolliri ad misericordiam, quale igitur, tot annis illos omni fermè ope destitutos deserere? Quid? gutta cavat lapidem, ignis durissima quæque domat, tempus exedit omnia, neque imbres, ut sic loquar, assidui lacrymarum sanguinearum, quas perpetim effundunt manes piissimi, neque eorum ignis multò acerrimus, neque tam diuturnum tempus, mortalium pectorum chalybem frangere valebit? At si cruciatuum tanta mora vos, ô Christiani, non tangit, tangant saltem preces vestrorum manium, heu! toties tanto temporis spatio repetitæ. Eas enim continenter fundunt; eas per tabellarios alterius mundi, Angelos, inquam, vobis insinuant, ipsosque ad se revisentes, singuli singulos sæpiùs interrogant, hisce Prophetæ Isaiæ verbis. *Custos quid de nocte? Custos, quid de nocte?* Quasi dicant: quò demum evadet hæc nostra nox? hæc, horrenda calamitas? Eritne adhuc diuturna, an brevi vertetur in lucem? Quibus unusquisque Custos respondet, *venit mane, & nox*, id est illucescit quidem mane, sed, heu! vobis manet vestra nox! heu miseræ! hîc hærere vos volunt vestri, cùm à nobis intus in animo de incendio vestro sæpius moniti crudeli silentio nos repulerint.

Verùm si hactenus repulistis, ô Christiani, tandem eos audite. Nam precis tam miserabiliter ardentis importunitas, etiam Judicem impium, Christo authore, ad misericordiam flectat; quantò magis efficaciusque parentes & familiares: flectat igitur illa vos; & si verè Christiani apud Superos audire cupitis, flectat ad opem efficacem, adeo ut nisi perfectâ re, partaque tam diu optatâ eorum libertate, nolitis conquiescere. Ita quondam Benincosa Virgo Neapolitana, cùm ex viris doctis intellexisset pro purgandarum animarum salute, fas esse se devovere; haud diu cunctata est. Pœnas quæ Bernardinæ primùm, tum etiam Catharinæ Sororibus luendæ supererant, in se lubens transtulit, summisque à Deo precibus obtinuit, ut eam voluntatem haberet fatam. Ergo acerbissimis doloribus decennium integrum pro Bernardinâ laboravit: Catharinæ cruciatus eam ad extremum usque exercentes prius illi vitam, quàm charitatem excusserunt, cui amare, quàm vivere dulcius fuit. Et profectò non breviorem à nobis opem exprimere deberent tam longæ flammarum lustralium pœnæ, cùm nefas sit miserationem languere ac deficere, quando miseria adhuc, ut cùm maximè, cruciat. Quamobrem quantum, & quamdiu licèt piis manibus! opitulamini, ô quicumque amare ac misereri potestis, & cùm cruciatuum moram commiseratione æquare nequeatis, affectus & subsidii magnitudine, vitæ brevitatem supplete.

443. *Misericordia sit efficax.*

Ad majorem Dei, Deiparæq; gloriam, ac piorum Manium solatium.

PATROCINIUM DEFVNCTORVM

A R. P.

IACOBO HAVTINO

SOCIETATIS JESU

TRIBVS LIBRIS PROPOSITVM.

LIBER SECUNDVS.

Piis manibus opitulandum esse.

PRÆFATIO.

HANC videlicet conclusionem quadam necessitate trahunt, quæ hactenus de acerbissimis longissimisque eorum cruciatibus à nobis disputata sunt. Et nos quidem eam ipsam subtexuimus singulis eorumdem expositionibus, ne hîc eos retexere, & actum agere cogeremur. Verùm alia sunt, nec pauca, nec levia firmamenta causæ piorum manium, quam tractamus, quibus ad eamdem opem mortalibus persuadendam inniti possumus: quæ animus est hoc altero libro statuere. Vos nobilissimi amantissimique Genii, quibus eorum tutela commissa est, quoniam & vestram hîc causam ago, suggerite mihi, quæ ad faciendam fidem apta censetis, atque ad permovendos animos, quod officii mei caput est, dictionem meam accendite. Interea tamquam dicendorum hoc libro fundamentum proximè jacio.

CAPVT PRIMVM.

Posse à vivis pios manes sublevari.

ARTICULUS I.

Patet illud ex sacro instrumento, & Sanctis Patribus.

424. *Ex scriptura.*

TAM perspectum est ex sacris paginis posse à viventibus opem ferri vitâ functis, qui lustrali carcere attinentur, ut quemadmodum superius l. 1. c. 1. vidimus, hæretici, Purgatorii infensissimi hostes, ipsimet sacris paginis fidem derogare cogantur. Nam Machab. 2. c. 12. ex laudabili Judæ, supremi Judæorum Ducis, ac Sacerdotis facto ita concludit sacer Historicus: *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Quo ex loco id clarissimè consequitur, quod in præsenti agimus, posse vivos defunctis opitulari. Alioqui enim nec *sanctum* esset (sed ut rectè idem Historicus

ſtoricus) *ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis*: nec ſalubre, ſeu ſalutare id foret, quia eſſet incaſſum. Eſt autem hoc ipſum ſanctum; quia pium in pios manes qui ſic levantur, quia religioſum in Deum, cujus honori ſic ſervitur; quia denique ipſum orantem efficit ſanctum. Eſt item *ſalubre*, ſive ſalutare tum defunctis, qui tormentis erepti æternâ ſalute impertiuntur: tum oranti, cui novi patroni & advocati in cœlo quæruntur, ſalusque in tuto collocatur, & gloria major paratur: tum orantis conſanguineis, atque amicis, ad quos utique beneficiis cumulandos, gratiſſimus defunctorum animus ſeſe extendet.

425. *Refellitur objectio.* Cæterùm huic Scripturæ loco clariſſimo hoſtes animarum alterum opponunt planè obſcurum, vel potiùs nihil planè ad rem propoſitam pertinentem. Eſt autem hic Eccleſ. cap. 9. *Viventes enim ſciunt ſe eſſe morituros: mortui autem nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem: quia oblivioni tradita eſt memoria eorum; amor quoque, & odium, & invidiæ ſimul perierunt, nec habent partem in hoc ſæculo, & in opere quod ſub ſole geritur. Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum.* Quem locum obſcurum dixi: quia S. Gregorius Thaumaturgus & Hieronymus ac Titelmannus cenſent Salomonem hic non ſuam, ſed Epicuræorum ſententiam tradere: hi quippe animam hominis ſimul cum corpore interire rati, propterea uſurpant illa Iſaiæ cap. 22. *comedamus, & bibamus; cras enim moriemur.* Alii contrà, ſic enim explicant cum Bonaventurâ, ut velint animas ſeparatas nihil eorum, quæ hac in vitâ aguntur, noſſe, vel curare ad voluptatis ſenſum: hic enim illis periit. Quod confirmatur hiſce verbis: *nec habent ultra mercedem*, ſcilicet propriam hujus vitæ in lucro ac voluptate ſitam. Et id innuitur, dum additur: *vade ergo, comede panem tuum in lætitiâ.* Alii denique nomine hujus mercedis, metonymicè intelligunt meritum: quoniam cùm extra viam poſiti ſint, ejus planè ſunt exortes. Ex quibus conſtat locum hunc, & perobſcurum eſſe, atque adeò clariſſimo nequaquam opponendum, & ad rem propoſitam minimè pertinere: ſed vel ad Epicuræos, vel, quod probabilius opinor, ad avaros coarguendos, qui quidem quaſi à morte opibus uſuri eſſent, ſic eas coacervant; quibus Salomon ipſe ſignificat earum nullum in alterâ vitâ uſum, aut fructum fore: atque adeò niſi in hac partis gaudere velint, vaniſſimos labores ſuſcipere.

Porrò divinis litteris haud dubiè conſonant dictis ac ſcriptis ſuis Sancti Eccleſiæ Antiſtites. Atque imprimis (ut miſſa faciam Concilia, & multa, & graviſſima) S Jacobus frater Domini in ſua Liturgiâ ſic præcipit. *Pro omni animâ Chriſtianâ afflictâ, & vexatâ, miſericordiæ & auxilii Dei indigente, & ut errantes revertantur, & redeant ad pietatem, ut infirmi convaleſcant, captivi liberentur, Patrésque ac fratres noſtri, qui ante obierunt, in pace requieſcant, Dominum oremus.* Et poſtmodum Sacerdos ex ejus inſtitutione, ſic precatur Deum: *Memento Domine Deus noſter ſpirituum, & univerſæ carnis, quorum memoriam egimus, orthodoxorum, ac rectè de fide ſentientium, ab Abel iuſto uſque ad hodiernum diem; fac eos requieſcere in regione viventium, in regno tuo, in deliciis paradiſi, in ſinu Abrahæ, Iſaac, & Jacob, Sanctorum Patrum noſtrorum, unde exulat dolor, triſtitia, & gemitus, ubi præſidet lumen vultus tui, & perpetuò refulget.* Dionyſius quoque Areopagita lib. de Eccleſiaſticâ Hyerarchiâ, poſtquam cantum Chriſtianorum funeribus adhiberi ſolitum, corporumque mortuorum in templum illationem, ritumque ſepulturæ deſcripſit, ſic ait. *Deinde accedens divinus Antiſtes, ipſi mortuo ſanctè precatur, atque poſt precationem, & ipſe eum ſalutat, & ordine omnes, qui adſunt, precibus quidem à divinâ benignitate contendit, ut & omnia peccata, quæ humanâ fragilitate, imbecillitatéque admiſſa ſunt ei, qui exceſſit è vitâ, remittat, & eum in lucem ac regionem vivorum, in ſinus Abrahæ, Iſaac, & Jacob deducat in locum, à quo fugit dolor, triſtitia, & gemitus.* Quæ propè omnia hodieque uſurpantur. Porrò hæc ipſa ſe à divinis præceptoribus ſuis tradita accepiſſe poſtmodum teſtatur, atque adeò ab Apoſtolis, quorum fuit diſcipulus. Quorum quoque auditor Clemens Romanus Epiſtolâ primâ cujus Concilium Vaſenſe 1. c. 6. meminit, inter cætera officia Chriſtianæ pietatis annumerat, *Mortuos ſepelire, & diligenter eorum exequias peragere, pro eíſque orare, & eleëmoſynas dare.* Hæc ille eo loco: qui etiam lib. 6. Conſtit. Apoſt. c. 5. ita diſertè: *Sine ullâ exceptione, convenite in cœmeteria*, inquit, *ſacros libros in eis legentes, & pſallentes pro iis, qui dormierunt, Martyribus, atque omnibus ſanctis, próque fratribus noſtris, qui in domino obierunt.* Tertullianus etiam lib. de Monogamia, *pro animâ*, inquit *eius mariti, orat* ſcilicet vidua, & *refrigerium, interim adpoſtulat ei, & in primâ reſurrectione*

426. *Ex Sanctis Patribus.*

ctione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius. Origenes porrò lib. 3. in Job sic habet. *Celebramus nimirùm religiosos cum sacerdotibus convocantes, fidelesuna cùm Clero invitantes adhuc egenos, & pauperes, pupillos, & viduas saturantes: ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus: nobis autem efficiatur in odorem suavitatis in conspectu æterni Dei.* Hactenus ipse.

427. *Vnde sequitur saltem fide humana credendum.*

Quod si *in ore duorum, vel trium stet omne verbum* ipso Christo authore, en habetis, ô Christiani, non duos tresúe, sed quinque testes, ejus, quam adstruimus, veritatis; quos inter primus Apostolus, duo Apostolorum discipuli, reliqui judicio, & rerum christianarum scientiâ toto orbe clarissimi, & Apostolorum ætati proximi. Quis dubiter, quin eorum authoritas ejus generis, id saltem ab hominibus non hominem exulis, obtinere debeat, ut fidem humanam (hanc enim impræsentiarum dumtaxat peto) iis adhibeant? nisi fortè paganus aliquis, & unicus historicus plus illis omnibus mereatur: cui tamen fidem humanam denegare sine causâ nemo cordatus ausit. Atqui si vel sic credas narranti patrem, aut filium, aut amicum tuum in gravi necessitate, quam non incommodè levare possis, versari, illico in pedes, atque in subsidium exilis; nec necessarium, opinor, censes, ad suppetias maturandas, fide aliquâ necessitatis illius majori, ac divinâ te instrui: ergo hæc saltem humana ad succurrendum piis tuorum manibus te permoveat.

428. *Imo & divina.*

Verùm cur humanâ fide contenti sumus, cùm hujusmodi authoritates exigant divinam? Enimverò liquidò ostendunt illum orandi pro mortuis ritum ab ipso Christo fluxisse, atque adeò veritate ipsâ teste Christianorum precibus, pias defunctorum animas sublevandi vim inesse. Id quod etiam manifestius evadet, ex ejusdem doctrinæ per omnes ætates ad nostra usque tempora perpetuitate. Etenim prope octoginta seu Patres, seu viros gravissimos hujus fidei authores, ac Doctores recenset Joannes Garetius in eo libro quem integrum ex ejusmodi testimoniis contexuit. Ex quibus visum est nonnulla deinceps decerpere. Cyprianus quidem l. 1. Epist. 9. ubi pronunciavit non licere Presbytero, aut Clerico tutorem agere, aut curatorem: ita disserit. *Quod Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter providentes, censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim ad altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros suos Levitas avocare voluit.* Athanasius verò cùm sic interrogavit lib. de variis quæstionibus q. 34. *num sentiunt aliqua beneficia peccatorum animæ, cùm super illis fiunt conventus, & precationes bonorum operum, & oblationum?* ita respondet: *Si non aliquo beneficio participarent ex illo: non utique in curâ, & exequiis fieret commemoratio.* Basilius autem in sua Liturgia ita Sacerdotem precari jubet, *Memento Deus omnium dormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ, & refrigera eos, ubi visitat lux vultus tui.* Et Basilii frater Gregorius Myssenus luculentissimè, *nihil*, ait, *absque ratione, & utilitate à prædicatoribus, & discipulis Christi traditum, & in omnibus Ecclesiis Dei prædicatum. Res autem omnibus modis utilis, & Deo imprimis grata, in divinis, præclarísque sacris operationibus, eorum, qui in rectâ fide decesserunt, manifestam facere mentionem.* Denique Nysseno planè consonat Augustinus l. 2. de curâ pro mortuis cap. 1. ubi sic disertè. *In Machabæorum*, inquit, *libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas, ubi in precibus Sacerdotum, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Ita ipse eximiè. Prætereo cæteros consequentium ætatum, cùm eorum testimoniis nihil sit luculentius.

Cùm igitur mortales piis manibus opitulari posse Dionysio authore Apostoli tradiderint, quin & ipse frater Domini Jacobus illud edoceat; cùm Nysseno teste in omnibus Ecclesiis prædicetur, & Augustino, *universa teneat Dei Ecclesia*, cumque semper deinceps tenuerit; ambigi nequit, quin fide divinâ credendum sit ipsum in pios manes subsidium, & proinde à Deo ipso assertum. Ex quo patet imprimis hæreticorum perfidia, & immanis in eos crudelitas. Certè enim eò major est, quàm Israëlitarum in filios suos (quos in honorem Moloch per ignem traducentes, mactabant) quò Purgatoria flamma illo igne atrocior, & diuturnior. Et sanè satius foret defunctis parricidali manu occubuisse, quàm à parentibus impediri eorum in tam tristi rogo subsidium.

429. *Atque adeò patet crudelitas hæreticorum in filios.*

430. *Et necessitas opis mortuis ferendæ.*

Sed & hinc Catholici habent, quod hinc condiscant. Nam quò exploratius est posse defunctos adjuvari, eò nostra in

illos misericordia luculentior sit, necesse est. fac enim agè matrem quampiam obscurâ primùm famâ inaudire filium, quem decessisse persuasum habebat, adhuc vivere, sed extorrem & afflictum: commovebitur illa quidem ad illud nuncii: sed ejus incertitudo, studium opis illi ferendæ non parum remittet. Quod si exilii locus, calamitatis genus, & subsidii facultas certò, atque ab Angelo quidem illi renuncietur, tum verò continuò, continenterque, maternâ ardentique curâ incumbet in filii subsidium, nec nisi re peractâ conquiescet. Nos igitur quomodo torpemus? Et quî fit, quæso, ut filios & Parentes certè, quidem in Christo fratres ac sorores certò ardentes negligamus?

431. *Abrahami exemplo.* Quid? Abrahamus ille, misericors credentium Pater, quamdiu credidit indignissimos licèt omni ope Sodomitas posse à se adjuvari, quàm sedulò constanterque clementiam divinam iis imploravit! quàm humiliter pœnam commeritam ab iis deprecatus est! *Si fuerint*, inquit, *quinquaginta justi in civitate, peribunt simul? minimè*, Respondit Angelus. *Rursum locutus est ad eum; sin autem quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies? non percutiam* reponit Angelus. Tum ipse *Quia semel*, ait, *cæpi, loquar ad Dominum meum: Quid si ibi inventi fuerint viginti? non interficiam* subjecit Angelus. Quid tum Abrahamus? perget? imo pergit. *Obsecro*, ait, *ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel. Quid si inventi fuerint ibi decem?* & dixit Angelus *non delebo propter decem; abiitque Dominus postquam cessavit loqui ad Abraham & ille reversus est in locum suum.* Gen. 18. Ecce ad avertendam à reorum, & quidem alienorum, capitibus cælestem pœnam, & externus, & avertendi dubius tertiò, quartò, quintò Angelo vindici supplex accidit, & mortales certi illam à suis manibus avertere, si operam in id dare velint, ut minimùm cunctantur. Ah! Christiani, meliores Abrahæ filii: quæso vos, obtestorque, ne in parentes, filiosque vestros, vobis Deoque carissimos, minus pii sitis, quàm pater ille vester in invisos cœlo, hominibusque Sodomitas extiterit.

ARTICULUS II.

Idem ratione, & historiis comprobatur.

PARS PRIMA.

Probatur ratione.

VNICA est hæc ratio, sed bipartita. 432. *Posse justos inter se juvare.* Demonstrandum enim est primùm vivis fideles posse inter se iuvare, ac pro se mutuò satisfacere. Deinde posse & vitâ functos eorum opem experiri. Quod igitur ad primum attinet, illud evincit *Sanctorum communio*, quam in Apostolorum symbolo profitemur. Significat namque bonorum spiritualium aliquam inter Sanctos, sive justos, communicationem, atque adeò posse alterum ab altero in rebus ad salutem pertinentibus adjuvari. Et verò cùm charitas diuina in unum Christi corpus mysticum nos conjungat, consequitur singulòs eâ præditos viva esse ejusdem corporis membra, ut sæpenumero inculcat Apostolus, nimirùm ad Romanos 12. & ad Ephes. 4. Nemo autem nescit membra ejusdem corporis mutuis officiis sibi adesse; quippe oculum cætera dirigere, pedes sustinere, ac provehere, manus propugnare; & si quid unum patitur, dolorem cæteris esse communem. Igitur & pari ratione viva corporis Christi seu Ecclesiæ membra, mutuam opem sibi conferre poterunt. Et illud est, quod Jacobus Epist. c. 5. planissimè agnoscit, cùm fideles adhortans, *orate*, ait, *pro invicem, ut salvemini.* Illud quod Joannes Epist. 1. cap. 5. *qui scit*, ait, *fratrem suum peccare, & non ad mortem, oret, & dabitur ei vita.* Item quod Gentium Apostolus ad Rom. 15. *Obsecro vos*, ait, *fratres, ut adiuvetis me in orationibus pro me ad Deum.* Nec potest alia esse SS. Patrum sententia. Quare Chrysostomus disertissimè, ac plenissimè Hom. 41. in 1. ad Cor. sic disserit, *unum corpus omnes sumus; sint membra licèt alia aliis illustriora. Unde licet veniam iis impetrare precibus pro ipsis effusis, muneribus datis, consortio eorum, inter quos velut commune corpus referuntur.*

Audis Deum propter bonorum con- 433. *Exemplis probatur.* sortium aliis gratificari. Disce id ex Genesis c. 30. ubi propter Jacobi apud Laban commorationem, Deus ipsum Laban benedictione suâ, sive gratiâ, ac beneficiis cumulavit. Disce clariùs ex ejusdem Genesis. c. 18.

fis c. 18. ubi propter decem homines justos, Deus paratum se asserit quinque civitatibus Pentapoleos ignoscere. Quin etiam ob Davidis parentis jam vitâ functi pietatem, ac fidem, idem Opt. Maximus, degeneri & impio ejus filio Salomoni pepercit. 3. Reg. 11. Quid? quod Lucæ 5. ob fidem hominum paralyticum portantium Christus ei sanitatem restituit. Nam de virtute precum nihil habeo dicere, cùm & divinæ paginæ, & sacræ historiæ ejus exemplis & testimoniis refertæ sint. Quod si autem Labano, Salomoni, aliisque hostibus suis ob amicorum merita Deus beneficia contulit, quis non videt eum multò propensiùs filiis suis pœnam aliquam noxis jam donatis debitam condonaturum, ob aliorum filiorum preces, & voluntarios cruciatus?

434. *Et juvare defunctos.* Hoc igitur constituto eam bonorum, & satisfactionis communicationem ad pios quoque manes porrigi ostendendum est. Patet autem illud ex iis, quæ proximè diximus. Siquidem, & hi Sancti ac justi sunt; est igitur vivos inter & illos, bonorum spiritualium communio. Pertinent quoque ad Mysticum Ecclesiæ corpus, quippe cujus sunt membra cæteris charitate copulata. Cùm enim in charitate decesserint: ea verò Apostolo teste 1. Cor. 13. *numquam excidat*, conficitur eodem vinculo, quo viventes cæteris conjuncti erant, mortuos copulari. Quare Augustinus lib. 20. de Civit. c. 9. *Neque piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesiâ Dei, quæ etiam nunc est regnum Dei. Alioqui nec ad altare fieret eorum memoria.* Et post paulò. *Cur enim ista fiunt, nisi quia fideles, etiam defuncti eius membra sunt?* Quin etiam Divus Thomas 3. p. q. 71. a. 1. ad 2. asserit disertè *magis acceptari suffragium pro mortuo, quàm pro vivo, quia magis indiget, cùm sibi auxiliari non possit, sicut vivus potest.*

Pars secunda.

Probatur ex historiis.

435. *Spiritus subinde apparent.* Atque hoc auxilii genus plurimis veteribus historiis & ostentis testatissimum est, quæ quia toto hoc opere sparsa sunt, non est mihi consilium hîc attexere. Id tantùm agam generatim, ut fidem illis saltem à plerisque obtineam, imò etiam ab iis qui ejusmodi ostenta fabularum loco habent, atque ut muliercularum somnia solent explodere. Ac spiritus quidem humanos identidem apparere sacri Codices atque historiæ clariùs demonstrant, quàm ut à nobis probandum sit. Quid igitur obstat, quin etiam purgandi? Num carcer? At Dei beneficio tantisper ex eo secedere, vel apud mortales captivi esse possunt, ut faciliùs eorum preces impetrent, aliaque ejusdem Numinis nutu perficiant. An verò non licèt supremo Judici quod humano, ut reos carcere emittat quando, & quamdiu libet? An non hodieque in Cochincino, Indiæ Orientalis regno, rei scalis alligati vagari consuevere? Præterea manes subinde inter nos agere, aut saltem aliquando apparere, plurimi gravissimique authores produnt. Quis enim nescit Gregorium Magnum de Paschasio Ecclesiæ Romanæ Diacono, itemque de Justo cœnobii sui monacho ejusmodi visa commemorare? Quis Gregorium Turonensem de S. Vitalinâ, B. Martino spectandam se præbente, S. Bernardum de sorore S. Malachiæ ejusdem precibus sese ab obitu commendante, Bedam V. aliosque viros gravissimos, alia de aliis narrare non intellexit?

436. *Constat authoritate.* An verò quisquam erit, vel tam hebes, ut eorum authoritate non moveatur, vel tam improbus ac nefarius, ut mendacium iis affingat? Sed cur in ejusmodi historiis referendis mendacium adhibuissent, cùm eo tempore nulla de Purgatorii rebus quæstio cum hæreticis esset, nulla populi Christiani dubitatio? Verùm quomodo intelligi potest, aut credi homines sanctissimos mendaciis historias publicas ornare, aut potiùs coinquinare voluisse, cùm ne peccati quidem umbram in omni vitæ suæ ratione ferrent? Sed si perfidè ponis eos mentitos: Quem ego te, aut quo loco inter homines ponam? Quo loco Historicos paganos? quo hæreticos? An erit præterea, qui dignus sit ut ipsius sermonibus fides habeatur; cùm viri sanctissimi doctissimique scriptis suis, ac rerum sacrarum historiis, ubi fallere, aut imprudenter falli grande nefas est, eam non mereantur? Per te igitur explodatur licèt Sallustius, Livius proteratur, Tacitus conculcetur, Curtius in Græciam ac Pesidem, unde fabulas suas mutuatus est, deportetur. Nam si viri sinceriissimi ac fideliissimi fide indigni sunt, dum sacras historias scribunt, an digni erunt homines Ethnici, & ut plurimùm parum probi, dum edunt profanos? Quid ergo de Græcis dices? Græcâ utique fide usos fuisse. Quid de Gallis, Hispanis, Germanis, Belgis? Pari profectò jure omnibus eorum historiis infaustam mendacii ac condemnationis notam inuras, necesse est.

437. *Et experientia.* Verùm saltem crede veteri experientiæ tot sæcu-

tot sæculorum, tot regionum, tot gentium, quibus indubitatum est pios manes videndos sese exhibuisse, preces ac suffragia petiisse, solatium ex iis singulare sensisse: crede & quotidianæ: nec enim adeò multum temporis effluxit, ex quo Berghis S. Winoci, urbe Flandriæ, spiritus quidam avunculi, nepoti suo per noctem spectabilis, petiit ab eo ad levandas suas Purgatorii pœnas, ut postridie tribus pauperibus ante meridiem stipem flagitaturis largiretur, unamque missam fieri sua causâ curaret. Venêre tres illi præter morem (soliti enim erant à meridie stipem illic rogare) datâque stipe, & Missâ initâ comparuit spiritus; ipseque nepos, & Sacerdos miro velut pondere se premi, quamdiu fiebat, persenserunt. Quâ peractâ spiritus ille apprehendens juvenis dexteram, *gratias tibi*, ait, *mi suavissime nepos; absque illa Missa fuisset, tres adhuc annos* (sex autem ab illius obitu præterierant) *in Purgatorio carcere me miserum hærere oportuisset.* Tum rectà ad aræ supremum, indeque in cœlum subvolare conspectus est. Scio equidem non cuilibet, nec facilè credendum spiritui, utcumque cernatur; aut cerni videatur. Inspicienda etiam haud dubiè homini, qui visa refert, persona, ejusque mores ac probitas, ingenium, judicium, indoles, sunt expendenda. Causa quoque referendi exploranda est. Constat profectò humorem melancholicum multam præbere materiam fingendis rerum ac spirituum idolis ac imaginibus. Constat fraudem intervenire posse, sive à malo genio, quem compertum est aliquando æmulari bonum; sive ab homine, qui nummos, aut nescio quem gloriæ fumum his artibus captet. sed tamen nemo unus est, qui, si ratione utatur, non existimet præter fas ac rationem facturum, si quis ne unum quidem ex ejusmodi ostentis, non vanum & inane esse mordicus teneat. Unum igitur admittat ubi aliquis è piis manibus opem postulet, ac tum se accepisse, ac sensisse verè fateatur: mihi sanè fuerit satis, continuò namque efficitur quod à me agitur, mortales piis manibus opitulari posse. Et cùm plurium ejusmodi visorum eadem sit ratio, neque appareat, cur hoc potiùs quàm illud in dubium revocetur, convincitur primùm, admisso unum cum veritate congruere, plurima quoque admittenda esse. Tum & illud quod hîc contendimus, sine dubitatione concedendum ex historiis, atque ostentis parêre, pios manes ope mortalium sublevari posse.

CAPVT SECVNDVM.

Ad opitulandum piis manibus multiplici lege tenemur.

CUm ex proximè præcedentibus appareat piis manibus à nobis opem facilè ferri posse, statim occurrit etiam debere, nam multa simul se ostendunt lumina quibus hæc obligatio eluceſcat, quæ hoc capite exponere decrevi. Splendet autem inter ea maximè lex naturæ quippe homini insita, non foris petita, imo, & in nobis ipsis, licèt nobis repugnantibus seipsam prodens, ac promulgans, & propterea exigit ut omnium prima proponatur.

ARTICULUS I.

Lex naturæ pios manes adjuvari præcipit.

Pars prima.

Ostenditur.

LEx naturæ est, quæ naturæ rationis compoti, ac procreatæ, ad honestatem scilicet insita est, ex qua necessariò consequitur turpitudinis ac malitiæ fuga. Atque illius sic sumptæ præceptum unicum quidem est universale, nimirùm bonum 438. Lex naturæ.

num amplectendum esse; malum fugiendum: sed plura sunt magis particularia, quæ ad illud reducuntur. Talia principia morum generalia, ut; quod tibi vis fieri, nempe consentaneè rationi, alteri faciendum; quod nolis, minimè. suum cuique reddendum, & hujusmodi.

439. *Obligat.* Porrò legem naturæ obligare perspectum est: siquidem quod ei adversatur, rationi adversetur, necesse est, cùm id quò natura rationis compos per se propendet, consentaneum rationi esse oporteat; Porrò quod rationi contrarium est, omnino peccatum est. Adde quæ cum lege naturæ pugnant, per se, & ex naturâ suâ esse mala, ut licet omnis alia lex ea prohibens abesset, imò si per impossibile nullus esset, Deus, esse mala minimè desinerent.

440. *Ex caritate nativa.* Atqui eadem lex opem piis manibus ferendam præcipit. Etenim clarissimè id continetur illo, quod attulimus, principio affirmativo, cujusque menti insito: quod tibi vis fieri, alteri feceris: cui ex adverso negativum respondet: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Perspectum enim est quemlibet, si lustralibus suppliciis cruciaretur, summopere desideraturum mortalium ope iis eripi, gravissimè laturum non eripi. Ut autem hujus nativæ legis obligatio luculentiùs exponatur, Adverte utrumque illud principium hoc unico charitatis naturalis præcepto contineri: *diliges proximum tuum sicut teipsum.* Hæc autem charitas omnium Theologorum consensu exigit, ut dum commodè licèt, proximo in miseria jacenti suppetias feras. Illud enim est, quod Eccle. 17. *Vnicuique mandavit Deus de proximo suo.* Vel igitur negandum tibi est pios manes in proximis numerari, vel in miseriâ versari. Prius nefas est: cùm, ut dicemus, proximi nomine ii omnes intelligantur, qui gloriæ cælestis possunt nobiscum esse consortes, Posterius æquè impium est: & præterea certa est commoditas piis manibus opitulandi: igitur lege charitatis ad hoc obligamur, ac proinde & lege naturæ.

441. *Ex ratione membrorum ejusdem corporis ejusdem communitatis.* Porrò hæc obligatio magis etiam se prodit ex naturali defunctorum nobiscum communione, & quadam cognatione. Ut enim rectè Seneca Epist. 95. *Membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit cum de iisdem gigneret.* Et Augustinus Epist. 52. *Si pecuniæ ratio socios facit: quanto magis ratio naturæ? non negotiandi, sed nascendi lex communis.* Cùm igitur, & piis manibus ea membri ratio, & id genus cognationis conveniat, dubitari nequit, quin & iis officia membrorum, & cognatorum mortalium debeantur. Porrò membra sese invicem juvant, & alterum pro altero patitur, & cognati sibi mutuò adesse debent; igitur & mortales quibusvis vitâ functis opitulari. Quid? quòd injuriam ipsi hominum genti facit, qui negligit illos. Si enim, ut optimè Ambrosius lib. 3. offic. c. 3. *in uno membro totum corpus violatur, uti in uno homine communio totius humanitatis solvitur*, profectò & neglecto desertóque vel unico defuncto utrumque illud contingere necesse est. Et si Seneca authore lib. 2. de ira c. 31. *Nefas est nocere patriæ, ergo & civi, qui est pars patriæ, ergo & hominem homini, num hic in magnâ urbe tibi civis est*, his consentaneè concludere licet, & nefas esse destituere defunctos in tantâ calamitate, quia & illi hujus universitatis cives sunt, & eos destituens pa rest nocenti. Certè ut contra rationem membri, cognati, ac socii peccaret, imò & contra universum genus humanum, qui hominem cùm facili prece redimere ex infaustâ servitute posset; tamen recusaret: sic & is peccat, qui pios manes ne precibus quidem, aut modicâ stipe asserere in libertatem studet.

442. *Ex omnium gentium consensu.* Denique eamdem obligationem confirmat omnium gentium mentibus ingenita persuasio, demortuis justa esse reddenda. Ideo enim justa vocantur, quòd jure quodam naturæ iis debeantur: neque verò ad solùm eorum honorem ea spectare prisci autumabant: sed & ad aliquod solatium, auxiliumque. Ac Judæi quidem Josepho teste de bello Judaico c. 19. (huic enim historico hæretici majorem, quàm sacris Machabæorum libris, fidem habebunt) Judæi, inquam, pro mortuis orare consueverunt. Et verò cur David, ejusque exercitus auditâ Saulis & Jonathæ morte, jejunus permansit, nisi ut eâ inediâ eorum manibus, si qua indigerent, ope adesset? Et constat Mahumetanos similia officia defunctis suis exhibere. Nam Ratzivilus in suâ peregrinatione Jerosolymitanâ Epist. 2. eam eorum fidem apertè intellexit, dum conspecto quinque aviculas virides ex caveâ liberas dimitti, audiit id factum, ut animis cognatorum dimittendis benè ac beatè esset. Et eadem fides plagas Ethnicorum ad fines usque novi orbis pervagata est. Nam Tunkinensibus in more positum est, primùm vehementer laborare, ut locum suorum sepulturæ idoneum inveniant. Deinde nullis sumptibus parcere, ut convivia illis struant etiam anniversariis mortis diebus, idque omnibus majoribus ad decimam usque generationem. Tum vestes illis ex papyro consuere, ac deinde exurere, eo consilio, ut defun-

ctos iis tegant: quibus, & similibus ritibus familiæ suæ bonum ac salutem niti arbitrantur. Porrò ejusmodi instituta etiam apud Cochinchinenses celeberrima sunt, haustaque à Sinensibus, quorum & Tunchini, & Cochinchinæ regna, pars olim fuere, & nunc clientelam quotannis profitentur. De Sinensibus autem agens noster Trigautius l. 1. c. 9. *Inter alia multa, de funebribus eorum ceremoniis, solemne quoque illis est*, ait, *& ab idolorum sacrificulis inductum, papyrum in certum modum concinnatam, imo etiam sericos pannos albi coloris exurere. Quòd faciunt arbitrantes se vita functis vestem ministrare in benevolentiæ observantiæque testimonium. Inviolabili quoque consuetudine receptum est, ut luctus patris ac matris in triennium protrahatur. Cuius rei causam in suis libris hanc reddunt, ut suis parentibus, qui primo ætatis triennio eos ulnis gestaverunt, vicem rependant. Non rarò filii parentum cadavera feretro inclusa ad tres quatuorúe annos domi asservant. Suo enim pellucido bitumine ita rimas omnes occludunt, ut fœtorem minimè transmittant. Quo tempore in singulos dies cibum illis, potúmque offerunt, non secus ac si viverent. Deinde in humili scabello, non in sedilibus consuetis considunt. Somnum non in lectiis, sed in stramineis culcitris supra nudam humum collocatis iuxta sarcophagum capiunt. Carne autem, aliove edulio condito vesci nefas. Nec vini, aut balneorum usus; imo nec liberis dant operam.* Plura apud eumdem Trigautium vide.

443. *Et Assensu Theologorum.* Ac denique conclude, cùm ratio nativa ex generalissimis naturæ principiis expressa, & gentium more confirmata necessitatem subsidii defunctis exhibendi demonstret, eum qui aliter sentiat, naturæ refragari. Adde, Theologiæ universæ, quoniam cùm Theologi omnes Catholici, nomine proximi, qui naturæ lege diligi jubetur, intelligant omnes beatitudinis capaces, nemoque unus pios manes ex eo numero excludat, aut excludere possit, profectò Theologi omnes eos naturæ lege diligendos docent, & cùm dilectio in eosdem non nisi subsidio exhiberi possit, omnes pariter docent subsidium illis ferendum esse.

Pars secunda.

Occurritur obiectioni, & concluditur.

444. *Objectio.* Verumtamen emersit nuper unus aliquis ex eis, Joannes Sancius, novamque doctrinam, nescio unde, orbi invexit, ne filios quidem parentibus vitâ functis quidquam subsidii debere. De quo quidem argumento post erit propriè agendum. Sed quoniam ejus rationes omnes promiscuè defunctos omni ope fraudari sine noxâ posse contendunt, iis jam occurrendum censui. Sic igitur ipse in Selectis, Disp. 4. n. 6. *Dicetne aliquis teneri me, quamvis divitem, elargiri centum, aut minus ducatorum eleëmosynam ob liberandum damnatum ad suspendium ob eius mala facinora, aut ad triremes? Quem Respublica non tenetur liberare, imo punire; tenebor ego? Absit, iustè patitur, iustam verò mortem proximi impedire nullatenus teneor, quòd expressè docet Malderus de virtutibus tract. 3. c. 1. Dub. 15. fol. 35. Navar in c. non inferenda 23. q. 3. n. 24. Sa, verbo charitas n. 6. Sic licet pater meus in Purgatorio detineatur, & possim illum precibus meis, aut eleemosynis iuvare, ad id nequaquam ex præcepto tenebor, cùm iustè ibi patiatur.* Ita ipse, qui post addit, *Neque si parens defunctus filio apparens subsidium ab eo peteret, filium ad illud obligandum, licet*, ait, *impientissimum esset non iuvare*; quod quomodo intelligat, non capio. Nam si maximè impium sit, nonne manifestò pugnat contra pietatem in parentes, quæ virtus haud dubiè ad culpam ligat?

Tota igitur vis illius authoris in eo sita 445. est, quòd defuncti justè patiantur, vivos *Respondetur.* ad iis opitulandum non obligari. At vide illius argumenti vanitatem. Sic enim rectè concluserò proximum quemcumque extremâ necessitate seu corporis, seu animæ pressum, posse sine noxâ derelinqui, quoniam utramque justè patitur, scilicet à Deo justè infligente, vel ob proprias noxas, vel ob alium aliquem finem; qui sanè cùm Dei sit, non potest non esse justissimus. Ne qua verò tergiversandi ansa sit, pone Deum tibi certò indicare, proximo tuo, vel gravissimum morbum immitti, vel gratiam subtrahi, in pœnam certi peccati, puta purjurii: atque adeò illum versari in periculo mortis, vel corporis, vel animæ: nonne eâ quoque hypothesi, obstrictum te credes ad illum eo periculo vindicandum? Arbitror sanè. Ergo quòd iustè proximus patiatur, quòd purgandæ animæ in pœnam suorum criminum crucientur, non propterea liberaris obligatione eis opitulandi. Verùm enimverò Navarrus, Sa, Malderus, docent damnatum iustè ad mortem, posse non redimi, etsi pecuniâ posses redimere: nec enim ad hoc charitatem obligare. Sed respondeo primò lytrum istiusmodi grave esse solere;

charitatem

charitatem autem non esse solitam obligare ad opem cum gravi incommodo ferendam. At demus minimo pretio, demus precibus posse illum redimi quemadmodum pios manes lustralibus pœnis redimi posse compertum est. Etiam hoc dato nihil evinces.

446. *Disparitas inter reos hujus vitæ, & defunctos.*

Ratio enim, cur hominem ad mortem damnatum redimere non tenear, hæc est, quòd nec ipse quidem, etsi possit, redimere se teneatur, cùm illi liceat justæ Judicis sententiæ se conformare. Charitas autem non me obligat, ut proximo præstem, quod ipse sibi ex charitate præstare non tenetur. At pii manes cùm sint in termino, quantum in ipsis est, quàm citissimè possunt, ad finem suum tendere debent, atque adeò Purgatorio egredi. Atque obligatio hæc est charitatis, tum in Deum, ut eius gloriam magis augeant, tum in seipsos, ut beatitudine quamprimùm fruantur. Nec verò potest illis videri tam bonum satisfacere velle Justitiæ divinæ per sese, quàm vivorum precibus liberatos Deo potiri, eiusque gloriæ per actus amoris patriæ multò excellentiùs servire. At reis capitis ut plurimum satius est, ac fere conducibilius Reipublicæ, morte luere criminum pœnas, & justitiæ humanæ per se mortemque suam satisfacere, quàm se redimere, aut ab aliis redimi: quo fit, ut charitas ad eos redimendos non impellat. Quòd si poneres præstare illis, ac Reipublicæ se redimere, ac vivere, idque illos nosse, & ipsi ad redimendam vitam, si possent, obligarentur, & alii si sine gravi incommodo illis liceret, eadem charitatis lege tenerentur. Et hac ratione tenet Coninck, *Si lytrum quod exigitur ad redemptionem captivorum alioqui necandorum, sit exiguum, ab iis qui non incommodè possunt, solvendum esse. Præsertim, quando inde non imminet periculum, ne hostes ea occasione plures, ac sæpius pauperes capiant, & hoc modo cives opibus suis spolient. Hinc Imperator Mauritius, quòd ab Avarum Rege exiguo valde lytro, quatuor scilicet siliquis, quibus singulos redimendos offerebat, captivos redimere noluit, graviter à Deo punitus est, ut refert Baronius ad Annum Christi.* 560. Hæc ipse Coninck ad verbum de Eleëmos. Dub. 8. n. 144.

447. *Exhortatio ad eam legem observandam.*

Constet itaque naturæ lege vivos obstringi, suppetias ferre vitâ functis. Et cùm, ut ostendimus, Turcæ, ac Gentiles ipsi eam legem studiosè observent, constat Christianos officii sui hoc in genere immemores, Turcis ac Gentilibus eatenus deteriores esse. Accedit Porrò ad hæc, quòd etiam in inimicos amor noster naturæ lege ferri debet, cùm & ipsi nobis proximi sint per naturæ humanæ communionem, & repræsentationem SS. Trinitatis. Ex quibus efficitur longè nos magis obligari ex caritate ad subsidium piorum manium, qui nobis sunt amicissimi. Quocirca si sensum aliquem humanitatis, si naturæ legis retinere velimus, parendum est huic animas defunctorum juvandi necessitati. Imò quia non homines dumtaxat, sed homines Christiani sumus, amplectenda nobis illa necessitas est, & quod præcipit, non necessitate, sed prolixissimâ voluntate est exequendum.

ARTICULUS II.

Ad opitulandum defunctis caritas Supernaturalis nos obigat.

PRÆFATIO.

448. *Non succurrere defunctis communiter est tantùm veniale.*

NON nescio neglectum vel charitatis, vel misericordiæ vel etiam pietatis in pios manes, si alia obligationis capita subducas, venialis tantùm culpæ arguendum esse. Primùm enim etsi eorum necessitas in tantis tormentis, gravissima dici possit, ac debeat, tamen semper alii adsunt, qui eam levent, atque adeò qui te excusent saltem à graviore noxâ, si cùm possis commodè, non eos juves: & verò Ecclesia communiter pro omnibus preces ac sacrificium Numini offerre solita est. Deindè nostra in nos inclementia, infligendos nobis olim cruciatus non prævertentium, gravis culpæ damnari non potest. Adhæc hebetudo mentis humanæ, & caligo quædam ignorantiæ purgantium tormentorum, neglectum istius subsidii magno crimini verti non sinunt. Denique nec sacri Codices, nec sacrosancta Concilia, nec Ecclesiæ Patres eumdem gravioris culpæ damnarunt. Quamobrem si deinceps inclementiam illam graviùs insecter, usque eò ut ex argumentis, ac similibus mortiferum crimen argui posse videatur; orationem meam sic accipi velim, ut Sanctorum Patrum, ac Concionatorum dicta, sano nimirum ac commodo sensu: non autem theologicâ lance ponderari. Constat enim vix, aut ne vix quidē ullos oratores sacros in judicium non rapiendos, si quæ in amplificationibus suis, atque exhortationibus liberè apteque ad movendos animos proferunt, theologica trutinâ expendi velis.

§. 1.

Prior obligationis causa.

Pars prima.

Statuitur.

449. *Præceptum caritatis erga proximum.*

Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret Jo. 3. Sic filius unigenitus eumdem amavit, ut ejus causâ vitam profunderet, & Spiritum Sanctum illi donaret. Sic Spiritus Sanctus adamavit, ut cùm deesset persona divina, quàm illi largiretur, *caritas Dei diffusa sit in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Sic denique tota Sanctissima Trinitas illum cordi habuit, ut singulis hominibus caritatem mutuam præcepetit, ut non modò ipsa per sese, sed & per omnes amorem omnibus exhiberet. Et præceptum illud quidem per Moysen primùm promulgatum est in hanc sententiam. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex totis viribus tuis, proximum autem sicut teipsum.*

450. *A Christo etiam promulgatum.*

Sed cùm Numini primis in votis esset, ut studiosissimè servaretur, ipsa Numinis Sapientia instaurare illud, ac per se denuo promulgare voluit. verba legis sunt. Jo. 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos*, & aliàs idque etiam sub vitæ finem idem ejusdem Jo. c. 15. inculcans: *Hoc est*, ait, *præceptum meum, ut diligatis invicem*, & iterum, *hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Nimirùm triplex hæc repetitio vehementiam indicat desiderii quo fertur ad legem stabiliendam, ejusque obtinendam observationem. Deinde mandatum hoc novum appellat, quod in veteri lege proximum sicut nos ipsos amare juberemur, Christus autem velit illum à nobis amari sicut dilexit nos, quos certè dici potest plus dilexisse, quàm seipsum.

451. *Ratione probatur.*

Cæterùm quòd ipse hoc in genere præcepit, ratio etiam exigit, & velut imperat. Nam cùm Deum charitate supernaturali amare teneamur, etiam proximum amemus, necesse est. Siquidem & Dei filius, & eximia quædam participatio est, quatenus donis ipsius supra naturam evectus, atque ad cœlestem beatitudinem destinatus, in qua beatitudine, summa Numinis gloria posita est, adeò ut proximum diligere sit Dei gloriam velle, ac proinde Deum amare.

452. *Præcepti caritatis super naturalis differentia à præcepto naturalis.*

Porrò eatenus differt hoc præceptum à præcepto caritatis in proximum naturalis, quatenus altera caritas ab alterâ differt. Nam quæ naturæ insita est, tendit in proximum, ut divinitatis imago naturalis est, sive propter libertatem, ut è Patribus non pauci volunt, sive propter triplicem in unâ animâ facultatem, adque adeò unius essentiæ divinæ in tribus personis repræsentationem. Quæ autem supra naturam sita est charitas in eumdē tendit, ut Numinis imago est supernaturali: Quippe prout refert per gratiam, esse divinum, cujus hæc nos consortes facit; per fidem, divinam Sapientiam; per spem, divinam bonitatem, quæ spei basis, & quidam oculus est; denique per caritatem, amorem itidem divinum. Deinde caritate naturali proximum prosequimur, quatenus capax est beatitudinis naturalis, sive naturæ accommodatæ: supernaturali verò, quatenus Deo frui potest, modo naturæ vires longè fugiente, sito in beatificâ visione, cui perfectiones divinæ obversantur, quà nullam habent cum naturâ connexionem, nec naturæ viribus possunt participari. Itaque præcepto charitatis naturalis jubemur velle proximo bona, beatitudinemque naturalem; supernaturalis autem, supernaturalem: illam ut Numinis mancipio; hanc, ut filio, & hæredi.

453. *Et gravitas major.*

Ex quibus metiri licet precepti, de quo agimus, gravitatem, præ gravitate præcepti naturalis. Nam quò res præcepta excellentior graviorque est, eò lex graviùs obligare nata est. Ac proinde ambigi nequit, quin vehementiùs impelli nos par sit ad amorem proximi supernaturalem, atque ad procurandam illi beatitudinem divinam ac cœlestem, quàm lege naturæ ad naturalem. Et sanè ægtiùs fert Dominus infringi mandatum, quo filiis obsequii quidpiam exhiberi volebat, quàm quo mancipiis curam aliquam adhiberi. Quæ quidem eò perfectiora sunt, quò clarior ex caritate supernaturali redundat in Deum gloria, quàm ex naturali: Etenim ejus gloriæ jactura, quæ violatione supernaturalis caritatis continetur, crimen illius exaggeret, necesse est: quemadmodum contumeliam aggravat honoris, qui per eam periit, pretium ac præstantia.

454. *Obligat ad pios manes salvandos.*

Atque ex his plus nimio se prodit obligatio subsidii in defunctos. Ut enim non iteremus illos *proximi* nomine comprehendi: Christus in hac lege ferendâ, vel ut Legislator spectari potest, vel ut Pater. Si prius, cùm ea lex favorabilis sit, & generalis, universæ nimirùm genti Christianorum lata, debuisset Legislator disertè ab ea excludere defunctos, si excludi voluisset: propterea quòd lex favorabilis, ad quàm plurimos potest, extendenda sit, non

non ad pauciores restringenda. Si verò Christum ut parentem aspiciamus, eamque illius legem ut ultimam voluntatem: profectò cùm parens quispiam morti vicinus, coactis ad spondam suam universis liberis supremùm loquens, ultima mandata illis dat, solet majoribus ac provectioribus singulariter commendare curam natu minorum; horumque tutelam bonis ac prudentibus viris committere? nempe quia eorum infirmitas, & sese suaque regendi imperitia, impotentiaque auxilio alieno indiget. Et arbitramur Christum Opt. Max. Parentem, charissimas defunctorum animas calamitatis suæ levandæ prorsus impotentes, oblivione, aut voluntate præteriisse tum temporis, cùm cæteris liberis communiter prospiceret, & præcepta ultima traderet? Quid dicam crudelitatis arguendum illum, qui moriens filio custodiâ detento opem ferendam non imperaret; cùm etiam alieno, & inimico, & mortis suæ machinatori authorique, caritas, humanitasque favendum tum maximè præcipiat? An verò existimabimus eumdem Christum, aut inhumanum in pios manes fuisse, pridie quam pro ipsis pateretur, ac moreretur: aut quàm id temporis mandavit, commendavitque caritatem, neglexisse, cùm tamen dilectionem suam in regulam nostræ etiamtum proponeret?

455. *Confirmatur hæc ex verbus Christi caritatem præcipientis.* Sic enim argumentari licet: dum ita jubet Christus: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*, particula illa *dilexi vos*, ad defunctos etiam significandos se porrigit, cùm omne genus dilectionis in omnes denotet, nominatimque passionem, ac mortem Christi, cujus fructus ad omnes derivatur. Igitur dilectio, quæ præcipitur, etiam ad pios manes extendatur, oportet. Alioqui enim certè mandatum illud caritatis, verè *novum*, at non sat piè diceretur, quoniam præter humanum morem, dum caritatem in filios, pariterque fratres præciperet, eos illo præcepto non comprehenderet, qui maximè alienæ opis indigent. Quod si verò Christus pios manes eo præcepto comprehendit, ergo quà precibus, quà modis aliis via illis in cœlum expedienda est. Et sequela hæc patet: quia omnium Theologorum consensu obligor lege charitatis proximo, dum commodè licet, beatitudinem procurare: igitur & tollere beatitudinis adeundæ impedimenta, ex quibus est obligatio ad pœnam culpæ remissæ debitam, quoniam eâ manente beatitudo nequit acquiri. Et verò qui ad finem alteri comparandum aliqua lege tenetur, etiam ad media, ut vocant, ei comparando necessaria teneri compertum est.

Pars secunda.

Eiusdem causæ explanatio moralis.

456. *Vis illius obligationis.* Cum itaque cõstet obligatio caritatis supernaturalis in defunctos, atque adeò subsidii iisdem providendi, vis ejus obligationis expendenda est. Primùm itaque cùm charitas animum impellat ad benè Deo volendum, ejus verò infinitæ majestati, ac beatitudini nihil addere verè possimus, ipse loco suo proximum exhibet, quippe quem naturæ, gratiæque donis ei communicatis sibi similem, & tamquam alterum se effecit: ut quæ bona ipsi reddere ex charitate deberemus: ea proximo eorum capaci reddamus. Cùm igitur propter stabilem in gratiâ confirmationem, & indubitatam gloriæ cælestis spem pii manes plurimum de divinis participent, consequitur & simillimos Deo esse, & eorum quæ Deo tribuenda essent, plurimum iis ex charitate deberi. Sicut igitur ei, qui jussus esset filiis solvere, quod parenti debetur, eadem inesset obligatio illis solvendi: ita qui caritatis officia defunctis negat, perinde reus est, ac si Deo negaret. Sed rem pressiùs urgeamus.

457. *Quia Deo conjunctissimi.* Tantò strictior est obligatio aliquem diligendi, quantò is amore dignior est. Ut ergo Deus maximè omnium amore dignus est propter insitam bonitatem, seu cumulum perfectionum omnium; ita cæteris paribus amor ac charitas in pios manes ea proportione crescere, & excellere debet, quâ ad Deum, propter quem diliguntur, accedunt, eique conjunguntur. Atqui indissolubili intimoque amore, plurimisque aliis divinis donis ei conjunguntur: igitur excellere debet ea charitas, quæ illorum merito par dici possit, ac proinde obligatio eos diligendi, & miseriis eripiendi non potest in minimis numerari.

458. *Utpote Dei filii.* Illustrari hæc magnopere possunt, si, quibus gradibus pii manes ad Deum accedant, attendamus. Enimverò filii Dei sunt, & ipsi concepti de Spiritu Sancto, natique ex Maria Virgine, neque possunt tanta dignitate excidere. Etenim cùm Spiritus Sanctus nullam in Sanctissimâ Triade personam producat, gaudet inter homines habere filios, eosque sibi gignit, essentiæ suæ communicatâ velut particulâ. Et Immaculata Maria administram matremque hac in generatione se præbet, nempe precibus, & amore, ac favore eos Deo pariendo. Et licèt hæc utraque præ-

rogativa mortalibus obtingat: tamen purgandis animis singulariter competit, quod jam competat felici quadam necessitate, atque adeò nullâ umquam vi, aut ætate possit illis perire. Atqui filii deliciæ sunt parentum, & solent hi majorem illorum, quàm sui gerere curam. Quum ergo Spiritus Sanctus amorem sui, ac suorum præcipit, amorem piorum manium, ac proinde ipsorum in tantâ suâ necessitate levamentum maximè præcipit.

459. *Et Christi Sponsæ.* Deinde eædem animæ Numinis Sponsæ sunt, non quidem *una caro*, effectæ, sed, quòd longè præstantius, unus spîritus cum eo: nec possunt aliud velle, aut nolle, quàm velit, nolitúe Deus: isque amor, atque voluntatum consensio divelli non potest. Et tamen tam nobiles, tam dilectæ Deo Sponsæ, pro thoro nuptiali, rogum invenêre, in eoque non modò flammâ vindice ardent, sed & simul illius, qui castigat uritque, desiderio, & amore. Quamobrem & ipse Sponsus, qui castigando amat, & urendo uritur earum amore, quique promiscuè vult diligi amicos, imò & inimicos suos, scilicet Sponsas illas suas amantissimas amantissimè à mortalibus adjuvari imperat.

460. *Et fratres matresue.* Quòd si veritate teste, *qui fecerit voluntatem Patris, qui est in cœlis, ille Christi frater, & soror, & mater est*, id est, tanto ipsi est in amore, ac si his omnibus nominibus Christo conjunctus esset: si homines justi revera ejusdem fratres sunt, eiusdem utique Patris soboles, & propterea sic ab eo non semel appellati, & reipsa eiusdem hæreditatis consortes: si illius matres dici possunt, qui vel in suo, vel in alienis cordibus eum pariunt, omnia hæc nomina piis manibus apprime conveniunt, & ideò his omnibus nominibus à Christo adamantur. Cùm igitur legem tulerit omnes communiter amandi, quis dubitat quin hunc amorem in eos effundi voluerit; Quis ambigit, quin eorum unumquemque ita velit iuvari, ac si ipsius, & frater, & soror, & mater esset? Audis hæc Christiane? & quid, quæso, faceres, quid non faceres pro fratre Christi naturali? quid pro sorore, quid pro matre faciendum, patiendumque censeres? Quid; particulam illius crucis igni, & ustioni expositam negligere nequires, & si togam illius, aut capillos habere posses, omni amore, cultu, custodiaque dignos crederes.

461. *Et viva membra.* Et ecce non modò fratres, aut sorores, matresue Christi, non modò togam, aut capillos, sed eiusdem viva membra flammis expiatricibus conflagrare audis. Sic enim Apostolus 1. Cor. 12. *Vos estis corpus Christi, & membra de membro.* Quod Augustinus tract. 28. in Joan. ita demonstrat. *Si ipsi fideles non essent membra eius, non diceret Saulo: quid me persequeris? non enim Saulus ipsum, sed membra eius, fideles eius, in terrâ persequebatur. Noluit tamen dicere sanctos meos, servos meos, postremò honorabilius fratres meos: sed me, hoc est, membra mea: quibus ego sum caput. non enim, inquit, Christus totus in capite, & non in corpore: sed Christus totus in capite, & in corpore.* Sic ille doctor. porrò nosti membra ista intimè fortissimeque ab eo adamari, sic ut eorum causâ corpus ipse suum discindi flagris, & denique vitam profundere voluerit: Insuper nosti amorem in omnes ab eo præcipi; quo igiter animi sensu, quantâ benevolentiâ ad eorum in flammis levamen ferri te oportet! Quid? Charitas non tantùm naturalis, sed etiam supernaturalis te obligat ad eripienda vel tui, vel alterius membra corporis, si fortè flamma hæc invaserit, aut nisi iuves, sit invasura: membra igitur Christi spiritualia, atque ut cum Deo ipso loquar, *pupillas oculi* divini, an dubitare potes, quin igne illo ardentissimo ex charitate supernaturali sint eripienda?

Enimverò nolle ex flammis eripere viva Christi membra, quid aliud, quàm Christum ipsum nolle eripere? Quid enim membra eius in purgatorio attineri, aut vindicibus illis flammis excruciari, quàm attineri atque excruciari ipsum Christum? Quid aliud Laurentii membra super craticulâ torreri, quàm torreri ipsum Laurentium? Itaque cunctari, aut nolle eripere pios manes, viva utique, ut diximus, Christi membra, est ipsum Christum cunctari, aut nolle eripere. Verùm quid hîc moror? nemo alius id tam clarè, quàm Christus ipse pro supremo suo tribunali, orbe universo audiente dicturus est, hisce verbis Matth. 25. *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis; esurivi, & dedistis mihi manducare.* Quò alludens D. Chrysologus Serm. 14. in Psal. 40. cuius hoc initium. *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem*, sic ait, *nuditate algidus, tabidus fame, siti aridus, lassitudine tremens, defectu luridus quod egenus sit, intelligere, quis labor,? Et si labor intelligentiæ nullus est, unde intelligentiæ fructus? Oremus fratres, ut ipse intelligere nobis intelligenda concedat, qui se intelligi in paupere demonstrat, quod ipse, qui cœlum regit, sit nudus in paupere quod in esuriente esuriat saturitas rerum; quòd sitiat in sitiente, fons fontium: intelligere quomodo non magnum est, quomodo non beatum*

462. *Imo ipse Christus.*

beatum intelligere, quòd ei sit ampla paupertas, cui angustum est cœlum, qui ditat mundum quòd egeat in egente, quòd frustum panis, aquæ calicem, dator omnium quærat, quod se Deus amore pauperis sic deponat, ut non adsit in paupere, sed ipse sit pauper. Ita Chrysologus, qui deinde sic pergit: *Sed quomodo aut in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem infuderit, dicat ipse iam nobis: Esurivi, inquit, & dedistis mihi manducare; non dixit, esurivit pauper, & dedistis illi manducare; sed esurivi ego, & dedistis manducare mihi: sibi datum clamat, quod pauper acceperit, se manducare dicit, quòd comedit pauper: quod bibit pauper, sibi testatur infusum.* Ac deinde progreditur, expenditque Christum non modò sibi gratulari, quòd datum pauperi munus acceperit, sed & testari semet in paupere miserias passum esse. Quæ quidem oratio sanè præclara est, & ad Christi sensum perquàm accommodata: sed si de quolibet paupere vera est, ad paupertimos Purgatorii pauperes multò satius transferenda est. Quare dicere jam licèt Christum Redemptorem piaculari flammâ torqueri, atque adeò ipsum iterare illud lugubre carmen *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei*: pro quibus tot, & tanta pertuli vivus, & ecce mortuus in mortuis dilectissimis mihi membris nunc acerbissimè crucior. Quæ verba si non ardentissimam charitatem, ac benignissimam misericordiam è cordibus nostris eliciant, certè quidem eam exigunt.

§. 2.

Posteriores obligationis causæ.

463. *Sunt in necessitate.* Sed caput est hac in materiâ piorum manium demonstrare necessitatem; quandoquidem hæc maximè, cæteris quidem paribus, momentum addit obligationi. Porrò necessitas animarum eò pluris fieri debet, quò plus cruciatuum tolerandum illis est, nisi succurras, & quò minus ipsæ per se possunt illos levare. Cruciatus autem duplices sunt, scilicet damni, & sensus, & utrique omni humano cruciatu graviores. Impotentia verò eos sublevandi, ut sæpè dictum est, & dicetur, summa est.

464. *Objectio.* Neque sat est ad excutiendam adjuvandi obligationem, quòd licet tu ipse non adjuves, credibile sit alios illis opem laturos: neque verò defuturas illis communes Ecclesiæ preces, ac sacrificia. quamvis enim hæc ratio obligationis vinculum laxet, minimè tamen dissolvit. quippe quòd semper aliæ & aliæ sint animæ, quibus, nisi medeare, ut facilè potes, gravissimi dolores sint subeundi: Præterquam quòd etiam illæ, quas ab aliis mortalibus juvari pones, non omninò eripiantur è gravissimis malis, & interea citra incommodum possunt à te sublevari. Igitur pios manes non conari in hac sua subsidii necessitate levare, procul dubio caritati divinæ repugnat. Et verò ita disertissimè sentit Carthusianus, cujus hæc est oratio: *Omnino extra viscera exulat charitatis, & omni est fraterno spoliatus amore, qui sua negligentiâ, aut vecordiâ miseras amicorum suorum animas in Purgatorii flammis ardere permittit: Cùm dicat S. Pater Augustinus, nulla præsentis vitæ supplicia, etiamsi universa congerantur, Purgatoriis esse tormentis coæquanda. Hæc tecum sapienter pensites velim, ut id agas ocyus in animâ proximi, quod tibi in similibus pœnis cupires impendi.* Ita Carthusianus Epist. ad Doctorem Theologiæ Colonienſem apud Bzovium Anno 1471.

465. *Ergo iis opitulandū, ut lapso in ignem insanti.* Quæ cùm ita sint, nemo, ut opinor, homo catholicus miseras illas animas ope sua deinceps destitui posse autumabit. Et verò nemo est, qui infantem in ignem lapsum non statim eripere festinet, etiam cum aliquo suo periculo. Et fuit non pridem illustrissima quædam Belgii fœmina, quæ cùm foco assidens aviculam è camino fortè in ignem collapsam animadvertisset, derepente omnes famulas circumstantes in illius auxilium, libertatemque bestiolæ invocavit, unde opportunissimè edocta est à Sacerdote Religioso istic præsente, cùm Deus naturæ tantam in misellas etiam bestias caritatem indiderit, longè illum ardentiore sincerioreque animas complecti, quæ res id temporis non parum anxiam illam habebat.

466. *Aut homini in flumen.* Nemo quoque est, qui se omnium execratione dignissimum non putaret, si hominem colluctantem cum undis, subsidio, quod afferre commodè posset, non dignaretur: & erit catholicus, qui non se indignum putet pios manes negligere, cùm liberare possit. licet negligentia illa ob causas allatas veniali tantùm culpæ verti queat?

467. *Aut filio Regis regno exturbato.* Jam Regis filium, & Regni legitimum hæredem, dum jus, fasque est, non restituere in integrum, etiam barbaris detestabile censetur, si præsertim ejus virtus ac probitas, ac merita parentis illum Regno alioqui dignissimum demonstrent. Atqui pii manes cælestis Regni legitimi hæredes, cœlo extorres, insuper ergastulo attinentur; virtusque illorum, ac probitas

Regno

Regno dignos illos efficiunt, & merita Christi Regis, amantissimique eorumdem parentis, restitutionem provectionemque ad solium cæleste exigunt, iis ergo suppetias non ire inhumanum est, adeoque divinæ adversum caritati. Quare cùm hæc etiam, ut vidimus, totius Sanctissimæ Triadis inviolabili lege præcepta sit, an erimus Christo fideles, an legitimi Numinis filii, nisi piissimos illos Numinis filios ad Regnum cæleste omni ope provehamus?

468. *Alioqui ne Christiani quidem sumus.*

Tantum abest, ut ne verè Christiani quidem dici mereamur: nam si Christianus est Christi discipulus, quo nomine Christi asseclæ olim appellati fuere, *In hoc*, (ait ipse,) *cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*: Jo. 15. nec dicas sufficere si viventibus eam præstes: ut enim vera caritas esse desinit, si viventium, vel unum quamlibet inimicum communibus charitatis divinæ officiis prosequi recuses (quoniam una, eademque ratio est omnes diligendi, quòd scilicet omnes sint res, ac bonum Dei) ita si mortuis prætermisis ad omnes vivos, & solos caritatem extendas. Ergo ad vos omnes, ô pii Lectores, pertinent hæc Pauli. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*: Gal. 6. Ea enim Hugo Etherianus ad pios manes juvandos allegat, de regressu animarum c. 15. Et sanè rectè pœnas purgantes onera voces, & gravissima quidem onera, non modò quòd acerbissimo mœrore ac molestia afficiant animas, sed etiam quòd easdem naturâ, & totis desideriis sursum tendentes, instar gravissimorum onerum propiùs ad centrum Universi depressas detinent. Rursum rectè à vivis portanda dicas, quòd caritas ea velut imponat cordibus piorum, quippe quæ miserias alienas miseranti faciat proprias, nec abjicere aut oblivisci sinat. Et ideò D. Ambros. ut veram in Theodosium Imperatorem caritatem suam esse demonstraret: *Dilexi*, inquit, *& ideò prosequor eum usque ad regionem vivorum, nec deseram, donec fletu, ac precibus inducam virum, quò sua merita vocant, in montem Domini sanctum*. Ut namque rectè Simon Cassianus l. 13. in Evang. c. 129. *non potest esse in absentiâ dilecti, otiosus legitimus amor, & post mortem exhibet dilectis officia servitutis*. Rectè *Servitutis*. Divina enim caritas alumnos suos velut defunctorum servos urget, adigitque ad opem iis ferendam Id quod in Anthea Lucensi fœmina luculenter compertum est. Hujus enim in accurando mortuorum negotio, quanta fuerit sedulitas, quantus animi ardor, vix fando possit explicari. Etenim cùm perpetuo ac durissimo jejunio, simplicissimâ in tunicâ hyemem toleraret, precibus continuis vitam ageret, & quodam divinitatis impulsu concurraret, Sabaudum, Mantuanumque Regulos, ipsumque Cæsarem adiret, quidquid auferre poterat, totum expediendis illico piarum animarum nominibus impendebat. Ob eamque causam Virginum Collegia, & hospitales ægris domos ædificandas curavit. Et verò tam ardentis animi sensu in id opus incübebat, ut omnes facilè in sua vota pertraheret, cùm *mortuos suos* rusticâ quadam vocis inelegantiâ, sed plusquam civili diceret charitate. Ita memorat Noster Joannes Rho de Amore. l. 1. c. 4.

469. *Querimonia de impia caritatis in defunctos.*

Et utinam alii, aliæque similia factitarent, aut certè ad eam caritatem longo licet intervallo accederent! Sed nescio quo pacto evenit, ut cùm caritas multos Christianos impulerit, impellatque ad curanda miserorum corpora in Xenodochiis, nosocomiis, orphanotrophiis, aliisque ejusmodi piis locis, piorum manium calamitates oblita videatur. Pauca videas per orbem sodalitia in eorum gratiam erecta, & cœnobia quidem, ac Sacerdotia, seu Canonicatus eâ causâ instituta sunt, ut ex cantu divino, pauperumque alimentis fructus satisfactionis, impetrationisque ad vitâ functos manaret: sed novit Deus, novit plebs Christiana, quàm rarò voluntas hæc Fundatorum rectè expleatur; sive quia rara ac levis est cura defunctorum, sive quia bona Crucifixi malè expendi solent. Jam privatorum studium suos adjuvandi quàm exiguum sit, ex historiâ Lazari discе. Num ægrotat Pater, aut frater aliquis? Marthæ, & Mariæ instar renunciant Domino, dicuntque nec semel, & cum crebris lacrymis: *Ecce quem amas infirmatur*. At vix triduo à morte elapso, ne de illo cogitare quidem sustinent, *quatriduanus est, iam fœtet*, & de multis verè nimis dici potest illud Psalmistæ; *periit memoria eorum cum sonitu*; æris videlicet campani, quod viventes honoris potiùs sui causâ quàm defuncti, magnificè pulsari curant. sed ut insinuavi, ea demum caritas vera est, quæ viventium bono consulere non contenta, ad mortuos se porrigit, nec enim acquiescere potest qui revera alteri benè vult, nisi eidem benè ac beatè sit. Curta nimis, & angusta ejus caritas est, cui quod procul ab oculo, procul est ab animo.

ARTI-

ARTICULUS III.

Misericordiæ lege piis manibus opitulandum.

§. 1.

Declaratur.

470. *Misericordiæ lex sæpe promulgata.*

MISERICORDIÆ lex, non uno loco, nec semel lata, & promulgata est. Nam in veteri quidem Instrumento Zach. 7. *Hæc ait Dominus exercituum dicens. Iustum iudicium iudicate, & misericordiam, & miserationes facite, unusquisque cum fratre suo.* Deinde in novo sic immitem servum arguit Dominus Matt. 18. *Nonne te oportuit misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?* Sed nihil evidentius hoc in genere supremo Christi judicio Matth. 25: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, En pœna. Quæ culpa, quæve legis violatio? *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi bibere.* Et verò dilectus discipulus idem didicerat à Magistro suo. Quamobrem Epist. 1. c. 3. *Qui habuerit*, ait, *substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo quomodo charitas Dei manet in eo?* Si charitate, & gratiâ Dei excidit, ratum est, offensæ Numinis, & legis ejus violatæ, reus est.

471. *Ad misericordiam spiritualem strictiùs obligamur.*

Quòd si autem misericordiæ lege corporum miserias levare tenemur, haud ambiguum, quin, & animæ, & strictiùs quidem, depellere obligemur. Nam cùm ratio miserendi, sit miseria, spiritualis miseria longè gravior est; atque adeò misericordia spiritualis magis necessaria. Adde, & hanc esse faciliorem, cùm citra incommodum exhiberi queat; & nobiliorem, tum quia bonum spirituale præstantius est corporali, tum quia animus cui benè fit, præstantior corpore, tum denique quia actio, per quam animo opitularis, est nobilior.

472. *Lex misericordiæ spectat defunctos.*

Ex quibus manifesta fit obligatio piis manibus opitulandi. Horum enim miseria & corporalis dici potest, & spiritualis. Corporalis quidem, quia ignis quo torquentur, corporeus est, & cruciatus ei similis quem corpus vivens vel potiùs anima illi insidens patitur. Verè enim, ut probavimus, in illam sævit agitque lustralis ignis, eique ejusmodi dolorem inurit, quem inureret ipsimet corpus insidenti. Spiritualis verò vocari eadem miseria potest, tum quia spiritum afficit, tum quia maximè sita est in tristitiâ ex privatione visionis beatificæ & scelerum memoriâ manante. Quare si alterutra calamitas misericordiam jure suo exigit, longè potiori utraque illam exiget. Ne autem quispiam perperam objiciat misericordiæ legem ad solam mortalium miseriam sublevandam obligare, meminerit à Suario, cæterisque Theologis, objecto materiali misericordiæ comprehendi eos omnes, quos caritas spectat, modò sint miseriæ capaces. Quare cùm charitatis virtus ad eos juvandos se porrigat, quis misericordiæ legem ad solam viventium sublevationem extendat? Accedit, quòd Christus eum damnet, qui Domini servum, & Joannes, qui fratrem suum non sit miseratus: pii autem manes & Domini servi, & fratres nostri sunt: & horum igitur non misereri, inhumanum, & misericordiæ lege vetitum: præsertim cùm pluribus Scripturæ locis, misericordia generatim præcipiatur, & avari, immitisque ingenii sit, nolle ad defunctos hujus legis fructum extendi.

§ 2.

Amplificatur ex conditionibus misericordiæ.

473. *Conditiones misericordiæ.*

CÆTERÙM ut hæc obligatio luculentiùs monstretur, tres mihi res expendendæ sunt, quas ad miserationem requirit Philosophus 2. Rhetoric. cap. 4. Prima est ut qui miseretur, alienam miseriam æstimet suam. Id quod authore D. Thoma q. 30. a. 2. duplici ratione potest contingere. Primùm per affectuum consensionem, atque ut vocant, unionem, quam verus amor parit: cùm amicus amico sit alter ipse, & alterius malum sit utriusque. Quare idem Philosophus inter amicorum officia meritò mutuam commiserationem recenset. Posterior modus in communione miseriæ situs est: si nimirùm quis vel eadem patiatur, vel propter ejusdem naturæ sortisque societatem se pati posse arbitretur quæ in misero videt. Nam propterea ejus illum miseret. Quo pacto infirmi, senes, ac Sapientes, cùm propriam naturæ imbecillitatem agnoscant, ad miserandum proniores sunt robustis, juvenibus, fatuis, qui cùm miserias, vel experti non sint, vel se posse experiri non existiment, facilè iis se immunes fore arbitrantur.

474. *Miseria defunctorum*

Atque hinc exstitit prima causa piorum manium miserendi. Ut enim de officio

nostra cognosci potest.

amicorum nihil jam dicam, quis lustrales pœnas capiti suo imminere non credit? Quis non gemit sæpe, & certò se peccasse, & rarò studuisse Justitiæ divinæ pro tot suis culpis satisfacere; numquam, dum vivet, cogniturum, an revera vel unam culpam legitimo dolore diluerit? tantum abest, ut noverit se illius unius pœnam solvisse. Quid de universis censendum? Etenim singulis diebus, imò horis, imò vitæ momentis cumulantur noxæ; adeò ut *Iniquitates meæ supergressæ sint caput meum, & sicut onus grave gravatæ sint super me: Imò putruerint, & corruptæ sint cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*, & præterea *infirmata sit in paupertate*, sive ut alii legunt, *in malitia virtus mea*; adeò ut pro noxarum multitudine, ac gravitate; inopiâ gratiarum actualium, quæ pectus corroborare natæ sunt, magis ac magis premar. Quare felicem se fermè quisque credat, si temporariis dumtaxat pœnis castigetur, ac propterea aliorum qui jam nunc castigantur, malis, ad miserationem subsidiumque piorum manium commoveatur, oportet. Illud enim est quod Apostolus monet Heb. 13. dum sic hortatur: *Mementote vinctorum tamquam simul vincti, & laborantium tamquam & ipsi in corpore morantes.* Etsi enim captivos fidei causâ Christianos hisce verbis commendet; velitque alios ad ciendam in se misericordiam reputare seipsos iisdem cum iis miseriis ac vinculis premi: tamen ad nos, & ad captivos nostros, eadem oratio spectat: & ita quidem, ut Apostolus velit, cùm eadem captivitas nos maneat, idemque Purgatoriæ flammæ ardor, hæc velut jam pateremur, nobis ob oculos mentis ponenda esse: & perinde, atque si defunctorum in animis commoraremur, eorumque cruciatus sentiremus, ita ad levamen eorum, & flammarum extinctionem ferri nos oportere. Ita Jobum imitabimur, qui c. 30. *Flebam*, inquit, *quondam super eum, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Quem locum nonnulli sic legunt, ut dicat idem vir sanctus, *dilacerabar, urebar*; ut videatur Spiritus Sanctus, ad commiserationem, de qua agimus, aspexisse, & innuere, ut sic eâ exæstuemus, quasi idem ignis tormentum persentiremus. Quò etiam spectat illud Augustini ac Cassiodori apud Cornelium, *Sudet Eleëmosyna in manu tuâ, quousque inveniàs justum, cui eam tradas.* Ut intelligamus, dum de Justis ac piis manibus juvandis agitur, totum hominem curâ & sollicitudine velut ardere debere; sic ut eleemosyna ipsa calorem concipiat. Quamobrem agnoscis, mi Christiane Lector, primam conditionem ad misericordiam ab Aristotele requisitam hîc adesse: & te quoque, & omnes Christianos propter hanc ipsam ad miserandum urgeri, cùm peccatis obnoxios piorũ manium miseriis ac suppliciis obnoxios esse necesse sit.

475. *Est autem præter voluntatem illorum.*

Nunc ergo videnda nobis est altera conditio ab eodem Philosopho expetita, dispiciendumque, an & ipsa piis manibus conveniat. Hæc igitur est, ut calamitas ob quam miserendum sit, præter patientium voluntatem contigerit; adeò ut illâ se expedire nequeant. Siquidem, qui sponte miser est, miseratione indignus censetur, ut patet in avaro, qui cùm pecuniæ cupiditate sese curis ac laboribus enecet; & in libidinoso, qui cùm multas noctes insomnes & anxias ducat; & in cupido vindictæ, qui cùm tabescat, nullâ tamen misericordiâ, sed execratione potiùs atque imprecatione digni judicantur: quippe quòd, & possint, & debeant ejusmodi miserias à se depellere. At piis manibus planè contrarium accidit. Quamquam enim propter maximam voluntatis suæ cum divina consentionem, Justitiæ divinæ se plectentis manum velut exosculentur & ament, tamen quia pœna illorum, caritatis propensioni, & beatitudinis desiderio adversatur, & insuper sensibilem dolorem inurit, utique illam vehementer abhorrent, eoque miseriores se reputant, quò minus valent illâ se expedire. Gemunt itaque cum Psalmista, *sicut pullus hirundinis*, sive ut Symmachus vertit, *ut hirundo inclusa*; quæ nimirùm frustra clamat, neque clamore caveam reserare ullatenus potest. Item cum Judæis apud Isaiam c. 26. hunc in modum gemunt: *Sicut quæ concipit cùm appropinquaverit ad partum: Concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum, salutes non fecimus in terrâ.* Quasi dicant: puerpera quidem post partûs dolores edit fœtum; at nos miseri post dolores longi puerperii, quòd Deum in nobis parere & possidere per visionem beatificam desideravimus, peperimus ventum, id est rem evanidam, seu nihil votis profecimus. Curnam? ô miserabiles! Quia, inquiunt, salutes non fecimus in terrâ, id est, dum essemus in vivis, rem salutis & satisfaciendi studium negleximus, qui sensus ad Vatabli interpretationem propè accedit.

476. *Igitur eorum misere.*

Inde verò misericordiæ necessitas & obligatio major emergit, quam Deus ore Ecclesiastici non semel proclamat; nam c. 4. *Ab inope*, inquit, *ne avertas oculos*, & cap. 7. *neque inopem derelinquas.* Quid enim inops? certè qui sine ope est miser, & Isaias,

& Isaias, Jeremias, aliique prophetæ inter præcipua Principum Judeorum crimina hoc ponunt; *Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* Is. 10. *propter hoc*, ait, *Dominus Deus exercituum, fortis Israel: heu! consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Quibus verbis ostendit Deus primùm, velut compellendum se ad vindictam de hoc scelere sumendam: quippe cui misereri sit proprium. Deinde eam fore acerbam: perinde ac gemit medicus malum adeò grave esse ac periculosum, ut membrum eo affectum, veluri, vel secari oporteat. Et paulò post pergens idem Vates; *Et erit*, inquit, *fortitudo vestra, ut favilla stuppæ: & opus vestrum quasi scintilla, & succendetur utrumque simul, & non erit qui extinguat.* Quæ sic accipere possumus, ut his significetur pœna immitium in miseros, pupillos, & viduas, atque adeò in pios manes, qui propter impotentiam & derelictionem verè pupilli & viduæ vocari possunt; pœna, inquam, incendii purgantis, quo eorumdem immitium fortitudo, seu potentia juvandi nimium iners & otiosa, & opus pravum ita succendetur, ut non sit qui precibus suis, aut alia ope, illud extinguat, nempe in pœnam talionis. Quamobrem quod monet Ecclesiasticus cap. 20. tibi nominatim scriptum existima, mi Lector, *propter mandatum* Numinis tam gravibus suppliciis sancitum, *assume pauperem*, Purgatorii pupillum, *& propter inopiam*, atque impotentiam, *ne dimittas eum vacuum.*

477. *Adde miseriam eorū dignitati repugnare.*

Præsertim cùm tertia conditio ad misericordiam à Philosopho requisita, hîc quoque, & maximè adsit, ut pœna sit præter dignitatem patientis: Quo enim celsior est gradus ejus, qui affligitur, eò magis miserationem illius crescere experimur: quoniam etsi eam mereatur, tamen celsitudo, ut supra vulgus eum effert, ita pœnæ reis communi eximere debere videtur. Et verò hæc est consuetudo mortalium Judicum; ut nobiles ac primarios mitiore pœna plectant, quàm plebeios ejusdem criminis consortes; maximè cùm infamia ac pœna minor viri illustris æquare censeatur graviorem hominis vulgaris. Porrò de dignitate piorum manium nihil jam attinet dicere. Nota est ex dictis, & tamen nulla illius habitâ ratione plectuntur, ut prædones, ut parricidæ, ut malefici, ac sagæ. O tormenti atrocitatem! neque dicas non posse à justissimo Judice puniri, nisi justissimis pœnis, imo citra justitiæ rigorem, ac summum jus re ipsa puniri. Nec enim id negare possumus, aut volumus; sed tamen utcumque justè plectantur, multorum lapsus non tam culpæ quàm erroris fuit: & quantæ quantæ aliorum culpæ fuerint; tamen omnes filii, amici, ac Sponsæ Numinis sunt, quando, & quamdiu plectuntur, & Regum instar cœlo dominabuntur. Igitur tantis in tormentis misericordiâ dignissimæ sunt.

Quid enim? perimitur Rex Israëlitarum Saul malevolus in paucis & sacrilegus, & David ei magnificè parentat, laudesque accinit, & mortui corpus à Philistheis raptum Galaaditæ honotificè contumulant. Dejicitur è fenestra sanguinaria Jesabel, equorumque ungulis conteritur, & mittit Jehu, qui sepeliant; *Quia*, ut ait, *filia Regis est.* Capitur fœdifragus Sedecias, & lugens Jeremias, *Cecidit*, ait, *corona capitis nostri: Væ nobis, quia peccavimus: propterea mœstum factum est in dolore cor meum: ideo contenebrati sunt oculi nostri*, Thren. 5. & cœli illæ Reginæ Regibus universis excelsiores, piissimæ ac religiosissimæ Christi Sponsæ, tantis calamitatibus oppressæ, misericordiam non merentur? 478. *Miserendum exemplo laudeorum.*

§ 3.

Neglectus illius misericordiæ culpæ vertendus.

ITAQUE ut Synopsim quamdam hujus articuli proponamus, cùm certum sit misericordiæ præceptum non corporalis tantùm, sed & spiritualis, & verò misericordia in pios manes cum utraque habeat aliquid commune, cùm insuper exploratum sit omnes misericordiæ conditiones ab Aristotele requisitas abundè hîc inveniri; ita ut piorum manium miseriam arbitrari nostram possimus, & hæc ipsa præter illorum voluntatem accidat; nec possit ab iis vitari, & præterea eorum dignitati repugnet eam perpeti; nihil est cur misericordiæ lege, iisdem succurrere non teneamur. Itaque alienum est à pietate ac misericordiâ, opinari negligentiam in hoc genere obnoxiam culpæ non esse, adeoque frustra in confessione Sacramentali aperiendam, & futile est rursum dicere misericordiam in vivos præcipi, non in vitâ functos. Constat enim omnium Catholicorum consensu, præcepto misericordiæ mortales obligari ad sepeliendos mortuos: cujus ratio redditur, quòd animis defunctorum, ad quas scilicet corpora pertinent, ignominiosum sit ea insepulta jacere. Et sanè defunctorum animæ, adhuc in se, & in homi- 479. *Culpa non miserentium.*

num memoria vivunt, & propterea in justitiam peccat qui eorum famæ detrahit. Quidni igitur peccabit in misericordiam, qui miseras, cùm facilè possit, non adjuvat? Tu itaque Christiane Lector, si intelligentiam propositis rationibus urgeri sentis, voluntatem misericordiæ permitte. Dum enim loquimur, dum scribimus, dum placidè hæc consideramus, animæ cremantur, lamentantur, auxilium nostrum implorant. Saltem vota illis mittamus, quodque agimus, aut cogitamus, hoc illorum bono agamus, & hæc enim *aqua extinguit ignem.*

§ 4.

Singula misericordiæ opera negligit, qui in pios manes immitis est.

480. *Omnes miseriæ in Purgatorio.*

BELLE huc aptem illa Isaiæ cap. 18. *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius: ad gentem exspectantem, & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius.* Qui enim illi *Angeli*? illi nimirùm, qui vel votis, ac stipe egenis data, piis manibus annunciant captivitatem eorum brevi terminandam, vel Tutelares ipsorum defunctorum, qui obtentum operâ suâ ejusmodi subsidium iisdem renunciant. Quæ verò *gens* illa *convulsa, & dilacerata*, sive ut alii legunt, *per omnes tribulationes tracta*? nisi ipsimet pii manes verè à Deo avulsi, & velut laceri ac suppliciis omne genus cruciatuum superantibus conflictati. Qui quidem etiam *populus terribilis* rectè dicuntur, *post quem non est alius*, quia flammis inhorrescunt, terrentque vel cogitantes, suntque centro terræ vicini, & à nobis remotissimi, & probabiliter orco continui. Et adverte aptissimè nuncupari, *gentem exspectantem*, vel ut alii *exspectantem, exspectantem*, phrasi hebraicâ, quâ summa eorum exspectatio denotatur. Adde, & de Purgatorio bellè intelligi ista: *cuius diripuerunt flumina terram eius*, flumina, inquam, ignea totam intercapedinem terræ centro vicinæ inundantia, adeò ut ipsa non appareat. Bellè, inquam, hæc omnia Purgatorio accommodem, cùm in illud unum calamitates omnes confluxerunt, atque ideò omne genus misericordiæ iis exhiberi par sit. Quamobrem visum est sigillatim ostendere opera illa, quæ vulgato hoc versiculo indicantur,

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo,

ex lege misericordiæ esse præstanda.

Visitandi pii manes.

481. *Pii manes infirmi, & captivi visitari possunt.*

ITE igitur *Angeli veloces*, & invisite *gentem convulsam, & dilaceratam* doloribus: nec te pigeat, mi Lector *visitare ægrotos.* Sic enim præcipit Siracides c. 7. & Christus satis innuit præceptum, cùm Matth. 26. in formula supremi Judicii, hanc inter cæteras damnationis rationem adfert, *Infirmus eram, & in carcere, & non visitastis me.* Atqui pii manes infirmi sunt, ægrotant, ardent febribus continuis, aliisque pestibus pleni sunt: imò non febribus, non pestibus, sed vero ac sulphureo igni conflagrant: cum quo collatæ febres ac pestes deliciæ dici queunt. Insuper teterrimo atque horribili carcere attinentur, de quo priùs diximus. Invisendi ergo sunt, si qui alii, & omni ope solatioque levandi, & *facilis* est ad eos *descensus*, nec difficile *revocare gradum, superásque evadere ad auras.* Primùm enim in promptu sunt, idque officii expetunt eorum Tutelares, ut nomine nostro eos adeant, significentque paratum à nobis subsidium. Certè viam ipsi norunt, quippe qui solatii, honorisque causâ eos illuc duxerint, ut plerique tenent Theologi. Deinde & nostri Custodes gratiam fieri sibi credent; si ad pios manes à nobis eadem causâ legentur, cùm sint *Angeli pacis* ac misericordiæ. Sed & votis nostris, ac precibus eò penetrare licet. Nec enim fundentur eorum gratiâ, nisi in illos earum fructus effusi, certiores faciant de beneficio mortalium, & credibile est divino quodam lumine eos ab ipsis dignoscendos, ut grates, ac beneficia, quæ iam tum possunt reponere, reponant. Certè tunc ratum est illud proverb. 25. *Aqua frigida animæ sitienti, & nuncius bonus de terrâ longinquâ.* Quin etiam dum iuvantur, dum liberantur, Patronos suos Angelorum loco habent, dicuntque cum Petro Act. 12. *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum & liberavit me de manu Herodis*, ignis, inquam qui præterquam quod urat, eos detinet, & catenis quidem duabus, quarum una authore Suario ab igne iis iniicitur, estque vis supernaturalis ac velut magnetica defunctos igni alligans: altera à Deo proximè, estque Numinis imperium, eosdem certo ignis loco hærere volentis, quod animis divinæ voluntati coniunctissimis sufficere, & fortiùs omni vinculo constringere docuimus.

482. *Visitandi.*

Ergo ite ad ægros, ac vinctos illos, *Angeli veloces*: omnis enim mora longissima illis est; quippe quòd doloris tanti momentum,

mentum, annus illis sit. Ite: quia solâ miseratione ægritudinem eorum levare potestis. Et hîc maximè verum est illud Philosophi, *animo ægrotanti, medicus est oratio.* Addo eamdem esse medicinam, & quidem refrigeratricem, & simul purgatricem. Quis non ægros inviseret si solo sensu doloris illorum, & pio in eos affectu morbos minuere, & sæpe extinguere febres posset? Quod si S. Ignatius Conditor Soc. Jesu, Parisiis ab infido socio, & pecuniolæ suæ fure, Rhothomagum accersitus ad ægritudinis ejus & egestatis levamen, ita cucurrit, ut licèt ægrotaret ille; tamen cervi instar præ ardore caritatis ferretur: Si S. Franciscus Xaverius cùm Goam ex Japoniâ, aut aliunde in aliam urbem, in qua ægris commune domicilium erat, adveniret, primo quoque tempore ad nosocomium contenderet: Si Vincentius Carafa adolescens adhuc, rhedam vix alia de causa conscenderet, nisi ut ad nosodochium veheretur, ibique nobilissimas manus fœtidis ægris curandis admoveret: si hæc, & ejusmodi consueta fuere SS. Gallicani, & Elisabethæ, tum Reginæ Lusitaniæ, tum Ducissæ Thuringiæ, item Radegundis, Placillæ, Mariæ Oegniacensis pietatis officia; nos Purgatorii nosocomium, ægrosque longè deteriùs habentes, faciliusque juvandos, an negligere poterimus? Præsertim cùm & captivitate miserrimâ, eadem via ac ratione solvere licear, & in optatissimam libertatem asserere. Certè si non visitasse hujus vitæ captivos, & ægros, eosque neglexisse, æterno infelicique exilio dignum à Christo censetur: non adiisse carceres, ac nosocomium Purgatorii, quà precibus, quà stipe facilè per Angelos ac pauperes deportandâ (plus dicere metuo) gravi Purgatorii pœnæ subjacebit.

Potandi.

483. *Sitis grave malum.*

Ite igitur Angeli veloces ad gentem *exspectantem*, sive ut alii ex Hebræo duplicant, *exspectantem, exspectantem*, nempe propter ingentem, qua conficiuntur, sitim. Nam eodem decretorio Christi judicio condemnantur, qui sitientes potare detrectant. Et verò in summis malis numeranda est sitis. Etenim experientiâ constat, & ex aurito oculatoque teste accepi, cùm Atrebati quibusdam latronibus crura frangerentur, nihil illis gravius visum esse, quàm sitim: quippe quâ propter sanguinis effluxum mirificè cruciabantur. Qui etiam fuit sensus S. Emmerami Martyris, & Episcopi Ratisponensis, qui plagis confectus, & linguâ mutilatus, cùm Vitalem Præsbyterum suum vidisset, collectis ad se explicandum viribus, potum petiit: quasi nihil præter sitim persentisceret. Quid autem de piorum manium siti dicemus? Sitis quidem mortalium est sensio vellicationis, potissimùm in ventriculo, œsophago, & faucibus, propter defectum humidi, & frigidi, quòd natura animalis appetit. At sitis piorum manium est animi sensio, ac mœror ex privatione nectaris Beatorum. Ergo quantum nectari cedit humidum illud, ac frigidum, tantò sitis piorum manium acerbior est siti mortalium.

484. *Sitis piorum manium incomparabilis.*

Cui igitur comparabo te, ô sacra defunctorum sitis? An siti parvi Ismaelis ob eam tantùm non mortui? An siti Israelitarum in deserto commorantium, de quibus Propheta Regius Ps. 106. *Erraverunt in solitudine, in inaquoso: viam civitatis habitaculi non invenerunt, Esurientes, & sitientes, anima eorum in ipsis defecit.* An siti Sampsonis cædibus mille Philistinorum exhausti: quibus patratis, *Sitiens valde clamavit ad Dominum, & ait, Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam, atque victoriam; En siti morior, incidámque in manus incircumcisorum.* Iud. 15. At Ismaelis matri statim fons ab Angelo ostensus ejus sitim explevit: Moyses Israelitis aquam è rupe extudit: Sampsoni è mandibulâ asini fons prosiliit. Heu! sitis piorum manium nullo fonte mitigatur.

485. *Illis plangenda.*

Itaque meritò cum Psalmistâ lamententur hisce versibus, Ps. 21. *Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis.* Quid dicam & illud ejusdem Vatis eis convenire? *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, qui consolaretur, & non inveni. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Ps. 68. Quid? Idem Rex, ac Propheta sitit, nominatimque optat bibere de cisternæ Bethlemiticæ aquâ: & ecce per medios hostium cuneos, per certissima frequentissimaque vitæ pericula, quæritur illi, & affertur illa dulcis ac limpida Bethlemi aqua; & animis perustis, atque ultra modum sitientibus vel negabitur, quo leventur; vel amara potio, sitique molestior præbebitur? Cùm, inquam à filiis, ac nepotibus, aut amicis superstitibus, preces eflagitabunt, non modò oblivione, sed & inclementi repulsa affligentur. Cave, mi Lector, ab ejusmodi crudelitate: & cùm etiam inimicum sitientem à Sapiente potare jubearis, amicorum manium ne sitim neglige. Maximè cùm Deus ipse refocillationem istam, ita acceptam habeat, ut Isaiæ ore cap. 28. dicat, *Hæc est requies*

mea. Reficite lassum, & hoc est meum refrigerium; reficite, inquam, tantâ in siti, tantaque in morâ miseros manes, in hac enim misericordiâ, est mihi requies ac levamen.

Cibandi.

486. *Pii manes fament.* SITIS tormento non impar est cruciatus famis, fames enim ex attractione, seu vellicatione ventriculi ob inopiam alimenti nascitur, estque ejus attractionis sensio. Et quia hominem in gravem, aut extremam necessitatem redigere potest, & ejus depulsio graviter præcipitur, ii quoque qui gravem egentium famem, dum facile licet, non levant, decretorio judicio ad orcum damnantur. Atqui & fament pii manes. Cibum enim summopere appetunt, & Ecclesiaste teste c. 14. *Non est apud inferos invenire cibum.* Vis nosse quem cibum? *Non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aternam, quem Pater vester dabit vobis* Joan. 6. Cibum, inquam, animæ, cibum, qui eam satiet in æternum. O cibum! ô panem multo vetiùs, quàm illum Danielis cap. 10. *desiderabilem*! At quò optatius est illo pasci, eò ejus fames atrocior. Quàm enim durum omnibus illis accidere necesse est, cùm universorum Conditor *det escam omni carni, & impleat omne animal benedictione*, & propriâ illis beatitudine cumulet, usque adeò ut abs illo provideatur de pabulo etiam *pullis corvorum invocantibus eum*, idem ipse, qui sanctarum animarum cibus est, pariterque satietas, ac beatitudo, piis manibus se subtrahat, neque audiat jugiter in fame tanta eum invocantes.

487. *Præsertim sanctiores.* Quàm autem acerbiùs est Sanctioribus, hac Ambrosia privari! quippe quæ propter amoris vim majorem, ardentiùs eam appetant: quemadmodum abundantior calor nativus, famem naturalem exacuit. Nonne cum prodigo filio conqueri meritò queunt, & in hunc eumdem cum ipso modum ingemiscere: *quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo*! Quid enim vetat domum illam cœlum interpretari? quid, vocare multos cœlitum inferiorum mercenarios, cùm mercedis causâ Deo famulati, cœlo jam potiantur? Hi ergo sanctiores, è piis manibus sic ingemiscant, non quòd invideant illi eorum sortem mensæ divinæ assidentium, cujus minister, & cibus, Deus est; sed quòd suam plangant famem eorum intima depascentem. O quid utrique non darent, pro eâ sedandâ? Judæi quidem obsidionis suæ sub Nabuchodonosor tempore *dederunt pretiosa quæque pro cibo* Thren. c. 1. sed illi mille hujusmodi famis ærumnas simul cum mille mundorum jacturâ libentissimè ferrent, ut cælesti illo cibo donarentur.

488. *Igitur cibandi.* Ergo ô mi Lector, ô Jerusalem, ô anima Christiana, quod monet Jeremias Thren. 2. *Consurge, Lauda in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro animâ parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* Nam ejusmodi famelicis animis omnes Purgatorii anguli referti sunt: Quos misericordia Christiana, ut parvulos filios habere ac pascere debet, ac propterea nocte dieque pro iis fame quâ deficiunt, nec deficiunt, liberandis Deum precari. Et sanè sibi quisque dictum putare debet, quod idem Vates Jerosolimis miserâ illâ tempestate ab infantibus dictum enarrat hisce verbis; *Matribus suis dixerunt, ubi est triticum, & vinum, cùm deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis.* Imo quisque Jeremiæ sensum imbibere deberet, dum sic plangit, *defecerunt præ lacrimis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terrâ iecur meum super contritione filiæ populi mei*: Ecclesiæ, inquam, patientis, quæ militantis filia est, *cùm deficeret parvulus, & lactens in plateis oppidi.* Hæc enim fames, hæc mors sine morte, omni miseratione dignissima est: Sed tam vehementes animi miserantis affectus frustra exposcerem: neque his opus. Potiùs, ô anima Christiana, maternum in pios manes sensum exprome cum Jobo sic de se testante cap. 31. *Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex eâ.* Id enim si faxis ut cum pupillis egenisque escam communices in gratiam piorum manium, suum illis quoque cibum porriges.

489. *Exemplo Tobiæ, & matris Sanctii.* Quo consilio Tobias senior juniori, *Panem*, ait, *tuum, & vinum tuum super sepulturam Iusti constitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus* cap. 4. Ubi alludit ad Hebræorum morem, qui & Græcorum & Romanorum fuit, qui in suorum funeribus parentale convivium struebant: non quia animæ cibo corporeo vesci & restaurari opus haberent, quod stulta antiquitas opinabatur: sed ut amicorum, & pauperum, qui invitabantur, precibus æquè atque istâ stipe, suorum animas pœnis Purgatorii eximerent. Quare ab eo epulo funebri abesse vult peccatores, quippe quorum oratio apud Deum parum, aut nihil esset valitura. Quod pietatis genus hodieque Hispania sanctè observat.

observat. Et refert in illud Tobiæ Gaspar Sanctius vir verè sanctus, piissimam matrem suam illud usurpare solitam, idque de more gentis, ipso die commemorationis defunctorum, ut & alia officia misericordiæ in pios manes, quæ cùm in gratiam Hieronymi fratris mariti obiisset, ipse illi non dormienti, sed vigili, claraque in diei luce, post octo circiter ab obitu dies, lætus & alacer visendum se præbens, tam celerem suam è lustralibus flammis liberationem acceptam ejus precibus retulit. Ergo & tu, ô anima Christiana, escam pauperibus largire in gratiam defunctorum. Hæc est enim sacra, & maximè probabilis magia, pauperes præsentes pascere, ut pii manes absentes nutriantur, multò efficacior, & certior illâ profanâ, ac verè diabolicâ, quam spurii quidam medici tradunt, jactitantes unguentum sympathicum vel armarium sanguini aut thoraci hominis læsi admotum, posse hominem absentem sanare: aut scalpellum alterius imagini infixum posse ipsummet hominem lædere. Hæc enim, & ejusmodi, si quando accidant, dæmonis ope accidunt, quam Deus infinitis modis potest infirmare. At cibus aliaúe eleëmosyna ritè egentibus collata procul dubio defunctos alit, vel spe Numinis celeriùs intuendi, vel ipso Numinis intuitu, in quo eorum esca, seu beatitudo, quâ satientur, consistit, juxta illud Prophetæ Regii Ps. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

Redimendi.

490. *Obligatio redimendi captivos.* QUARTUM misericordiæ corporalis opus est redemptio captivorum, judicatum à Christo Matth. 25. Cùm Justis in supremo judicio ait, *in carcere eram, & venistis ad me.* Quibus verbis non sola captivorum aditio significatur (nam & tortor eos adit) sed misericordiæ conjuncta: neque sola visitatio verbis benevolis contenta; sed efficax, & sincera juvandi, atque adeò redimendi captivos voluntas innuitur; cujus cùm neglectus supplicio æterno damnetur, constat redemptionem non consilii esse, sed præcepti: An verò justè, & ex culpâ suâ; an verò injustè, & citra culpam quis carcere claudatur, parum laborat, aut caritas, aut misericordia; alioqui enim numquam vel hæc, vel illa ad redemptionem obligaret, quia ut plurimùm constat captivos ob aliquam suam in Rempublicam noxam attineri, nec umquam nobis certum esse potest, non ob aliquam in Deum culpam ita plecti, in dubio autem an obliger non obligor: ac proinde numquam ad redemptionem obligarer.

Cùm ergo comperta sit lytri captiuorum obligatio, pariter compertum est defunctos abiis, qui facilè possunt, redimendos esse. Quis autem id non possit? Enimvero & is qui eos attinet, illud exposcit, & quod mirum est, lytrum à se collectum ac de suis promptum thesauris, id est, cumulum satisfactionum suarum cuique mortalium expositum esse voluit, idque à nobis tantummodo exigit, ut accipiamus, ac defunctis assignemus. Quod si illum, qui pecuniam sibi ad quæstum faciendum traditam desidem atque otiosam reliquerat, in carcerem detrusit, atque *in tenebras exteriores, ubi est fletus, & stridor dentium*; quid eo faciendum arbitramur, qui lytrum Purgatorii sibi concreditum per desidiam captivis rediniendis non impenderit? Nam prior ille quidem sibi dumtaxat, ac domino nocuerat: hic verò etiam miserrimis manibus, quos cùm posset ac deberet liberare è flammeo carcere, cunctatur. Quàm satius piorum hominum misericordiam imitaretur in redimendis hujus vitæ captivis, quorum calamitas ad purgandarum ærumnas animarum nulla est, frequenter exhibitam!

491. *Respicit defunctos.*

Certè R. P. Vincentius Carafa, Soc. Jesu septimus Generalis, ac sui seculi lumen, præclarum hujus generis exemplum, pariterque abdicationis commodorum suorum rarum facinus edidit. Quondam enim æde nostrâ Neapolitanâ flammis cum ingenti jacturâ deformatâ, cùm sibi à Prorege copia certi alicujus rei è carcere eximendi facta esset, unde non minus quater mille aureis colligi ad ejus reparationem posset, grates quidem egit pro tam munificâ humanitate; sed de exemptione nihil ultra non modò locutus, sed nec sibi in mentem venire passus est; donec Prorege Circumcisionis Dominicæ festa luce ædem illam ingresso, ultroque mentionem condonationis illius ingerente, Vincentius, *Quando*, ait, *Excellentia tua, aliquem reum mihi donare dignatur, hunc peto* (pauperrimum nominabat, cujus captivitas familiæ suæ non maius incommodum, quàm periculum creabat) attonitusque Prorex tam heroicâ caritate, miserum eodem ipso die, ære alieno ac carcere liberum ei misit, lætissimum profectò, sed an Vincentio redimente lætiorem, incertum. Hæc igitur imitanda misericordia est, & ita quidem ut commodi nostri ac satisfactionis respectu minus, quàm studio lytri animarum persolvendi dicamur. Aliàs enim nobis, aliterque prospicere in promptu erit, ut postmodum exponemus. Id saltem

492. *Exemplum R. P. Carafæ.*

saltem studendum sedulò, ne contra misericordiæ ac Christi legem, Christi satisfactiones, quas in manu habemus, piis manibus parum utiles esse patiamur: Væ enim nobis, si eius sanguis, vel sic malè effusus, ac neglectus ad Deum de terrâ clamet.

Vestiendi.

493. *Nuditas piorum manium.*

ACCEDIT enim ad horum miserias, non minima ex iis nuditas, quàm gloriæ cælestis privationem intelligo. Etenim gloria illa non uno in loco sacrorum Codicum vestis nominatur. Hinc illa Apoc. 3. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo eum de libro vitæ.* Et de viginti quatuor senioribus c. 4. refertur, *Supra thronos, viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Eius igitur vestis privatio nuditas est, cuius duplex est malum. Nam ut vestis duplex est usus, nempe tegere quæ natura occulit, & frigus arcere; ita gloria cælestis horrenda per se crimina quodammodo tegit (quatenus eorum pleniſſimam veniam demonstrat, & pudorem omninò tollit) & arcet insuper omne animæ frigus: atque adeò ejus privatio, nuditasque, & pudorem piorum manium, & frigus amoris designat.

494. *Gravissima.*

Atqui pudor ille acerbissimus est, ut prius vidimus, maximè cùm non improbabile videatur cujusque noxas, saltem præcipuas, universis, aut certè compluribus manibus esse perspectas. Cùm enim consimilis cognitio non levis sit damnatorum pœna toties à Vatibus jactata, piis quoque manibus eam tribuere, rationi consentaneum est. Quemadmodum enim inter homines fieri assolet, ut nemo publica pœnâ plectatur, priusquam ejus crimina præconis voce divulgentur ad Justitiæ authoramentum: ita decere videtur, ut tormentorum purgantium causæ palam innotescant. Cùm igitur pudor piorum manium ex privatâ noxarum notitiâ semper oculos mentis vulnerante, inter gravissimas pœnas recenseatur, ex publicâ omnium cognitione quàm erit intolerabilis! Isaias quidem c. 20. gravissimam Æthiopum ac Ægyptiorum calamitatem vaticinari atque exprimere volens, ambulavit nudus & discalceatus in signum pudoris eorum: Sic enim, inquit; *Minabit Rex Assyriorum captivitatem Ægypti, & transmigrationem Æthiopiæ, iuvenum, & senum nudam, & discalceatam discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.* Sed quàm acerbior ignominia piorum manium (quos Ægyptios propter mundi amorem, & Æthiopes propter noxarum atrorem dicere licet) in sua illâ Purgatorii captivitate nudos apparere omnes omnibus, suorumque criminum turpitudinem discoopertam esse. Quàm durum illis accidit, quod olim prædixit Vates Ezechiel c. 6. Judeis Dei nomine. *Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commista es, & omnes, quos dilexisti, cum universis, quos oderas, & congregabo eos super te undique, & nudabo ignominiam tuam coram eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam.* Illi enim quos dilexêre & quibus olim dilecti fuere miseri manes, vel parentes ac cognati sunt eodem carcere detenti, quorum gratiâ peccaverunt, vel etiam alii mundo olim dediti, & similium sui amatores; quos autem odêre, dæmones esse videntur. Quàm igitur vellent Christi gratiâ, piisque operibus texisse illam nuditatem suam! quàm vellent labores suos, quos mundo demerendo multos gravesque insumpserunt, vestimento gloriæ comparando toros impendisse! Sed sera vota sunt. *Telæ eorum* Isaia teste cap. 59. *non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum, opera inutilia.* Ut enim paulò ante dixerat, *telas aranearum texuerunt.* Quamobrem neque illæ valent frigus eorum arcere; non, inquam, amorem beatificum eis indere, cujus tamen inopiâ vehementer etiam premuntur: maximè cùm frigus illud, ignem Purgatorii accendat, quemadmodum aqua modicè injecta ignem lithanthracis vehementiùs accendit.

495. *Piè tegenda.*

Ergo ô anima Christiana, quod monet Isaias c. 58. *Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Cùm, inquam, animæ tibi consimiles tam infeliciter nudæ sint, eas vestire ne cuncteris, ne pariter teipsum, quem non melior sors manet, despicere videare. Vide ne sis ex eorum numero, quos Jobus cap. 24. divinitus castigandos prænuntiat, *qui nudos dimittunt homines, indumenta tollentes*, sive ut vertunt Septuaginta, *nudos multos dormire fecerunt sine vestimento*: qui somnus statum purgantium animarum, quas Ecclesia *dormire* dicit *in somno pacis*, designat; homines, inquam, *quibus non est operimentum in frigore*; sive, ut iidem Septuaginta interpretantur, *indumentum animæ eorum abstulerunt.* Qui enim non vestit nudum cùm debet, vestem ejus sustulisse dicendus est. Vide iterum, ut te eorum misereat *qui non habentes velamen, amplexantur lapides*, id est, ad consanguineos confugientes,

gientes, eos ad misericordiam ut moneant, per Tutelares suos amplexari videntur, sed lapides esse, & cautium instar duros experiuntur. Vestis porrò tibi in promptu est. Audi enim prophetam Danielem c. 4. *Peccata tua*, inquit, *eleëmosynis redime*, vel uti Arabicus vertit, *involve*, seu *operi*. Adeò ut syndonem ea vox Arabica sonet: ut eleëmosynam & vestem esse, & ad tegendum conferre intelligamus. Et verò authore etiam Chrysostomo eleëmosyna vestis est, quæ non solùm nudos pauperes operit, sed eos ipsos qui eam conferunt. Audi illum Hom. 84. in Joan. *Eleëmosyna*, inquit, *est vestis, quæ cum mortuo resurget. His vestibus fulgebunt, qui tunc audient: Esurientem me vidistis, & dedistis mihi manducare. Hæ insignes facient, hæ conspicuos, hæ securos.* Ita ipse: ex quo discere est, eadem ope & operâ nudos Purgatorii inquilinos vestiri gloria posse, & ipsos, qui vestiunt, & opitulantur. Ergo iterum hortor, ac moneo, ut quod Tobiæ erat familiare, quod ipsi quoque impii Samaritæ Judæis captis ac nudis præstiterunt, quod hodieque à plurimis in longè leviori faciliorique nuditate propensè præstatur, nudis manibus vestem præbe. Alioqui extat Regis Prophetæ vel imprecatio, vel certa potiùs denuntiatio pœnæ in hujusmodi avaros, & immisericordes, *ut induant maledictionem sicut vestimentum*, & quod inde sequitur, flammeo amictu, saltem in Purgatorio, circumdentur.

Hospitio excipiendi.

496. *Pii manes peregrinantur à domino.*

VENIO nunc ad penultimum opus misericordiæ corporalis, verbo, *Colligo*, versus præcedentis intellectum, & ostendo pios manes peregrinos adhuc esse, & hospitio à nobis excipi posse, & debere. Licet enim non nesciam illos terminum viæ meritoriæ, & quæstuosæ attigisse: tamen exploratum est nondum Patriam tenere, nondum obtinere ac possidere Deum; atque adeo adhuc peregrinos esse. Sic enim argumentatur Paulus 2. Corinth. 5. *Peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem*; quasi dicat per fidem ambulamus, & non per speciem, seu per speciei ac faciei divinæ visionem; igitur peregrinamur, & quidem à Domino. Itaque Apostolo authore, Patria nostra, Dominus; & patriæ introitus, Visio beatifica. Cur ita? si quidem adagium illud attendamus: Patria ubi est benè: satis liquet optimè Cœlitibus cum Deo, & in Deo esse. Verùm patria propriè est ager aut oppidum, unde orti sumus. Deúsne oppidum? An ex Deo orti sumus? Omnino Deus oppidum, & frequentissimum. Nam in eo Divi omnes, & Sancti mortales degunt, & artem suam exercent, artem, inquam, cognoscendi illum, amandique. Oppidum est clausum improbis, patens insontibus, dives & opulentum mercibus omnis generis, nec quidquam ad vitam pertinens, aut ad vitæ commoda potest in eo desiderari. Et nos, & pii manes ex eo oppido orti sumus, juxta illud Joannis c. 1. de justis: *ex Deo nati sunt.* Nam ex eo, & in eo vitam, non naturalem modò, sed & supernaturalem sortiti sumus: quod enim *factum est in ipso vita erat*, quatenus in idæis divinis inerat. Igitur cùm ad Deum per visionem beatificam nondum redierint pii manes, peregrinantur, & cùm primùm redierint, per eamdem in ipsummet intimè intrabunt, ibique degent, adeò non tantùm patria illorum, sed & domus paterna, Deus est.

497. *Hospitia illorum.*

Cùm igitur peregrini hospitio excipiendi sint, & illi aliquo sunt excipiendi. Nec enim objicias miseros Purgatorio claudi, nec aliò divertere posse. Primùm enim deduci inde in patriam, atque in paternam domum induci à nobis possunt, atque adeò debent. Deinde si quod adhuc impedimentum viæ cælestis illis supereft, interea dum tollitur, excipi in domum nostram, ac relevari possunt. neque opus est ut migrent Purgatorio, quodque, non paucis obtigit, apud nos purgentur, ut idem criminis locus sit & pœnæ. Aliud illis hospitium, & alia ratione illis paratum volo. Age viscetibus illos nostris, & cordis medio excipiamus. Illa misericordiæ sedes, hoc amoris palatium est; proindeque miseri in illis, amici in hoc sunt collocandi; utrumque enim nomen piis manibus convenit. Ita misericordia lavabit hospitibus illis pedes affectuum, & vulnera curabit fauciis, *infundens* illis *oleum & vinum*, exemplo pii illius Samaritani. Amor autem quo ferventior, eò magis æstum illorum temperabit. Ignis enim ille Purgatoriæ flammæ ac calori naturâ adversatur. Neque desunt utrique vituli, quos Abrahami imitatione, dum Angelos, aliosque de more in tabernaculum suum excipiebat, in geniales epulas advenis mactent. Nam *vituli labiorum confitentium nomini Domini*, semper illis in promptu sunt. Et illos vitulos appetunt hospites isti, illis lubenter vescuntur, neque lectus ad quietem deerit. Spes nempe aderit accelerandæ liberationis, in qua spe Da-

vidis instar Psal. 4. *dormient, & requiescent.*

498. *Iis excipiendi.* Vos ergo ô Christiani, quod Deus per Moysen præcipit Hebræis Deut. 10. *amate peregrinos* illos: quodque Jobus fecisse se memorat, dum cap. 31. dicit. *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* sive ut ex Hebræo, Septuaginta, & Vatablo verti potest, *Ostia mea omni viatori patuerunt*, & vos piis manibus in commune præstate. Hanc enim hospitalitatis rationem ab Abrahamo Jobus, dignissima ejus soboles, didicerat: & vos discere debetis. Sic namque de Abrahamo l. 1. c. 5. Ambrosius. *Præsto est adventantibus, & itinera explorat, & adest non quærentibus, & rapit prætergredientes.* Quid recentia memorem? Romæ, Hospitium SS. Trinitatis prope pontem, qui Sixti dicitur, quandoque Jubilæi tempore unâ nocte numeravit hospites quindecies mille, & si rationes totius anni subducas, invenies hospitio exceptos fuisse quingenties mille. Item Romæ est Hospitium pauperum Sacerdotum peregrinorum, in quo Collegium quoque est hominum ad propagandam in universo terrarum orbe fidem se parantium, & Congregationi Eminentiss. DD. Cardinalium à Gregorio XV. commissum. Sunt & plurima nationum Xenodochia, & hospitia, Teutonum, Hispanorum, Lusitanorum, Ungarorum, Bohemorum, Suecorum, Vandalorum, Gothorum, Scotorum, Longobardorum, Polonorum, Britannorum, & alia. Ut quispiam non falsò dixerit.

Hospitibus mater, natis urbs Roma noverca,
plena dat externis ubera, sicca suis.

Vide Theodorum Amydenum de pietate Romana P. 1. cap. 1. Quod si vivis excipiendis tot Xenodochia in unicâ urbe constructa sunt, mortuis haud paulò egentioribus, cùm multò faciliùs exstrui possint, exstruenda. Semper enim hospitalitas propria hominum, & pars humanitatis habita fuit, & contra inhospitales, crudeles, ac feri pro iisdem accepti. Notus est Busiris, quem Pineda eumdem censet cùm Pharaone, qui omnes Hebræorum in Ægypto peregrinorum masculos recens natos tempore Moysis in Nilo submergi jussit

——— *Quis namque Euristhea durum,*
Aut illaudati nescit Busiridis aras? Georg. 3.

Notus Faunus Rex, ac Mercurii filius, qui Plutarcho teste in Paralellis Patri hospites immolare solitus erat. Phalaris item Agrigentinorum tyrannus, qui hospites torquere consueverat: & quicumque demum hospites finibus suis pellere soliti sunt, propter efferatam inhumanitatem communi omnium mortalium execratione digni censentur: quale igitur erit pios manes corde suo excludere, in tanta hospitii tam facilis necessitudine? Quamobrem quisquis humanus, imò, quisquis homo, nedum Christianus, videri voles, hanc laudatissimam hospitalitatem exerce: & parem, imò majorem, ab eis humanitatem exspecta.

Sepeliendi.

499. *Sepulchrũ parandum etiam piis manibus.* DENIQUE iis etiam sepulchrum parandum est. Est enim hoc postremum misericordiæ opus: nequidquam reclamantibus hæreticis, quos sacræ litteræ evidenter confutant. Tum quia & Galaaditas collaudat Rex Hebronis David ob sepultum Saülem: & à frequenti mortuorum sepultura Tobiam Seniorem Raphael Archangelus commendat, & ipse Christus Magdalenam corpus suum in sepulturam ungentem, contra principem hæreticorum Judam defendit. Et ratio eosdem convincit, sive quòd animæ adhuc in se, & in hominum memoria viventi, miseriæ genus est corpus suum jacere insepultum, ut ex omnium Gentium non barbararum sensu ac moribus compertum est; sive quòd Vaticiniis Prophetarum, & legibus Cæsareis ac Regiis jactura sepulchri in pœnam criminosorum statuitur, & à reis inter maximas censetur. Porrò non corporatũ peto sepulchrum, quod corporibus defunctorum debetur: sed spirituale, quippe quod animis. Etenim & animæ eorum mortuæ sunt non Deo, ut anima divitis Epulonis, quæ propterea *sepulta est in inferno*; sed peccato, cui vivere amplius nequeunt. Itaque si de mortalibus verè dixit Paulus col. 3. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cùm Christo in Deo*, jure potiori de piis manibus dicendum est.

500. *Magnificum scilicet cor Christi.* At ubi, & quale sepulchrum iis parandum? Enimvero cùm, ut sæpiùs dicere oportuit, Numinis filii sint, ipsique Cœli Reges, idque jure inviolabili, magnificentissimum esse necesse est. Sic enim Ægyptii Reges, & Arabum Principes pyramidali sepulchro condebantur, constante ex Arabicis lapidibus, ut scribit Plinius l. 36. c. 12. & corpore priùs Arabicis liquoribus medicato. At Salomon Davidis Patris mausolæo multam vim auri, Theodora autem Honorii Imperatoris conjux, plurimas ac pretiosissimas gemmas suo inferri jussit, quæ non ita pridem Romæ, ad ejus cadaver repertæ sunt. Igitur piorum

manium

manium sepulchrum, & magnificum, & locuples inveniendum est. Neque verò est, cur diu quæratur. En ecce cor suum exponit Christus, animarum Redemptor, idemque Custos. Huic ergo altè infodiendæ illæ, huic inhumandæ, huic, inquam, commendandæ. Est enim cor illud, illud sepulchrum magnificentissimum juxta & & opulentissimum; quippe in eo latent *omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Est etiam myrrhâ primâ, & aliis refertum aromatis. Est & pyramidale, versus cœlum tendens, ut animas cœlo inserat. Si manum moves ad sepeliendum, suam adhibebit Deus, qui carissimas sibi & ipse illic locare gaudebit, ubi & olim Moysen sepelivit. Tu quoque sepeliendo næniam canta, & funebri laudatione, seu oratione eam prosequere; ego tumulo titulum hunc inscribo.

Hìc jacent
In corde divini Sponsi, Sponsa:
Vbi melius?
Vruntur tamen heu! purgantibus flammis. Quia vitæ sordes Salvatoris aquis cum gaudio eluere neglexerunt.
Quid luctuosius?
Aſt etiam cœlo exulant Reginæ cœli: Morituræ si mori possent, expectatione nuptiarum Agni: Quâ tamen solâ vivunt.
Quid miserabilius?
Tu ergo, ô Viator, benè illis precare, vitam animis cœlestem, & Sponso solatium paries & quietem
Quid jucundius? Quid illustrius?

501. *Hinc inhumationi incumbendum.* Interea humationi tam sanctæ, tam expetitæ totus insiste: Sic tu in corde Jesu vives, & vives ipsius spiritu ac vitâ. Et verò si Tobias etiam propositâ morte ab officio sepeliendi mortuos non desistebat: si relicto prandio, missisque cæteris, eos quæritabat: Si Romæ celebris est Sodalitas Pietatis; quæ quos per urbem defunctos, aut Tiberi mersos comperit, sacro loco condi curat, non sine honestis exequiis: adeò ut nec imbres hyberni, nec æstivi calores, pium institutum funus prosequendi, vel in minimo remorentur: Si Bethuniæ in Artheſia, itemque Benuriaci, pago juxta Bethuniam, Sodales charitatis (sic enim vocantur) etiam peste confectos ex instituto sepulturæ mandant: temetipsum testor, quisquis hæc legis, an fas est nostros hosce mortuos tam facili, tamq; amabili sepulturâ privare? non est profectò. Ergo huic sancto pietatis officio vacemus, Christo, inquam, commendemus pios manes ex animo, nec semel, nec bis, sed quotidie, sed sæpiùs per diem, perque noctem, dum expergiscimur, memores utique quietis nostræ, ac illorum, & discriminis lecti utrorumque, eos in Christi viscericus voto ac prece collocare studeamus; Et *erit sepulchrum* eorum non *gloriosum* modò, sed & illis jucundissimum.

EPILOGUS.

Quod fit piis manibus, fit Christo.

502. *Maximè quod Christus eam præstari sibi asserat.* Postremo quemadmodum paræneſis ad caritatem in pios manes, sic etiam hæc ad miserationem illorum non parum confirmatur ex eo, quòd Christus ea sibi facta faciendaque asserat, quæ pauperum gratiâ facta fuerint. Extat enim illius hoc effatum maximi ponderis: *Quod uni ex his minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Adeò ut si quod ex universis misericordiæ operibus, miseris ac pauperibus reddatur, aut non reddatur, Christo reddatur, aut non reddatur. Quam rem fortiter, ut solet, Salvianus urget l. 4. ad Eccl. Cath: *Omnis enim*, inquit, *egestuosus pro se tantùm, & in se eget: solus tantummodo Christus, qui in omnium pauperum universitate mendicet? Et cùm hæc ita sint, quid ais, ô homo, qui Christianum te esse dicis, cùm Christum egere videas, & facultates tuas in quibuscumque non indigentibus derelinquas? Christus pauper est, tu opes divitum cumulas; Christus esurit, & tu delicias affluentibus paras; Christus etiam aquam sibi deesse queritur, & à te apothecæ ebriosorum vino replentur; Christus rerum omnium egestate conficitur, & à te luxuriosis copiæ congregantur; Christus tibi, & pro muneribus à te datis, præmia sempiterna promittit, & tu nihil præstaturis cuncta largiris; Christus tibi pro bonis bona immortalia, & pro malis mala æterna proponit, & tu nec bonis cælestibus flecteris, nec malis perennibus commoveris.*

veris. Et credere te Domino tuo dicis, cuius nec remunerationem desideras, nec iracundiam contremiscis? Non credis igitur, sicut, iam diximus libro superiore, non credis. Hæc Salvianus, quæ illustrare licet, tum ex S. Martyrii egregio facto, qui cùm leprosum offendisset in viâ, eumque in humeros sustulisset, postmodum Christum esse comperit; tum ex S. Gregorii Pontificis Maximi pietate, quæ Christum hospitio pauperis habitu excepit; tum ex aliis plurimis ejusmodi, in quibus idem Redemptor personam egentium induit in stipe corrogandâ accipiendaque, ut sibi præstari ostenderet, quod iis ex misericordia præstatur; & quod iis non præstatur, sibi non præstari. Atque ex his, aliisque hactenus dictis tandem concludo, cùm nemo sit ex Christianis hominibus, qui si eumdem Redemptorem in flammis purgantibus jacentem, atque adeò eo, quo diximus, modo, captivum, sitientem, famentem, nudùm, peregrinum, insepultum videret, non sibi omninò necessarium duceret, illum omni, quâ posset ope, liberare, neminem quoque esse debere, qui sibi non censeat necessum esse pios manes iisdem malis conflictatos consolari, & primo quoque tempore flammis eximere.

ARTICULUS IV.

Piis manibus ex pietate opitulandum.

PRÆFATIO.

503. *Quid pietas.*

CUM officia caritatis ac misericordiæ in pios manes hactenus descripserimus, consequitur, ut ea, quæ pietas exigit, pariter exponamus. Interest enim inter hanc, & misericordiam, quod misericordia sit virtus annexa caritati; pietas autem Justitiæ. Est enim pietas ea virtus, per quam parentibus debitum ex beneficiis ad esse, ut aiunt, nostrum pertinentibus, reddimus. Ex qua definitione, patet primùm, eam quoque à Justitia distingui, quæ non debitum ex beneficio, sed ex contractu, & aliis ejusmodi nominibus spectat. Patet deinde, cur religionis actus etiam pietati assignentur; quippe quòd ipse Deus, quem religio spectat, primùm sit & excellentissimum nostri esse principium, variisque beneficiis illud conservet. Patet præterea, cùm ii, qui nobis præsunt, iidem prosint, ut benè nobis sit, atque ut boni simus, parentum nomine hîc accipiendos esse. Et verò Naamanum famuli sui, & Eliam, ac Elisæum Prophetæ iis subjecti, patres nuncupabant. Denique patet eodem parentum nomine intelligi posse ac debere patriam, quæ utique fovit parentes, item sanguine junctos, ac cives, quoniam hi quoque vel spectant, vel nonnihil conferunt ad nostrum esse, ejusque conservationem, sive quia consanguinei ex iisdem parentibus orti sunt, sive quia civibus communis quædam sollicitudo inest se mutuò tuendi. Et quoniam liberis quoque incumbit similis cura conservationis parentum, itemque conjugibus mutuæ tuitionis, cùm una caro facti sint, ad eos quoque pietas pertinet, ejusque vinculum. Quamobrem de filiorum primùm obligatione, tum de parentum, ac postremò de conjugum consimili pietate erit dicendum.

§ I.

Liberos piis parentum manibus auxiliari oportet.

PARS PRIMA.

Quid de illa re Theologi?

504. *Defunctis pietatem impendendam docent Theologi.*

SI Theologos consulam super obligatione pietatis erga parentes vitâ functos, rarissimus est, qui de hac, utcumque necessaria salutarique quæstione, vel verbo unico agat, quantum attinet ad eorum subsidium. De funere, de sepulturâ, de nominibus parentum expungendis, de legatis testamento relictis, differtè plerique omnes, de juvandis eorum animis altum ubique silentium. Unus mihi occurrit Azor, egregius ille quidem author, qui binas super ea re quæstiunculas proponit: quas ego hîc attexo. Quærit igitur ille Tom. 2. lib. 2. c. 3. q. 8. hunc in modum: *Quidnam debeat filius parentibus præsenti vitâ functis præstare; & respondet quadruplex pietatis officium à filio eis esse impertiendum. Primùm filius debet parentum funus honestare, & eorum corpora iustæ ac debitæ sepulturæ mandare. Deinde pro more Christiano debet preces, & sacrificia pro illis offerenda curare. Præterea æs alienum, quod contraxerunt, solvere. Postremò legata parentum testamento relicta implere. Tum citat Antoninum, & Navarrum suis locis, in quibus nihil reperi de precibus ac sacrificiis. Exinde quærit, an filius iure pietatis cogatur bonorum*

suorum

ſuorum iacturam pati, ut parentes liberet à pœnis Purgatorii, quas ſuſtinent, & ita reſponſionem diſtinguit: aut magnum, & notabile eſt detrimentum, aut parvum, & leve. Si primùm iure non cogitur tantum bonorum detrimentum pati, nam conſilio confeſſarii, vel pii alicuius viri conſcientia poteſt ſubſidium parentibus debitum differre. Tametſi enim ignis Purgatorii gravis ſit pœna, filius tamen non debet tam gravem bonorum iacturam facere: Si ſecundum; iure pietatis debet, cùm primùm commodè poteſt parentibus opem, & ſubſidium ferre. Ita Azor: quem ſequuntur Filiuccius tract. 28. c. 1. q. 1. n. 15. & Bonacina de 4. præcepto Decal. Dipſ. 6. q. unic. puncto. 5. Quibus ego quidem aſſentior; Nam ſi quis ad pios parentum manes carcere ac flammis purgantibus aſſerendos gravem fortunarum ſuarum jacturam facere obligaretur, primùm & ad filios iiſdem vindicandos non imparem facere oporteret, & cùm pauci ſint, quibus è parentibus, aut filiis adultis nonnulli vitâ functi non ſint, pleriſque ingens detrimentum rei familiaris, pietatis cauſa, paterentur, & deinde Reſpublica Chriſtiana ſenſim opibus ac viribus deſtitueretur. His ſcriptis fortè incidi in Dianam P. 9. tr. 9. Reſol. 60. qui propoſitâ quæſtione noſtrâ, pro ajente ſententia Sayrum etiam citat lib. 7. c. 5. ubi tamen ſimpliciter docet filios parentibus etiam juſta, ac Miſſas debere; citat & quemdam Pellicionium, qui ſententiam iſtam comprobat, tum quia filii parentibus in extremâ corporis neceſſitate conſtitutis opitulari obligantur, igitur potiùs in neceſſitate ſpirituali; tum quia eoſdem parentes captivos redimere ab hoſtibus obſtringuntur. Quibus accedit ipſe Diana, reſponderſque Sancio, liberos parentibus, vel hæreticis, vel ad mortem fame ſubeundam damnatis (etſi propoſitâ graviſſimâ pœnâ) opem ferre teneri, niſi fortaſſis Pater, aut proditor patriæ foret, aut hoſtis. Hæc ille.

Pars secunda.

Explanatio moralis obligationis ob beneficia naturalia, ac Primò ob Vitam ab iis acceptam.

DISTINCTIO PRIMA.

505. *Corpus filiis dant parentes.*

Duæ potiſſimùm res liberorum in parentes pietatem exigunt, prior eſt quòd iis dent eſſe, ac vivere; poſterior quòd benè ac beatè vivere, quantum quidem in ipſis eſt. Videndum itaque nobis, ut demonſtremus, primùm ea, quæ ad vitæ beneficium, deinde quæ ad naturalia vitæ commoda, tum quæ ad ſupernaturalia pertinent, piis parentum manibus accepta referri oportere; & vitam quidem parentibus deberi, nemo, niſi demens, non agnoſcit. nam de corpore nullus dubitat, quin parentum donum ſit, ex eorum corpore deciſum, & in matris utero fotum ac formatum, ſive mater formas, ut vocant, partiales carnis, oſſis, & hujuſmodi efficiat, ſive ſubſtantia ſeminis eas ſibi coaptet, ſive, quod opinatur Fienus, anima ipſa corporis, velut domus ſuæ partes ornatumque ſibi conformet.

506. *Quibus, & anima debetur.*

Jam & animam parentibus adſcribendam eſſe patet, quia in causâ ſunt, ut Deus eam creet, & corpori à ſe ultimis diſpoſitionibus inſtructo ex lege naturæ infundat, & hoc eſt quod Siracides vult, dum liberorum quemque ſic admonet. cap. 7. *In toto corde tuo honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviſcaris, memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes, & retribue illis, quomodo & ipſi tibi.*

507. *Nominatim matris curæ expendendæ.*

Atque hæc utrique parenti communia, ſi quidem mater non modò materiam ſubminiſtrat fœtui alendo, ſed etiam effectionem illius revera attingit: Sed, ut non attingat, alia ſunt, quæ filiorum in eam amorem accendant, plurima. Sunt enim uteri faſtidia, partus dolores, ac periculum educandæ prolis, atque in ætatem firmiorem promovendæ, curæ ac labores ingentes, quos niſi mater eſſet, non valeret tolerare. Quamobrem Ambroſius in 18. Lucæ: *Etſi paveris matrem, adhuc non reddidiſti dolores; non reddidiſti cruciatus, quos pro te paſſa eſt; non reddidiſti obſequia, quibus illa te geſtavit; non reddidiſti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera; non reddidiſti famem, quam pro te illa toleravit, ne quid, quod tibi noxium eſſet, ederet, ne quid, quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa ieiunavit, tibi manducavit, Tibi illa, quem voluit, cibum non accepit, tibi, quem noluit, cibum ſumpſit, tibi vigilavit, tibi flevit.* Hæc Ambroſius verè juxta & eloquenter. Quibus paternas quoque curas, vigiliasque adjungas licet, & hoc quod utriuſque labores commendat maximè, quodque apud Xenophontem l. 2. obſervavit Socrates, omnes illos ſuſcipi eorum causâ, à quibus nec ullum umquam beneficium accipi potuit, neque vel gratus animus certò poteſt exſpectari.

508. *Pro acceptâ vitâ quid red-*

Cùm igitur cunctis hiſce nominibus vitâ functis parentibus obſtricti ſimus, quid eorum gratiâ nobis agendum, quidúe fugien-

dendum parentibus defunctis.

dum sit, compertum est. Etsi quidem eorum in nos merita ob unicum vitæ & lactationis beneficium spectemus, nihil illis rependere valemus, quod par illi possit censeri. Etsi enim quidquid nobis ab eorum obitu supereſt vitæ, eorum manibus sublevandis impenderemus, plus illi nobis contulêre, qui & anteactam vitam, & id quo illis superstites sumus, & grati esse possumus, dedêre. Quare si meritò sperabat Tobiæ Senioris conjux *filium fore solatium vitæ suæ, ac baculum senectutis*, cùm eum velut amissum gemeret; pii parentum manes meritò quoque à nobis exigunt hoc solo nomine vitæ nobis collatæ, ut solatio illis & fulcro simus, quo miserabilem illam longamque Purgatorii senectam faciliùs, nec tam diu ferant. Imò jure exposcunt, ut pro hujus vitæ beneficio, vitam æternam illis obtineamus: quoniam per Dei misericordiam haud difficilè obtinere possumus, & ita parentibus nostris forte utrisque fælici, esse parentes. Quo sanè pacto verissimum erit illud Sapientis Proverb. 17. *Gloria senum filii filiorum, & gloria filiorum patres eorum*: Sive ut exponunt Rabbi Salomon, & Aben Ezra, *Avorum, & senum diadema sunt nepotes probi, & vicissim parentes probi, filiis gloriam pariunt.* Quia nimirùm filii tunc verissimè diadema gloriæ parentibus imponent, & hoc ipsum feciſſe, parentes, inquam, cœlesti coronâ cinxisse, summæ illis erit gloriæ.

509. *Suscitandi illi ad vitam celestem.*

Quæ sanè eò erit clarior, quòd Purgatorii vita, quæ cùm cœlesti mutabitur, mors continua dici potest. Inde enim consequitur hujusmodi amabili prodigio suscitaturos parentes in gratiam vitæ ab ipsis quondam acceptæ. Quare si patrem matremúe honorantibus vita longæva in mercedem proponitur, & si authore Angelico Doctore opusculo septimo vitam à parentibus accepere filii, ut milites à Principe feudum, ut scilicet eam conservarent, quamdiu illa digni essent; certè hujusmodi liberi vitam hanc mortalem semper vivere mererentur, nisi cum meliore, & immortali foret commutanda. Et verò nonne hac ipsa digniſſimi sunt, qui parentibus pro mortali miseraque vitâ ingenti fœnore rependunt Beatam, & immortalem? Vel eo igitur nomine parentes vestros demortuos sublevate, ô liberi Christiani, & tam honorificum vobis grati animi, pro vitâ ab ipsis acceptâ, pignus illis rependite.

510. *Paganorum exemplum se-*

Certè pagani ipsi parentes suos vitâ functos, omni, quâ poterant, ratione, vitâ, & honore impertiebant. Romani quidem post multos funerationis ritus, parentibus justa persolvebant, epulis, Inferiis, ludis. Epulæ duplices erant, privatæ ac publicæ, in quibus etiam defunctorum laudes celebrabantur. Inferiæ erant sacrificia, quæ diis manibus inferebant, & constabant liquoribus, ac victimis, credo ut parentum manes deosque communi mensâ pascerent. Ad extremum sepulchrum ad memoriam inscriptum floribus spargebant; Et parentes quidem sex annis lugebantur, sed monumenta illustria, & anniversaria sacra eorum famam, ac laudes perennes, efficiebant. Quid de Sinensibus dicam, quos quidem nuper memoravi ad tres quatuorúe annos, singulos in dies parentibus defunctis apud se asservatis, cibum, potumque offerre, non secus ac si superessent? sed nunc addo si filios abesse domo contigerit sub parentis obitum, iique sint primarii, eo ipso in loco, ubi nuncios de illo audierint, cenotaphium illi excitare. Deinde in patriam primo quoque tempore reverti, & ritus plurimos, quos recensere longum esset, instaurare. Quid? quod etiam barbaris Americæ Meridionalis sancita moribus est Parentum memoria: Ut enim refert P. Petrus Pellepratus Relationis suæ cap. 7. suos vitâ functos aliquot diebus lugent, & si quidem mulier, aut vulgaris notæ vir obierit, in sede collocatum, fossâque altâ & angustâ situm, viridibus ramis ac terrâ operiunt, & per aliquot mensium intervallum circa tumulum ignes construunt. Si verò Dux aliquis aut strenuus bellator occiderit, cadaver illius cremant, cineres ebibunt, tribusque aut quatuor diebus continenter flent, & lugubri cantu choreisque (quod & de aliis Indis fertur (mœrorem testantur. Quod si parentum memoria, quæ illorum quædam vita est, adeò cordi est liberis, etiam barbaris; si eorumdem gloria adeò est in votis, si oblivio, insania nominatur: nos, qui plus illis sapere debemus, certè quidem beneficium vitæ ab iis collatæ clariùs perspicimus, prorsus nefas est nostros tradere oblivioni, & gloriâ vitaque cælesti, ad quam tantopere anhelant, per negligentiam nostram velut orbare.

quantur Christiani.

DISTINCTIO SECUNDA.

Item ob alia beneficia naturalia.

SED hæc illustriora etiam fient ex innumeris aliis beneficiis intra naturæ limites positis, quæ à parentibus manant in liberos. Ab his enim educantur, ab his litterarum studiis informantur, ad humanum

511. *Alia parentum in liberos beneficia.*

num civilemque cultum instituuntur, ad morum integritatem probitatemque eruditiuntur, divitiis augentur, ad honores dignitatesque provehuntur. Denique si verum est illud Euripidis; *Cunctis animalibus filii sunt anima*: de hominibus maximè verum est, quippe quòd ut animam, vitamque suam, illos adament, ac foveant. Quod disertè Aristoteles affirmat l. 8. Ethic. c. 12. Imò apud Quintilianum Declam. 6. Pater quispiam ita proclamat. *O quàm grave est mori, quanto gravius, quòd ego vivo superstes filii mei!* Et memorat Tiraquellus Præfat. in l. *Si unquam* n. 8. rem hujus generis admirandam. *Accusabantur*, ait, *Pater & filius homicidii, certum enim erat alterum eorum id perpetrasse*: sed uter id fecisset, incertum. Carolus II. Imperator jussit filium suspendi; quod intelligens pater, ut filium à morte vindicaret, atque in se pœnam converteret, sponte crimen confessus, ideoque suspensus.

512. *Non prodigenda cum salute.* Quamobrem non mirum est tantum esse parentum in filios amorem, ut plerisque necessarium sit illud Sapientis monitum Ecclesiast. 33. *Filio non des potestatem super te in vita tua.* Et post pauca: *Melius est enim, ut filii tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum.* Quasi dicat: dum spiras adhuc ac vivis, cave, ne ea, quæ possides, filio fruenda dederis; satius enim tibi est, ut filii tui à te pendeant, quàm tu pendeas ab illis; ut, inquam, illi à te necessaria postulent, quàm tu ab ipsis. Cujus gnomes veritas luce meridianâ clatior est ex oblivione, & ingratitudine penè quotidianâ liberorum parentes in necessitatibus rei domesticæ destituentium. Qui quidem in manus liberorum oculos conjicere coguntur ad stipem aliquam obtinendam, velut canes in manus dominorum suos intendunt, dum os aliquod rodendum exspectant. Sed hæc tolerabilia, si cùm alia paterni in liberos amoris insania conferantur, nec enim tantum vitam hanc suam, & simul opus hujus vitæ, filiorum causâ profundunt, sed & æternas divitias vitamque cælestem sæpenumerò perdunt, ut divitiis & honoribus eos augeant: Qua quidem re nihil dementius potest excogitari.

513. *Filiorum amore digna sunt* Cùm igitur parentum in prolem amor tantus sit, sanè dignissimus est mutuo prolis amore: cumque sese tot benevolentiæ notis & officiis prodat, ac maximè juventæ filiorum honestâ institutione, & partâ illis consentaneâ dignitate, & hæreditate, hac maximè ratione rectè pronunciavit Aristoteles lib. Ethic 9. *Diis, parentibus, ac magistris nihil par meritis posse rependi.* Nam gignendo quidem nobis vitam dedere, sed rudem, & impolitam; at probis moribus imbuendo, eam expolivêre: gignendo item aliquid nobis commune cum muscis impertiêre, & hæ enim sunt, & vivunt; at erudiendo instituendoque virtutem, famam, gloriam, quæ ex virtute consecuta sunt. Atque hac potissimè causâ Hierocles apud Stobæum Serm. 79. *Honestissima est*, inquit, *imò divina parentum facies, & aspectus, cultúsque eorum tanti fieri debet, quanti nec solis sit, nec omnium syderum, quæ gratissimas cœli choreas constituunt; aut si qua alia res istis maior à quoquam æstimatur.* Denique hac ipsâ præsertim ratione latum est illud Ecclesiastici præceptum, ejusque ratio cap. 3. expressa, *Judicium patris audite filii, & sic facite ut salvi sitis*, sive ut Arabicus legit, *O Ecclesia filiorum, obedite patribus vestris, ut hæreditetis vitam perennem*: & causa redditur; *Deus enim honoravit patrem in filiis*, sive ut Tigurina versio habet, *patrem liberis honorabilem reddidit.* Quod intelligens Alexius Isaaci Imperatoris Constantinopolitani filius patrem, à fratre imperio oculisque orbatum, armis in regnum asseruit, & quamquam omnes eum Imperatorem salutarent, ipse tamen nomen hoc cum imperio in patrem semper rejecit. Ita Fulgosius lib. 5 cap. 4. mitto exempla pietatis consimilia.

514. *Atque adeò solatium defunctis parentibus exigunt.* Quem ergo honorem piis parentum manibus reddetis, ô liberi! certè non magnopere laborant, an honorificè de ipsis, & sentiatis, & loquamini, aut eorum imagines colatis, aut ultimas voluntates ad eorum salutem minimè pertinentes observetis: sed Authore Hieronymo in cap. 15. Matth. *Honor in scripturis non tantum in salutationibus & officiis deferendis, quantum in eleemosynis & munerum oblatione sentitur. Honora, inquit Apostolus, viduas, quæ verè viduæ sunt, hic honor donum intelligitur. Et presbyteri duplici honore honorandi sunt, maximè, qui laborant in verbo, & doctrina Dei.* Et verò ubi vulgata lectio sic habet, *qui obedit patri, refrigerabit matrem.* Eccles. 3. Syrus legit *honorat matrem suam.* Ergo id genus honoris parentibus demortuis habete ô liberi: ut eorum flammas temperetis, ut inquam, Christi sanguinem, pluribus sacrificiis procuratis, in rogum lustralem copiosè fundatis: ut stipe pauperibus impertitâ patrem, matremúe cœlestium egentem reficiatis, quantula hic pars est hæreditatis vobis ab illis relictæ! ut inedia aliisque corpus macerationibus, ac doloribus eorum

rum mœrores leniatis, denique ut sacris peregrinationibus, iter illis in cœlestem patriam acceleretis, ac viatico per sacræ synaxis piam manducationem eos muniatis. Qui enim ad omnem virtutis honestatem vos instituêre, ejus institutionis fructum primi persentiscere debent, & pietatem in se vestram experiri. Ita ratum erit illud Ecclesiastici c. 3. *Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo.* Quod quidem vitæ parentis tempore contingit, quando si qui parenti invident, filium benè moratum illi invident: tum illud nominatim ratum erit, *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se*; similem, inquam, non moribus tantùm, & cultu civili, ut fieri assolet, sed & affectu: quoniam quod vivus, & mortuus parens summopere exoptat, mortui summas miserias levare contendet. Quare statim additur, *in vita sua vidit, & lætatus est in illo*, Pater, *in obitu suo non est contristatus.* Quippe quia spe suâ, fructuque rectæ filiorum educationis non frustrabitur.

515. *Saltem à veris filiis.* Quo quidem pacto filius verè dicetur sive ejus vocis etymon attendas: (deducitur enim à Græco φίλος, quod amantem significat): sive vocẽ hebraicam, qua filius denotatur, quæ pariter idem est, quod memoria: quoniam, & recordatione mentis, & parentum sublevatione fixam sibi eorum memoriam semper constare ostendet. Et verò id exigunt tot parentum labores, sudoresque toties effusi, ut liberis opes honoresque accumularent: Cùm enim in eorum accumulatione, velut mancipia filiorum se præstiterint (quippe ritu mancipiorum omne lucrum ad filios velut ad dominos referendo, adeò ut genium ipsi suum fraudarent, quo benè esset soboli) ratio humanitasque omnino postulat, ut quatenus liberi valent, filios se, & amantes, memoresque parentum opportuno auxilio præstent. Si enim Siracide authore *filii, tamquam dominis, parentibus servient*, scilicet ex parentum in eos jure, omnino decet eos dominos, qui se servorum ritu ex amore gesserunt, jam vita functos à filiis tamquam amantissimos parentes proprio filiorum amore summis in suis doloribus omni ope ac solatio recreari.

DISTINCTIO TERTIA.

Ingratitudinis huiusmodi liberorum indignitas, & execratio.

VERÙM quid loquor? & quid decere dico? Imò id planè necessarium est, nam immemores parentum vitâ functorum liberos vocare licet cum Psalmista *alienos*, id est, adulterinos. Rectè enim illis accommodes illud Psalm. 17. *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis.* Ubi adverte *alienos*, seu adulterinos intelligi non naturâ, sed moribus; dici autem *mentitos*, quod cùm non tantùm ipsi parentibus preces & sacrificia sæpe promiserint se curaturos, ne fortè ab ipsis procurarentur, sed etiam citra omne eorum promissum id ab iis jure exspectandum sit, tamen minimè impleant, simul adjice rectè *inveteratos* dici id est, perinde ac si consenuissent, oblivioso parentum recens mortuorum: vel ut habent Hebræa, *velut folia arentia fluxisse*, succo nempe pietatis exarefacto. *Idem à semitis suis claudicasse*, id est non rectè ac fideliter procedere, sed iniquè ac perfidè. Sed atrociùs in eos insurgere licet ex proverbiorum Salomonis c. 3. Sic enim ipse. *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Quid enim est patrem irridere ac subsannare, quàm fortunis, quibus in commodum prolis pepercerat, ad delicias abuti, imò ad insanum luxum, & omne genus libidinum, & pro animæ ardentis levamine, quod filii hæredes, vel verbo, vel reipsa polliciti erant, oblivionem, ingratitudinem, & falsa de Purgatorio dicta rependere? Quid est partum matris, sive ut ex Hebræo legunt, vel obedientiam, vel doctrinam, vel exspectationem despicere, quàm eam post varia merita ac præcepta jam demortuam omni spe solatii destituere, & justissimam opis atque stipis è tot opibus proli relictis exspectationem frustrari?

516. *Alioqui adulteri censendi.*

Itaque tali despectionis reo, jure effodiant oculos *corvi de torrentibus*, id est, juxta torrentes degere soliti, ad nativam sitim ex ingenito calore ac siccitate crebris aquis temperandam. Jure illum devorent *aquilæ* de malâ cruce pendulum. Si quæras, cur oculos nominatim, & non aliud membrum lacerari velit Sapiens. Alii quidem respondebunt hunc esse corvi morem, ut cadaveris oculos primùm invadat, & rostro laniet, sive propter indolis maligni-

517. *Et digni quibus oculos vorent corvi.*

malignitatem, ne cernatur, sive propter illius escæ suavitatem, unde extat illud Catulli:

Effossos oculos voret atro gutture corvus;
Intestina canes, cætera membra lupi.

Vero propius ad propositum dixero merito oculos hominis parentum defunctorum impiè immemoris à corvis effodiendos, quòd eos à quibus doctrinam & officii sui ac pietatis notitiam, & tamquam oculos mentis accepere, vel non agnoscant, vel agnoscere dissimulent, tum maximè cùm deberent ad ferendas illis in acerbissimis tormentis omnigenas suppetias. Rectè etiam addidero corvos huic carnificinæ aptissimos esse, quod Æliano teste l. 2. c. 49. parentes in senio deserant, & fame confici sinant præ ingluvie ac voracitate; imò & eos necent ac devorent. Quæ sævities nostros ingratos liberos bellè denotat, dum præ luxûs, & comessationum sumptibus negant sibi nummos ad sacrificia parentibus procuranda suppetere. quare & legata pia uti uti possunt, supprimunt, in diem trahunt, arrodunt, devorant, veri animarum parricidæ. Quamquam & rectè aquilas huic eorum carnificinæ exercendæ advocet idem Salomon, ut quia in parentes piæ sunt, & oculis præstant, hominum impiissimorum feritatem in parentes, aves piæ vindicent.

518. *Quia inhumani.*

Ne verò hanc Sapientis sententiam ad ingratam in pios parentum manes sobolem, per exaggerationem referre videar, Philonem l. de Decalogo audiamus. Cùm enim præfatus est improbos ferarum ingenium induere, *Inter eas humana specie feras, primas ferent*, inquit, *qui parentes suos negligunt, utriusque partis hostes, tum eius quæ Deo, tum eius quæ se hominibus approbare vult. Sciant igitur se damnatos pro duobus tribunalibus, quæ sola sunt naturalia, impietatis apud divinum, quòd secundos post Deum Authores vitæ suæ non tractant ex officio; inhumanitatis verò apud humanum. Cui enim benefacient, qui proximos, & optimè de se meritos vilipendunt, quibus nulla referri potest gratia non inferior beneficiis? Quomodo enim natus genitorem suum poterit vicissim gignere? Quam eximiam prærogativam natura dedit parentibus numquam compensandam à liberis. Proinde indignissimum fuerit, si qui ne omnibus quidem officiis possunt gratitudini satisfacere, graventur præstare vel minima.* Ita Philo. Audis impietatis & inhumanitatis accersiri negligentiam solam parentum, eo solo nomine, quòd liberos genuerint; quid diceret Hebræus ille Plato, si cætera nomina, si educationem, institutionem, locupletationem liberorum meminisset?

Si Theologi docent liberos hæreditate privari posse, vel quòd parentes gravi injuriâ affecerint, vel quòd carcere liberare noluerint pro iis fidejubendo, vel quòd eos à testando impedierint, vel quod eorum fortunas dilapidarint; profectò gravis sævitia est in parentes, flammis eos, quando facilè licet, eripere nolle; gravior, nolle Purgatorio carcere exsolvere; gravissima denique, interim eorum bona obligurire: si ergo singulis hisce injuriis, & ingrati animi notis pœna exhæredationis responderet, quanta respondet universis. 519. *Idem exhæredatione digni.*

Sed rem mihi propositam clarè convinco. filium parentibus contumacem lapidatione necandum esse divino judicio sanctum est; an non est contumax, qui parentum preces, & ultimas, gravissimasque voluntates, ut sui ab obitu memores essent, suâ causâ stipem erogarent, sacrificia fieri quàtocyus, & quàm plurima curarent; aliaque ejusmodi parentum mandata sæpè ab iis dum viverent, repetita, & inculcata vilipendit ac negligit? Quid verò lapidatio distat à suspendio? itaque iterùm pronuncio liberos parentum manibus ingratos, & precum pro illis fundendarum immemores, & stipis, Missarumque ab iis præscriptarum negligentes, dignos esse, quibus corvi oculos effodiant è malâ cruce pendentibus, & membra aquilæ, aliæque feræ dilanient ac devorent. quod judicium si æquo severius arbitraris, recordare purgantes pœnas quæ saltem iis debentur, suspendio ac morte longè graviores esse. 520. *Et lapidatione.*

Pars tertia.

Obligatio ob beneficia supernaturalia.

Porrò si pro naturalibus bonis, liberi parentum manibus adeò obstricti sint, quanta ipsorum obligatio existet ex supernaturalibus? Enimverò hæc illis adscribenda sunt multis de causis. Quis enim baptismum, quis Confirmationis sacramentum nobis procurat? Parentes. Quis mysteriis fidei Christianæ nos imbuit, quis timorem Dei nobis imprimit, quis ad spem vitæ æternæ nos erigit? Parentes. Quis nos ad noxas Sacerdoti ritè confitendas allicit? quis ad sacrosanctam Synaxim deducit? quis orationis usum persuadet? Parentes. Denique si rectè rem expendere velimus, comperiemus & progressum, & exitum salutis nostræ, magnam partem illis adscribenda esse. Etenim Christianæ educationi primùm assiduas pro filiorum 521. *Salutis initium parentibus debetur.*

salute preces licet adjungere. Certè R. P. Vincentius Carafa Soc. Jesu, vir eximiæ sanctitudinis testatur sese à matre sua Maria Carafa non tam mundo, quàm Deo editum, ejusque precibus felicitatem omnem suam acceptam refert. Et ego pauperculæ matris meæ orationibus patientiæ, & menstruæ quolibet cœlo stationum Christi per complures annos supra mœnia urbis Insulensis lustrationi, meam Religiosi ac Sacerdotis sortem, quam omnium maximè expetendam censeo, jure ascribo.

522. *Multiplici viatione.* Et verò parentum pro liberis vota proniùs Deus audit, sive quòd vehementiore studio concipiantur, sive quòd liberi eorum portio sint, & quemadmodum propensiùs quemque pro se orantem exaudit, ita & pro sui parte: sive denique quòd ipse Deus prolis curam parentibus commiserit, commendaritque, qua cùm rectè perfunguntur, decet ipsum optatos cursæ precumque fructus iis concedere. Nihil dico de bonis eorumdem parentum exemplis, quorum magna omnino vis est ad inspirandum virtutis studium, tum quòd facilior est imitatio eorum quos diligas, tum quòd paterna authoritas virtutum illicium auget, tum quòd frequentia, & quotidianus conspectus pietatis ac devotionis paternæ, dulci quodam impulsu ad eam sequendam velut adigit. Nam si antiquæ majorum ceræ non modico sunt ad eorum imitationem hortamento, quid intuitus viventis adhuc splendentisque virtutis? His adde optimam Numinis in parentes probos voluntatem ad eorum liberos, quippe ipsis carissimos, sese, suaque beneficia porrigere, hisque pariter suam impertiri benedictionem. Quare de viro probo Regius Psaltes Psal. 24. *Anima*, inquit, *eius in bonis demorabitur, & semen eius hæreditabit terram.* Item: *Dominus in generatione iusta est*: Quod intelligentes Raguel, & Gabelus viso Tobiæ filio bene precantes, causam bonæ precationis hanc addebant, quod *optimi parentis esset filius.*

523. *Igitur defunctis debetur levamentum.* Cùm ergo parentes nostri Christianâ educatione, piisque monitis, & initii, & progressus, & felicis exitus vitæ nostræ melioris, ac Christianæ fons & causa meritò dici possint, nunc maximè patet Aristotelicæ sententiæ veritas, nihil illis par rependi posse. Certè quidem omninò exigit ratio, ut pro parto nobis cælestis gloriæ jure, viaque ad illam multiplici viatico munitâ, nos illis in viæ termino positis, aditum ejus acceleremus; exigit, inquam, ut pro precibus assiduis preces, pro piis exemplis, fructus nostræ pietatis reddamus: & pro benedictione divinâ eorumdem respectu nobis impertitâ, optimè illis & velimus, & faciamus.

524. *Ne ingratiores simus quàm pagani in bestias.* Quid enim? Polyarchum ferunt canes, & gallos si quibus delectatus esset, mortuos convocatis ad funus amicis publicè extulisse, splendideque sepultos honorasse erectis ad sepulchra columnis insculptisque epitaphiis. Et nos parentibus nostris, qui immensæ cœli voluptatis æternùm duraturæ suavissimos fructus nobis pararunt, vitâ functis solam ingratitudinem rependemus? Corvus Romæ, quod Tiberium Cæsarem Drusum, & Germanicum, totum deniquè populum Romanum nominatim, ac bellè salutasset, cùm à nescio quo interemptus esset, operosis exequiis, & solemni funere, præeunte tibicine à duobus Æthiopibus elatus, ac sepulturæ traditus est: & parentes nostri toties de nobis optimè meriti, quibus adlaborantibus nomen illud novum, atque optabilissimum filiorum Dei obtinuimus, cùm primùm vitâ excesserint, tamquam ignoti, atque extranei à nobis deserentur? Denique si Alexander Magnus Buchephalo duxit exequias, urbemque ejus nomine construxit, quod & se diu tulisset, & alterum sessorem pati noluisset, quoties commodis animæ nostræ serviere parentes nostri, quoties gloriæ cælesti nobis comparandæ desudarunt? & nos cùm gloriæ illius possessionem facili precum atque eleëmosynæ pretio emere illis possimus, an negligemus? Sed pudet me ejusmodi comparationum; pudet amantissimos vitæ nostræ, & naturalis, & supernaturalis authores bestiis multò deterius haberi.

525. *Aut Cimon in patris pagani cadaver.* Audietur, opinor, æquioribus auribus contentio cum Cimone quodam, qui totam antiquitatem pietatis suæ prodigio rapuit. Cùm enim illius pater ob peculatûs crimen in carcerem compactus esset, illicque vitâ functus, Cimon ipse, ut parentem sepulturæ honore impertiret, paterna in se vincula transtulit, & illius cadaver sui ipsius spirantis valentisque pretio redemit. Quam igitur turpe homini Christiano patrem, matremue, à quibus, non qualem hauserat Cimon à parente vitam, tartaro velut destinatam, sed immortalem ac beatam nobis procuratam esse novimus, in ergastulo lustrali deserere, & auxilio nostro tamquam indignos destituere? Quamobrem piis liberis alia omnia cogitanda. Nam si priscis, ac paganis impietas in parentes vel solius naturæ instinctu omnibus diris dignissima visa est, à quibus tamen non nisi naturam, ac naturæ dotes;

dotes acceperant, quàm execrabilis censeri debet ea, quæ in parentes Christianos admittitur, quibus jus vitæ cælestis tot nominibus debemus? Et si digna est, quam detestemur, quantopere detestanda illa, quæ in demortuos sese prodit, adeò utique infælices, adeò opis nostræ egentes, & opis quidem nobis tam expeditæ?

526. *Gersonis ethopeia matris è Purgatorio.*

Denique pro me, & parentibus nostris perorat Joannes Gerson, ille celeberrimus Academiæ Parisiensis Cancellarius, qui matrem quamlibet è flammis expiatricibus filium sic alloquentem facit. Chare „ fili, ait mater, quæ est in affligenti carcere „ Purgatorii, in pœnis, & tormentis, chare „ fili mi, cogita de me, intuere me, audi me, „ sicut manus & Justitia Dei est super me „ posita, quæ jure me tenet in hoc igne, & „ in hac flamma, & in amarissimâ afflictione: „ Accede & propera, chare fili mi, qui priùs „ eras cordis mei gaudium, festina, succurre „ mihi, ut me trahas, & liberes de amarissimo hoc tormento, graviori, quàm lingua „ possit exprimere, aut cor cogitare; & si excusationem quæras, ac sumas te non posse „ venire ad me, certè potes, in quantum mihi opus est: non postulo, ut ad me corporaliter advenias, hoc fieri non potest, benè „ scio, sed advenire potes per bonam cogitationem, per piam considerationem, aut „ status mei memoriam, & liberare potes, „ ac trahere potes me miseram captivam, „ me pauperem tuam matrem, quæ nunc „ posita est, & dejecta in omnem afflictionem. Te ergo voco audi me, veni ad me, „ libera me. Et si quæras, quo pacto me liberare debeas: dico quòd erit faciendo „ pœnitentiam pro me, orando Deum pro „ me in corde humili, & lugenti, plora pro „ me, chare mi fili, plora in devotâ oratione, & tibi affero, quòd aqua lacrymarum „ si pura sit, & munda, sine immunditia peccati mortalis, omninò extinguet, vel magna ex parte magnum ignem, quem sustineo, qui me cruciat, & urit. Heu! dulcis „ mi fili, poteríne recusare afflictæ huic matri unam guttam aquæ, unicam lacrymam, „ quæ in tantum ei prodesse potest, dolorémque ejus alleviare? Ego sustinui tantos dolores, & mala pro te, te pariendo, „ nutriendo, & exaltando; feci pro te, & „ emisi multas lacrymas, copiosos quoque „ gemitus. tibi benè est, te quæso, non mihi „ desis in ultimâ hac necessitate; in necessitate probatur amicus, Ora pro me, habeas „ cor lugens pro me, nihil quæro, quod non „ possis. Heu me miseram! si filius quem „ concepi, portavi, & genui, mihi recusat, & „ mihi durus est, obliviscitúrque, quis mei „ memoriam habebit? O Deus qualis miseria! Quid faciet pauper hæc tua captiva? „ quò se vertet? unde vocabit subsidium, si „ proprius filius ei denegabit? hæc, & similia Gerson Serm. de defunctis, quæ utinam lectorem commoveant.

Pars quarta.

Exempla caritatis filiorum in Parentes Defunctos.

527. *Exempla virorum.*

Itaque, quicumque filii, quicumque Christiani audire volunt, horum præsertim quæ dicta sunt respectu parentum demortuorum patronos hoc in genere se præbent, & Augustinus quidem non contentus Numen piissimæ matri suæ Monicæ propitiasse, factis ad aram sacrificiis, ita pro illa precatur 10. Confes. cap. 13. *Ego itaque laus mea, & vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper piis ejus actibus, pro quibus tibi gaudeas, gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te: exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, & ex corde dimisisse debita debitoribus suis; dimitte illi & tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte, obsecro, ne intres cum ea in iudicium.* Ita ipse: & lib. earumdem Conf. 9. cap. 13. *Inspira,* inquit, *Domine Deus meus, inspira servis tuis, fratribus meis, filiis tuis, dominis meis, quibus voce, & corde, & litteris servio, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam coniuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, quemadmodum, nescio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoriâ.* Sic Augustinus. Bernardus quoque matrem Aleidem, licet cum laude raræ virtutis, & munificentiæ in pauperes vivis ereptam, recitatis quotidie septem pœnitentiæ psalmis, adjuvare non destitit. Et antea diximus Dionysium Carthusianum, virum sanctum æquè ac eruditum, parentem suum sibi inter Æthiopes binos, à quibus virgis igneis tundebatur, aliquando objectum, variis pietatis officiis eo genere tormenti liberasse. Et nota est Cantipratani historia, cui parens cùm sacerdotium ut susciperet, persuasisset, quo frequenti sacrificii litatione, ab eo mortuus sublevaretur, sæpissimè illius causâ sacrificabat. Quod si non faceret, apparebat illico Pater tristis ac gemens, & natum officii neglecti lamentabiliter incusabat, uti Cantipratanus ipse juratus asserit. Hen-

Dionis. Carthus.

Cantipra.

Suso. ricus etiam Suso eximiæ sanctimoniæ vir, cùm parentem suum, quem piissima Henrici mater è deteriore vivendi ratione ad meliorem traduxerat, ritè Sacramentis munitum decessisse cognovisset, quà precibus, quà voluntariis pœnis, quà sacrificiis cœlo donare contendit. Et accepimus Fernandez. Joanni Fernandez, homini è Societate Jesu egregiæ virtutis, anni spatio patrem quot diebus obversatum, precatumque, ut certa quædam pietatis officia, quibus opus erat ad suam è carcere lustrali dimissionem, exequeretur: Quibus peractis post anni decursum ipse parens cælesti gloriâ fulgidus filio grates maximas rependit. Illustre quoque est quod de P. Philippo Jacquetta Jacquetta. Franciscano ferunt. Cùm enim puer utroque parente orbus, ad utriusque sepulchrum singulis diebus itaret, oraretque; rogatus quid, & cur ageret, *Studeo*, inquit, *patris & matris in me merita, quatenus possum, compensare.* Et verò tam pia indoles ad virtutis apicem post evasit, quæ demum astris inserta est anno salutis 1455.

528. *Exempla fœminarum.* Jam ut ad fœminas eodem pietatis studio incensas veniamus, B. Herluca cùm patrem suum vitâ functum audiisset, quâ potuit ope, & operâ eum purgantibus pœnis eripere conata, tandem ex S. Laurentio, quo utebatur familiariter, quique B. Herluca. Herlucæ SS. Eucharistiæ mensam adeunti comes ire solitus erat, intellexit suis suppliciis caritatisque officiis patrem cœlo donatum; quare non esse cur de illo ampliùs laboraret. Porrò perquàm admirabile est, quod patris ac matris bono apud Deum effecit S. Catharina Senensis. Hanc S. Cathar. Senensis. enim, & corporis & animæ morte defunctam utriusque vitæ restituit. Illum verò Purgatorii cruciatibus prorsus absolvit. Cùm enim eum cum morte luctantem animadverteret, obnixissimè Christo supplicavit, ut bonâ ejus veniâ parens in Cœlum rectà contenderet. Cumque objiceret Servator justitiæ faciendum esse satis *Ego verò*, ait Catharina, *faciam eius loco, en suscipio in me, quæ merito ipse suo tormenta pateretur.* Neque abnuit Christus. Statimque illa ad Patrem adhuc spirantem id læti nuncii pertulit, eò solùm in vitâ divinitus retentum, ut beatiùs decederet. Ipsa verò è vestigio ingenti colico dolore correpta est, & deinceps ad mortem usque Passidæa. vehementissimè afflictata. Æmula Catharinæ fuit altera virgo Senensis, quam vocant Passidæam, à Deo in Cruce passo. Hæc patre, quem Deo genuerat, vivis exempto, statim sibi erepta miram ecstasim ab ortu solis ad occasum usque passa est: ex qua cùm sibi reddita esset, jussa significavit, quid sibi contigisset; nempe Patris animam ad Purgatorium se duxisse, ibique mente hæsisse. Tum verò pro illius liberatione illicò tam acerbas frequentesque pœnas ultro suscepit, tam multas preces fudit, ut eum brevi in libertatem asseruerit. Cùm enim in basilicam Senensem non mente dumtaxat, sed & corpore divinitus delata fuisset, parentem sibi apparentem vidit cœlesti splendidum gloriâ. Duobus abhinc annis, id est anno, 1580. Camilla ejus mater, à qua pessimè habita fuerat, mortem obiit, cùm sævitiæ in filiam suæ medullitus eam pœnituisset. Qui dolor adeò cor Passideæ penetravit, ut & fælicem illi mortem, & tandem cœli aditum, qua potuit ope, procurarit. Nam cùm mater ageret animam, illa sibi rapta est, & cum egisset, mortuam humeris suis sublatam ad Purgatorium deferre visa: ubi id solatii accepit, quod nulla istic vel impatientiæ, vel murmurationis umbra appareret. Ceterùm cùm matrem illic relinquere coacta esset, plurimos maximosque cruciatus ejus causâ pertulit, ac demum cognovit Camillam in cœlum evolasse: cùm eam illi Diva Virgo pone se exultabundam ostendisset. Denique produco Venerabilem Catharinam de Cardona Cathar. de Cardona. clarissimæ virtutis fœminam. Huic Pater vitâ functus spectandum se præbuit, octavum adhuc annum agenti. Quare ipsa è vestigio fugit: at retinuit pater: cui illa: *Quid*, ait, *tibi faciam? Et ipse pœnas meâ causâ suscipe*; & recepit. Ex eo tempore cruciatuum genus omne tenella subiit: donec objectus ejus oculis parens, Justitiæ divinæ ab ea satisfactum indicavit: simulque ob voluntarias pœnas Numini peraceptam esse, & in Sponsam ejus electam. Mitto de Liduina, Aleyde, aliisque nunc dicere, quoniam proprius erit aliàs de iis dicendi locus.

§ 2.

Parentes liberis Defunctis auxiliari necesse est.

Pars prima.

Theologica super eo Doctrina.

Eruditissimus rerum conscientiæ interpres Joannes Azor P. 2. cap. 4. ubi 529. *Viventibus tria debent.* quæsiit, quæ parentes filiis debeant, respondet tria potissimùm debere. Primùm quidem alimenta; deinde institutionem in fide, religione, & bonis moribus; tum curam,

ram, ſtudium, ac diligentiam, ut in certo vitæ ſtatu pro conditione perſonæ liberi collocentur. Porrò, & ipſius, & aliorum recepta eſt ſententia, alimenta naturæ lege deberi: eaque patet ex communi etiam belluis naturæ propenſione, cùm & tygrides partui manſuetum immurmurent, & tenerum inhabilemque nutriant. Alimentorum autem nomine accipe tum ea, quæ ad veſtitum, & lectum, tum quæ ad habitationem: imò quæ ad pharmaca infirmæ valetudini neceſſaria, & ad artes honeſtas, quibus victus paretur, pertinent. Inſtitutionis porrò neceſſitas ex priore derivatur. Nam generatio quidem, & nutritio hominem, ſed inſtitutio bonum hominem efficit: illæ opus inchoant, hæc perficit, uti & promotio ad ſtatum aliquem congruum, quæ velut ultima authorum noſtrorum manus, & operis conſummatio eſt.

530. *Et defunctis auxilium lege propria.*

Neque tamen inde concludas nullam parentibus curam incumbere prolis è Purgatorio eximendæ. Quemadmodum enim ſi poſt matrimonium, aliumúe ſtatum initum, liberi alimentis prorſus egeant, ea illis ſubminiſtrare naturalis æquitatis lege tenentur, ita & iiſdem in Purgatorio graviſſimam neceſſitatem patientibus ſuppetias ire. Accedit quod ſi liberi in ſervitutem incidant (ut quia capti bello, vel à latronibus, aut piratis intercepti) de communi Theologorum ſententia parentes ad eos redimendos obligentur, ſi quidem nec filiis ea facultas adſit, & ſine gravi parentum incommodo poſſint redimi: unde conſequitur ſimilis obligatio eos Purgatorii ſervitute atque exilio in libertatem filiorum Dei aſſerendi: & quis dubitat, quin, ſi poſt initum aliquod vitæ genus, aut alterius modi emancipationem, vel in corporis, vel in animæ grave diſcrimen incurrant, parentes ſtrictiùs aliis ad illud depellendum obligentur? Pariter igitur pronunciandum eſt parentes ad liberos Purgatorio ergaſtulo, quod eorum animis graviſſimum eſt, vindicandos propriâ quadam lege obſtringi. Denique cùm finis ſupernaturalis matrimonii, ad quem Chriſtiani conjuges illud, illiusque uſum referre obligantur, ſit liberos non ſimpliciter procreare, ſed curare deinceps ut Deum bonorum omnium authorem æternùm laudent (quem etiam in finem eos præceptis ac myſteriis fidei imbuant, oportet) conſequitur non alium eſſe parentum curæ ac ſollicitudinis pro filiis terminum, quàm initium æternæ eorum fœlicitatis; atque adeò dum adhuc carcere luſtrali attinentur, ad eorumdem curam pertinere. Poſtremò plus parentibus, quàm aliis debent animæ poſt mortem, ſi quid precibus valeant; ergo, & tunc plus illis debent parentes, quàm alii; quoniam uti fons & origo obligationis animarum eſt plus à parentibus, quàm ab aliis beneficii accepiſſe; ita obligationis parentum erga liberos majoris caput eſt plus iis dediſſe, nempe ut eſſent, & eſſet illis benè ac beatè. Ut enim rectè Ariſtoteles Eth. c. 12. *Maiorem id à quo aliquid eſt, habet cum genito neceſſitudinis coniunctionem, quàm quod ex ipſo oritur. eſt enim eius pars, quæ eſt propria totius non totum partis.* ita ipſe. Porrò effectum eſſe totius partem, ita conficitur, quòd opus, ut aiunt Philoſophi, contineatur in virtute cauſæ; Item quod, ut ait idem Ariſtoteles, agendo ſimus, atque adeò ſimus operatio, & opus; quæ ratio eſt, cur eos, quos beneficiis afficimus, vehementiùs adamemus, quia plus noſtri in iis collocavimus. Cùm ergo animis liberorum defunctorum ad virtutem promovendis multum operæ poſuerint parentes, multum in iis ſibi vindicant, igitur eas multum amare, nec minus juvare, obligantur.

Pars secunda.

Moraliter expenditur Obligatio Parentum ad alimenta mortuis liberis Præſtanda.

531. *Famem defuncti filii.*

Cum igitur hæc obligatio ſtet, de more noſtro illuſtranda eſt. atque ut ordine procedamus, ejus vis ac magnitudo primùm ex obligatione parentum ad alimenta filiis præbenda, tum ad inſtitutionem in fide ac bonis moribus, demum ad honeſtum vitæ genus illis procurandum, expendenda. Ac primùm ſatis conſtat, ut diximus ſuperius, pios manes cibo quoque aliisque ad alimenta pertinentibus indigere; cibo, inquam, illo, de quo Raphael utrique Tobiæ, *Ego cibo inviſibili utor, & potu qui ab hominibus videri non poteſt*, Tob. 12. qui quidem cibus non alius eſt quàm ipſe Deus, qui & Beatorum famem, & ſitim ſatiat, at ſine ſatietate; Cæterùm rectè manna abſconditũ authore Richardo à S. Victore vocatur, dum dicitur Apoc. 1. *Vincenti dabo manna abſconditum*, quia nec dici, nec fingi animo poteſt *quàm magna ſit multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Pſal. 30: ſemperque locus eſt admirationi expreſſæ voce *man-hu, quid eſt hoc*, cùm numquam ſuavitas illa poſſit mente comprehendi. Hoc igitur manna, hunc cibum, hunc potum

tum vehementissimè appetunt pii manes, quippe quòd & per seſe maximè excitet orexim animarum, & iis maximè congruat, & quòd denique in eo ingenti incendio non possint non ardentissimè eum sitire.

532. *Duri parentes qui cibum eis non dant.*

Vos itaque patres, vos matres eorum, cùm eum illis largiri possitis, per Deum immortalem, per quidquid est vobis carum, nolite denegare. Nam si pusioni inter ubera gementi crudele est lac diu differre: si pueris oppidò famentibus non sustinet nativa pietas panem negare: Si etiam passerum matres, atque hirundinum, pullis raptis, & caveâ clausis escam deferunt, an sustinebitis verè de vobis, puerisque vestris, intelligi illud Jeremiæ; *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*, non ex inopia, sed ex impietate? Veréne, & hoc de vobis dicetur, *Lamiæ*, sive ut aiunt Septuaginta, *Dracones nudaverunt mammam: filia verò populi mei quasi struthio in deserto.* Thren. 4. id est Lamiæ, quæ Hieronymo teste belluæ erant facie humanam referente, corpore feram, mammas ad lactandos catulos pietate quadam nativâ præbuerunt, dracones item ad dracunculos alendos; & mater Judæa, mater Christiana, similis sit hoc in genere struthioni, qui dum ova posuit, relinquit, negligens ea fovere, atque ut Job. 39. c. *Duratur*, inquit, *ad filios, quasi non sint sui*? Sitne, inquam vel pater, vel mater, in suos liberos vivis ereptos tam immitis, ut cibi potusque inopes, & puellorum instar sibi comparandi impotentes destituat? Atqui hoc est minùs in suos pium esse Lamiis, ac draconibus, & tigribus; an igitur decet hoc parentes Christianos? Quid itaque de iis sentiendum, qui quod Christus contingere non posse pro explorato habere videtur, filiis suis *panem petentibus* è Purgatorio, *lapidem porrigunt*, & *pro ovo scorpionem*? id est qui preces illis stipemque recusare non contenti, insuper saxeis animis pia eorum legata, etsi modica, negligunt, & cùm blandam faciem iis scorpionum instar exhibuerint, facultatem iis faciendo legandi, post illorum obitum furtim, velut caudâ venenum iisdem ingentemque acerbitatem inferunt, promissa legataque obliterando.

533. *Debent, & alia alimentorum nomine.*

Venio nunc ad alia, quæ parentes alimentorum nomine liberis debent, & piis eorum manibus præbere obligantur. In quibus quidem primùm occurrit vestis, non quidem adversus frigus, sed adversus nimios flammæ lustralis ardores illis induenda: quemadmodum Hispani, aliique sub torrido positi climate adversus calores veste se muniunt. Hanc porrò misericordia in egentes texit: hac illos tegit, & quo pauperes contra frigus munit, eodē panno pios filiorum manes contra æstum solis Justitiæ communit: adeò ut eò minus caloris sentiant, quò egeni minùs frigoris. Debetur quoque non magis vivis, quàm defunctis liberis domicilium, ac lectus, in quo requiescant. Quæ verò domus, quis lectus aptior sinu Abrahæ? non illius Judæorum parentis, sed Beatorum: sinu, inquam, æterni Patris, Patris multarum gentium, in quo sinu Unigenitus Dei per naturam, eamdemque substantiam, Cœlites per amorem, gaudiumque beatificum jucundissimè quiescunt.

Vestes.

Domicilium.

Debentur præterea ægrotis filiis pharmaca, & cura valetudinis. Et ô quanta est piorum manium ægrotatio! quàm acerba, quàm multiplex! acerbissimorum morborum nostratium sævitiam complectitur, ac multis partibus exsuperat. Et ecce tamen ægrotat Bersabee primogenitus ex Davide, *Deprecatúsque est David Dominum pro parvulo, & ieiunavit David ieiunio, & ingressus seorsum iacuit super terram*, sive ut habent Hebræa, *& venit, & pernoctavit.* 2. Reg. 12. Et quot patres, quot matres, nummos, curas, vigilias, vota, peregrinationes ad eam ægrotis liberis obtinendam adhibent? quot sanguine, ac vitâ suâ illam emere paratæ essent? Cùm vero vitâ functi conflagrant, quasi anima simul cum vitâ interiret, parcitur nummis, parcitur precibus, & curis, perinde ac si nec filii amplius existerent, nec lustralis flamma ullibi extaret; ut quisque eorum verè dicere possit, *Oblivioni datus sum tamquam mortuus à corde.*

534. *Pharmaca & curam valetudinis.*

Pars tertia.

Moralis expositio obligationis Parentum ad quamdam institutionem liberorum defunctorum.

535. *Liberis mortuis doctrina procuranda.*

Porrò post alimenta liberorum, sequitur eorum in fide ac bonis moribus institutio, cujus etiam necessitas, eorum vita defunctorum curam suscipiendi necessitatem invehit. Si enim pii ac boni parentis sit per se, ac per magistros, prolis adhuc viventis rectam institutionem ac salutem sollicitè procurare, consequens est, & pro mortuæ bono, ac velut institutione novâ operam ab eo ponendam esse. Etenim cœlum velut quoddam gymnasium est ubi discitur perfectè Deum amare, perfectè laudare, perfectè cùm ejus voluntate consentire. Et parentes defunctis liberis

liberis Sapientiam ipsam divinam præceptricem, sive Verbum ipsum æternum providere queunt, ut primo visionis beatificæ momento pervideant totam essentiam divinam cum perfectionibus omnibus, & alia simul innumera, quorum notitia numquam obliterari poterit. Quid igitur cunctentur filiis, si eos diligunt, tantum scientiæ decus, tamque nobilem Doctorem procurare? Novimus Constantinum Magnum nobilissimos quosque variarũ artium principibus viris dignarum Magistros filiis suis quæsisse, & tamen Constantius in Eusebium Arianæ hæreseos fautorem incidit, & altè ipse hoc venenum imbibit. Audivimus Theodosium Imperatorem Arcadio, & honorio filiis erudiendis, incomparabilem virum Arsenium præfeciſſe, & idem fuit Caroli Magni studium, & est omnium parentum moratorum. Quin etiam ferunt luscíniam pullos suos ad concinnè modulandum instruere. Si ergo tot curis, tot vigiliis, tot precibus, ac lacrymis constat rudimenta fidei ac religionis proli instillare, eamque virtuti assuefacere; Si parentes Augustino teste in Ps. 50. *Domestici concionatores esse debent*, & quà verbis, quà exemplis eos perpetuò ad virtutem adhortari, nefas est eos dum omnium laborum suorum præmium, ac fidei, religionisque filiorum mercedem illis parere licet, torpere, illosque negligere.

Pars quarta.

Expenditur Parentum obligatio ad honestum Vitæ genus iis Procurandum.

536. Quod idem officium patet ex obligatione eorum ad congruum conditioni suæ statum liberos promovendi; siquidem jure gentium ac naturæ parentibus id incumbit. Et verò cùm David eâ mente ac studio Salomoni Regnum Israëlis adhuc vivens ipsi cesserit, ipsumque adorarit; cùm Ptolomæus Lagi filius Regem filium etiam vivus crearit, eumque satellitis instar custodierit; cum Sichemi pater se circumcidi passus sit, ut filium ad Dinæ nuptias proveheret: quidni parentes similiter studerent liberos promovere ad gloriam cælestem ac beatitudinem, qui propriissimè status est, & omnium quidem bonorum aggregatione perfectus. Nam si filium, vel filiam monasterium, vel conjugium etiam cum indigno inire volentem dote fraudare non possunt, an poterunt aspirantes ad nobilissimas nuptias cum Christo Servatore, imò cum divinitate? Si temporarium matrimonium cum mortali contracturis primam, dum adhuc valent, hæreditatis portionem liberis transcribunt, tum alteram morituri; an æternum cum divino ac immortali sponso connubium cogitantes, non modò non portione hæreditatis (quæ sanè si peteretur, concedi deberet) sed nec stipe modicâ in dotem à Christo accipiendâ impertient? Et hic tamen mos est etiam Christianorum parentum, hæc corruptela etiam in speciem piorum: vivis liberis fiunt canales, omnia sua transfundunt, sibi nihil retinent, at mortuis exarescunt, pauperes sunt, exinaniti sunt; nihil reliquum habent. Tanti illis est posteros hac in vitâ florere, ut vix flocci fiat florere in alterâ.

537. *Indignitas parentum stipem mortuis liberis negantium.*

Itaque cuique vestrum ô miseri filiorum manes occini potest illud, quod Ezechiel Iudæorum genti infaustum occinit c. 16. *Generatio tua de terrâ Chanaan, Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa*, id est, parentes tui nomine quidem Christiani, & Catholici sunt, sed revera ita se adversus te gerunt, ac si essent Chananei, & impii. Cur ita? Quia *Pater tuus Amorrhæus*, quod vocabulum, ut author est Hieronymus, Hebraicè sonat celebrem, seu multo sermone celebratum, ac famosum: famam enim hujus mundi solam curat: & *mater tua Cethæa*, id est, ut etiam interpretari ex hebraica nomenclatione licet, quæ vel insanit, vel alios in insaniam vertit: quippe quæ eamdem cum patre insaniam penitus hausit, eamque transfundit in superstites liberos: adeo ut ea sit communissima mortalium, & nobilium maximè, aliorumque, qui sapientes sibi & aliis videntur, insania. Quæ, ut luculentiùs appareat, audi quid in Arthesia contigerit. Binas habebat filias vir quidam plebeius, at prædives, harum alteram rudiorem bardus & rusticus juvenis in conjugem petiit, alteram elegantiorem eodem tempore procatus est eques nobilis, formâ ac virtute virginis illectus: priorem prior obtinuit, & ita quidem, ut quia ejus rustica indoles cum indole Patris apprimè consentiebat, ab hoc hæreditatis maximam partem abstulerit. Quo audito eques ille nobilis graviter indignatus, & patrem & alteram filiam res suas sibi habere jussit. Hæc igitur voto, & fortunis frustrata, lacrymari, queri, gemere dies noctesque, donec tandem procus misericordiâ motus, ac summâ in virginem maximè ingenuam caritate, eam sibi in conjugem sumpsit. Indignaris & tu, opinor, mi Lector hæc nuncia. Hæc enim posterior puella, & merito suo, & ratione dignitatis, ad quam

quam hoc connubio promovenda erat, ampliori dote dignissima erat: & pater ille, indignæ, indignoque proco, contra fas, & præter hominum sapientum mores, favisse narratur. Ita est profectò: sed si fabella hæc bilem tibi movet, quâ demum indignatione digni sunt parentes, qui cùm filias mortalibus obscuris atque rusticis nupturas dote amplissimâ locupletent, mortuas, ac Regi sæculorum immortali collocandas, ut ad nuptias brevi perveniant, ne stipe quidem modicâ, non modo dote promovere volunt: adeò ut ad opem extraneorum mendicandam confugiendum illis sit: atque adeò ad illius Sponsi misericordiam. Ita ratum est illud Psalmistæ. *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.* Psal. 26.

Pars quinta.

Exempla Pietatis Parentum in liberos defunctos.

538. *B. Borgiæ in defunctos liberos pietas.*

Quam melius parentem se gesit B. Franciscus Borgia, Gandiæ Dux, & post tertius Societatis Jesu Generalis, de quo hoc Andreas Scottus in ejus vitæ actis l. 4. c. 4. Summa illi animarum cura, quæ „ corpore solutæ purgante igne crimina expiant: ut etiamtum Dux Gandiæ assiduè „ pro illis orarit, & liturgias, remque divinam fieri curarit: Cujus officii nomine sæpe illi animas reduces apparuisse, gratiasque egisse narrant: promisisse etiam se vicissim pro eo in Beatorum sedibus precaturas. Hæc candidè ille, ut omnia, Hieronymo Natali Sacerdoti optimo narrare solitus, quem bis in Hispaniam ab Ignatio missum, commissasque illi Societatis provincias diximus. Hæc Scottus, qui deinde c. 6. ejusdem libri sic scribit. In oppi- „ do, quod Reginæ casam appellari diximus „ agenti, Dorotheam filiam obiisse divinitus „ nunciatum eo ipso quo migravit horæ „ momento, ad D. Claræ Gandiæ: sed nihil „ mutatus, animoque turbatus, quasi ad se „ nihil attineret. Verùm non perinde mirandum in filiæ morte mœstum non fuisse, „ quæ jam inde à pueritia virginitatem Deo „ consecrarat, propterea quod exilii sui terminum, ut pridem optarat, nacta esset. Illud plerique magis mirabantur, Isabellam „ filiam, Lermæ Comitissam, singulari matronam virtute, dotibusque naturæ præditam, non luxisse. Pintæ enim aulam „ Principis ingressurus, obvium habuit, qui „ tristem subitumque filiæ interitum nun- „ ciaret. Paululum itaque clausis oculis, apertâ verò ad Deum mente orans, benequemortuæ precatus perrexit. Rebus in „ aula gestis discessurus Principi Dominæ „ dixit; ora quæso, pro animâ famulæ tuæ „ Isabellæ, quam nunc morbo minimè lento, „ sed repentino extinctam audivi. Ad hæc „ illa: itane tam tristem nuncium obiter à „ discedente nunciari mihi oportuit? nihilne parentem talis filiæ mors movet amplius? Depositum, inquit, acceperam, „ repetiit Dominus. Reddamus itaque, ut „ par est, alacriter, quodque usuram ejus „ tam diu dederit, grati testificationem animi demus. Igitur non lugendum, cùm his „ vitæ miseriis, & corporis vinculis soluta „ evaserit, & in Beatorum domicilium, Dei „ clementiâ, ut spero, & opto, commigrarit. „ Domum ubi revertit, sacris pro illa operatus nullam aliam luctus significationem „ dedit. Hæc idem author. ex quibus vides tum Christiani fortitudinem parentis non quæstibus, non gemitibus liberorum manes prosequentis, sed mirâ & acceptissimâ Numini voluntatis humanæ cùm divinâ consensione: tum pietatem quæ magis etiam patebit ex eo, quòd dum Catalauniæ Proregem ageret, captis sicariis, qui vias obsidebant, cùm ad supplicium raperentur, eorum vicem miseratus sacrificia singulatim triginta fieri ære suo jusserit. Qui enim in exteros, & improbos tam pius, procul dubio in suos pientissimus extitit.

539. *Pietas D. Chantal in filium.*

Patri matrem subjungo, & egregiam quidem atque hoc loco dignissimam fortitudine juxta ac pietate. Hæc illa est Domina de Fremiot, vidua D. de Chantal, post Salesii Episcopi Genebensis filia spiritualis, & sanè illius spiritu imbuta. Hæc itaque auditâ filii unici morte, pendentis è cruce Christi signum corripiens, eique manus deosculans, qua possum, ait, animi submissione, tuos, ô Christe, dulcissimos ictus accipio, precorque ut filium illum meum in misericordiæ tuæ gremium accipias. Deinde preces, & omne supplicationis genus in levamen cumulavit. Ita tribus ab obitu mensibus liber Purgatorio filius emersit: quemadmodum ex viso cujusdam fide digno constitit: conspectus enim est juvenis ille velut in putei cujusdam fundo, ad cujus fauces mater, crucis oblongæ, quam manu tenebat, extremum, filio porrigens, illum paulatim è putei fundo in altum sustulit.

540. *Matrū importunæ lacrimæ gravant defunctum filium.*

His adjungo absimile in re simili luctus genus, ut ex oppositione, quæ sit vera germanaque pietas, eluceseat. Gemebat expers omnis solatii mater ereptum filium, nec gemere cessabat Et acuebatur dolor

dolor ex alterius superstitis ingratis moribus, atque effrenatâ licentiâ, ac fortunarum dissipatione. Quondam lacrymabundæ obversata est cohors egregiorum juvenum, lætitiâ gestientium, quos pone sequebatur defunctus ille atque optatissimus natus aquam extimâ veste complicatâ ferens. Quærit mater cur aliis non se jungat. Respondit ille maternis lacrymis se gravari. Propterea flere inutiliter desineret: ac potiùs preces, ac sacrificia suo bono curaret: ita se prioribus accessurum. Vide Cantiprat. lib. 2. Apum c. 53. qui & hoc subjungit. Hisce verbis.

541. *Jejunia levant.*

„ In villa prope Lovanium, oppidum Brabantiæ, juvenis quidam dissolutus & levis „ languore decubuit. Rogatu ergo matris „ Lambertus presbyter leprosorum, vir pius, „ & zelator maximus animarum, venit ad „ juvenem, & eum ad confessionem peccatorum & pœnitentiam sedulus invitavit. „ Quo mox in multa valde contritione confesso, & non multo post mortuo, mater „ pro eo continuavit interpolatè jejunia, „ & usque ad quinque annos, quasi irremediabilibus lacrymis protelavit. Ergo ut ipsum tempus expletum est, die quadam „ Dominica dictus Lambertus mortuus est, „ & sepultus. Sequenti autem quintâ feriâ „ dictus juvenis manifestus apparuit matri „ suæ dicens, Ecce nunc, mater charissima, „ adjutorio tuo ad requiem transeo de gravissimis pœnis, quas pertuli pro peccatis, „ & mecum Dominus Lambertus Presbyter, qui me ad cognitionem & confessionem peccatorum meorum salubriter provocavit. Pro quo, & multis aliis, quos ad „ pœnitentiam salutis adduxit multa merce„ de cumulabitur præmiorum. Vide ergo, „ Lector, quantæ mercedis sit inscios docere, viam salutis ostendere, & ad confessionem, & pœnitentiam trahere peccatores, „ nec hoc quoque sine grandi mercede negaverim, viventes compati mortuis, & eos „ quomodocumque orationibus, & jejuniis „ adjuvare. Ita Cantipratanus loco citato.

§ 3.

Conjuges superstites Defunctis opem ferre oportet.

Pars prima.

Id ipsum docetur ex Theologis.

542. *Conjugum in Conjuges officia.*

Etsi de pietatis officiis agimus hoc articulo, tamen illi quoque mutua conjugum officia inserimus: non quidem de jure, quia propriè pietas inter parentes cernitur; sed de more, quia conjugum amor, atque ut vocat Salvianus lib. 1. ad Ecclesiasticos, *Iugum incarnatæ necessitudinis*, pietatis vinculo affine est. Etenim ut parentes ac liberi inter se amare ac juvare debent, quòd filii portio sint parentum: ita conjuges, quòd una caro sint, seu *duo in carne unâ*, atque adeò partes quædam carnis ejusdem. Porrò ex omnium Theologorum consensu amorem, honorem, & obedientiam sibi mutuò debent conjuges. Amorem quidem, quia cùm proximum diligere jubeamur, quis eo nomine dignior conjuge, quæ unam carnem conflat cum conjuge? Propterea Apostolus ad Ephes. 5. ait. *Viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua; qui uxorem suam diligit, seipsum diligit.* Honorem verò, quia vir quidem caput est uxoris, & familiæ, & ad eum administratio etiam fortunarum uxoris spectat. Uxor verò non famula, sed socia thori est. Quare primus conjugum, *Mulier*, ait, *quam dedisti mihi sociam*: & Petrus Epist. 1. c. 3. vult viros *quasi infirmiori vasculo honorem impertiri.* Et verò prima conjugum è latere viri sumpta est, nempe ut viri latus clauderet, & socia illi assideret, ac familiam curaret. Denique obedientiam alter alteri debet, Nam Geneseis 3. Evæ dicitur: *sub viri potestate eris*, sive ut Hebræa sonant, *ad virum recursus tuus*. Et similiter Petrus Epist. 1. c. 3. *Mulieres*, ait, *subditæ sint viris suis*, & ex diverso vir quoque uxori parere obligatur, ut patet ex mutuâ corporum traditione.

543. *Etiam defunctis deberi, authoritate probatur.*

His præmissis ut de more ad officia conjugum superstitum erga defunctos veniamus, facilè admittam alterius morte cessare obligationem alterius ad parendum defuncto, nisi in iis quæ ad ultimas voluntates spectant. Sed vinculum amoris honorisque morte solvi admittere nequeo. Licet enim conjugium morte solvatur, atque adeò alteri legitimè collocari possit conjux superstes: licet id quoque demus Angelico Doctori, & Carthusiano; si conjux vita functus ad vitam diuinitus revocaretur, sine novo connubio non posse prioris matrimonii iure uti, aut cum superstite liberis operam dare, iuxta illud Pauli 1. cor. 7. *Si dormierit vir eius, liberata est à lege viri*, sive à vinculo coniugii: tamen manet obligatio honoris, amorisque, saltem eatenus, ut coniux superstes præcæteris, sepulturam, & exequias coniugi defuncto curare debeat, illius conditioni vitæ congruas, ac proinde pariter manet vinculum amoris maritalis ad iuvandos eius manes. Certè *cùm Abraham surrexisset ab officio*

funeris (Saræ scilicet uxoris suæ) *locutus est ad filios Heth, dicens, Advena sum, & peregrinus apud vos ; date mihi ius sepulchri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum*, Genes. 23. Ex quo loco id documenti deducit Oleaster : *Vt viri coniugati discant, quantum debeant uxores diligere, & funera curare* : sic ipse. Et Ambrosius lib. de Abraham, c. 9. *Locus, qui legitur*, ait, *habet mortem uxoris, fletum mariti, sepulturæ officium, quibus maritalis affectus probatur*. Ita Ambrosius. Si ergo eo authore, & Abrahami exemplo proprium maritalis amoris est, sepulturæ officium, etiam erit officium precum, & stipis largiendæ ad levamen defunctæ uxoris. Deinde Deuteron. 25. *Quando habitaverint*, ait Moyses, *fratres simul, & unus ex eis mortuus absque liberis fuerit, uxor defuncti non nubet alteri : sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui.* in quem locum itidem Oleaster, docentur, ait, *hic fœminæ, quales erga defunctos, viros se debeant exhibere, ut quoad possunt, velint honorem ac nomen eorum servare.* Et Abulensis fratrem defuncti imperio divino adigi ad coniugem illius ducendam tradit, quod gravissimum sit eam ducere, *cùm amor uxoris ad defunctum cum magno desiderio tendat* : unde existit hoc alterum causæ nostræ firmamentum : uxori superstiti nubendum erat fratri mariti defuncti, ad huius nomen honoremque servandum ; ergo morte viri non solvebatur vinculum amoris maritalis in illum ; Cur igitur iam solveretur ? Etsi enim ea lex antiquata est, tamen eius finis & causa manet, potestque, ac debet precibus, alioque defuncti levamento, obtineri. Id quod ex moribus hodiernis confirmatur, quia & nunc ad viri defuncti honorem solemnis eius luctus ad annum plus minusve durat, & contra decorum facit, imò & aliis offensioni est, qui sine urgentissimâ causâ statim à coniugis obitu ad alteras nuptias transit ; censeturque non amasse viventem, contra ius fasque, qui mortuum tam citò obliviscitur. Et denique oblivio ipsa crimini passim datur, & cuidam inhumanitati : isque est omnium gentium non barbararum consensus, ex quo solent etiam Theologi naturæ ius atque obligationem arguere, uti de obligatione filios alendi constare diximus. Præterea ita Apostolus præcipit ad Ephes 5. *Viri diligite uxores vestras ; sicut, & Christus Ecclesiam.* Quis autem dubitet, quin & Christus patientem diligat ? Igitur, & viri uxores in Purgatorio patientes, & contra uxores ibidem detentos viros debent diligere, atque adeò iuvare.

Atque hæc argumenta extrinseca sunt, & foris assumpta. Porrò idem ex coniugii natura ducere licet. Etenim coniugio coniuges fiunt una caro, id est, unus homo, unaque persona civilis ; igitur sese mutuò vehementer ament, necesse est. Idcirco Adamus inito cum Evâ connubio, statim fert legem, eamque Deus decreto suo sanxit, *relinquet homo*, scilicet conjux, *patrem, & matrem*, nempe si res exigat ad necessarium vitæ consortium, *& adhærebit uxori suæ*, sive ut legunt Septuaginta, *conglutinabitur*, quod arctissimam conjunctionem significat, ac proinde non corporum modò, sed & animorum. Quæ etiam causa est, cur Deus Adam & Eva conditis *vocavit nomen eorum Adam*, ut asserit ipse Moyses Gen. 5. tum ut eos unam in personam civilem coaluisse significaret, tum ut indicaret uti nomine, ita & animorum affectibus unum, eumdemque esse debere. Sanè ipse Pithagoras docebat *in coniugio amico unam animam in duobus corporibus esse debere* ; Igitur etiam separatis morte corporibus conjuncti sint animis, necesse est : & quod ei consequens est, superstitem defuncto opem ferre. 544. *Et ex natura coniugii.*

Et verò si matrimonium spectetur ut Sacramentum, atque adeò, ut signum coniunctionis Christi cum Ecclesia ; uti hæc coniunctio animorum est, neque tantum cùm Ecclesiâ militante, sed & cum patiente, atque triumphante ; sic & maritalis coniunctio animos copulare debet, non modo cùm adhuc militant ; sed & cùm stipendiis factis, vel purgantur ad coronam obtinendam, vel eam obtinuere. Præterea necessitas mutuæ inter coniuges dilectionis ex connubio manans necessitatem invehit in Christianos maximè procurandæ mutuæ salutis, certumque videtur uxorem graviùs peccaturam in leges Christianæ caritatis, si virum in extrema salutis necessitate derelinquat, quàm si alius quispiam extraneus ; igitur uterque coniux obligatur propriè, & ex lege coniugii alterum in purgantibus ignibus detentum juvare, & ad salutis terminum, sive ad gloriam provehere. His adiice communes utrique coniugi liberos, mutui causam amoris ; atque ut loquitur Chrysostomus, mutuæ caritatis *pontem*. Nam velut duæ civitatis partes in unam civitatem ponte coëunt ; sic procreatione maximè liberorum corda duo in unum, ut inter se juvent. 545. *Maximè Christiani.*

Adde mutua conjugum, perpetuaque beneficia. Cùm enim Aristotele teste in Ethicis, *is cui bene fit, fit quodammodo eius, qui* 546. *Et mutuis conjugum beneficiis.*

qui benefacit, opus : ipsum verò opus pars quædam operantis, imò ipse operans : Sequitur conjuges velut alteros se invicem amare debere cùm etiam mutuorum inter conjuges benefactorum ac subsidiorum obligatio ex lege conjugii manet, quemadmodum & prolis generatio; consequitur ex eadem lege perennem inter eos amorem esse oportere. Etenim, & benefeciſſe alteri, & per generationem prolis in unam personam coaluisse, perenne est.

Pars secunda.

Explanatio moralis benevolentiæ maritalis in coniuges defunctos.

547. *Partes benevolentiæ maritalis.*

Verum hæc ipsa de more explanemus, & ex benevolentiæ maritalis partibus vim obligationis coniugum erga defunctos demonstremus. Ac primùm alter coniugum alteri adesse & auxiliari debet. Nam vir quidem, ut caput est mulieris, ac proinde familiæ: sic & illi, & huic providere necessaria, atque in omnibus consulere tenetur: uxor verò viro in omnibus auxiliari. Quare Genes. 2. hæc quidem *viri adiutorium* dicitur, sive ut Chaldæus vertit, *sustentaculum*. Et Siracides Eccl. 36. *Qui possidet*, ait, *seu acquirit mulierem bonam, inchoat possessionem, & adiutorium secundum illum est: & columna ut requies*, sive columna requietis, aut ut alii, requietum, in qua nimirùm vir à labore quieseat, cui securè filios, familiam, arcas, opes, adeoque seipsum committat. Id quod Sapiens in muliere ipsa forti dilaudans, *Confidit*, ait, *in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit, reddet ei bonum, & non malum omnibus diebus vitæ suæ*, id est supellectilem domesticam, cibosque (quos Hebræi eodem quo spolia vocabulo exprimunt) procurabit: nec viri spem bonam de se conceptam fallet umquam. Quæ omnia idem Salomon Proverb. 5. pulcherrima similitudine explicat, dum ait: *Cerva gratissima, & gratissimus hinnulus; ubera eius inebrient te omni tempore, amore eius delectare iugiter.* Constat enim illic mulierem bonam cum Cerva componi, proximè enim dixerat: sit vena tua benedicta, & lætare cùm muliere, Hebraicè, cum uxore adolescentiæ tuæ; ubi conjugem venam, & quidem benedictam nuncupat, quòd fons sit filiorum, & largus quidem divino beneficio, ac benedictione, & eamdem statim rectissimè Cervæ comparat. Nam ut docent Aristoteles, Ælianus, Plinius, Oppianus, & alii, Cervus ac Cerva inter se singulariter amant: tum felle carent; præterea velocissimi sunt ad sibi mutuò opitulandum, adhæc Cervæ, & acerrimo auditu sunt, & circumspectione non impare, & mari suo fidelissimæ. Item Cervarum difficillimus est ob uterum arctiorem partus. ducere etiam suos hinnulos ad pabula consuevere, eos defendere, exercere cursu, postremò eosdem docent fugam meditari, ductosque ad præcupta saltare, quæ omnia coniugum inter se officia subsidiaque bellè demonstrant.

548. *Explenda erga coniuges defunctos.*

Quamobrem & viros uxoribus mortuis, Cervos se præstare amando, iuvandoque: & uxores Cervas viris se præbere pariter necesse est. *Vbera* ergo *tua*, id est, *amores tui* (sic enim rectè Vatablus vertit) virum tuum *inebrient*, ô mulier Christiana, id est, reficiant, ac solatio penitus compleant in tantis miseriis versantem. Pedes verò Cervarum instar expedi ad opem illi quantocyus ferendam: sive templa adeundo, ubi per synaxim Generalem purgantes animæ redimi possunt: sive ad pia loca eorum gratiâ peregrinando. Circumspice etiam, num quid ex piis eius legatis neglectum fortè sit, aut ex debitis maneat insolutum, & quod ipse faceret, tu fideliter exequere. Eia sis illi *columna*, in qua spem suam tutò collocet: sis *domus*, ac *lectus*, in quibus possit requiescere, non modò vivus, sed & vivis ereptus.

549. *Argumento à minori ad majus.*

Nam si Corneliam uxorem Pompeius ille Magnus iam à Cæsare victus sic allocutus fertur cùm Lesbum Insulam petiisset, ad eam secum, fuga abducendam. *Cornelia mea, rerum omnium mihi carissima, mitor te isto genere natam sic primo fortunæ prostratam ictu* (viso enim illo semianimis conciderat) *credè nunc tibi ad immortalitatem aperta via est, si miserum maritum, æquè ac fælicem ames, nam fælicem amplecti, etiam imbelles ac fatuæ; infælicem ac victum solæ possunt magnanimæ & optimæ coniuges. Non enim tam maritum adamat, quàm mariti dignitatem, qui eâ adempta, non sibi in amore constat.* Si Theogena Agathoclis Regis Siciliæ uxor ab ægro marito, nullo modo se divelli passa est, quòd diceret nubendo se non prosperæ tantùm, sed omnis fortunæ iniisse societatem, nec invitam vitæ suæ periculo empturam, ut extremos viri spiritus excipere liceret. Si Ecclesiast. 26. *Pars bona, mulier bona in parte timentium Deum datur viro pro factis bonis*: id est, ut Græca explicatiùs habent, mulier bona portio est bona: in parte, seu in hæreditatem timen-

tium Deum datur, quomodo vel bona mulier, & uxor commoda eris, vel portio, atque hæreditas viro bona, & fælix, si in summâ eius infælicitate auxiliatricem manum porrigere ei cuncteris?

Pars tertia.

Expenditur de more mutua coniugum obligatio ad alimenta, & lytrum defunctorum.

550. *Alimenta sibi invicem debent conjuges.*

Accedit ad hæc, quod coniugem alter alteri, vel exuli, vel captivo, atque in carcere detento alimenta, aut lytrum debeat. Quod attinet ad alimenta, patet sine eorum subministratione amorem stare non posse; nec refert, quòd qui inops est, culpâ suâ inopiam incurrerit, quia nihilominus una caro est, & huiusmodi casibus se exponit, qui se dat in societatem fortunæ non minus, quàm coniugii. Quod ad captivitatis lytrum spectat, si quidem modicum sit, & facilè solvendo, perspectum quoque est amori coniugali, & cohabitationis obligationi non satisfacere, si quis illud deneget.

551. *Et lytrum.*

Quid? quod Fernandi Gonsalii Castellæ Comitis fortissima coniux, cùm maritus custodiâ teneretur, ipsa velut visendi gratiâ carcerem adiens, ei persuasit, ut cultu secum commutato se subduceret; quod cùm factum esset, admiratus Rex mulieris caritatem, similesque sibi ac liberis coniuges precatus, marito liberam remisit.

552. *Etiam defunctis cibum.*

Cùm ergo coniugalis amor primùm exigat, ut inopem & famelicum coniugem alter, si sit integrum, enutriat, pariter ad coniuges defunctos se porrigat, oportet. Enimverò & ipsi cibo indigent partim materiali, quem per pauperes ad ianuam tuam mendicant; partim Angelico illo, ac Divinitate condîto, id est, sacrosanctâ Eucharistiâ. hanc enim & ipsi expetunt, dicuntque quotidie, ac sæpiùs, *Panem nostrum quotidianum, ac supersubstantialem da nobis hodie*, quem panem non pauci è SS. Patribus Eucharisticum intelligunt. Quippe novere pii manes eo se corroborandos, ut iter illud suum ad montem Dei Horeb, id est ad colles æternos, atque ad Regiam cœli conficiant, eiusque panis figuram seu umbram fuisse subcinericium illum Eliæ panem; esse autem illum, qui de cœlo descendit, quem qui comedat *vivet in æternum*. Neque dicas eum illis in viaticum esse porrectum. Etenim eius quidem Viatici beneficio iter beatæ æternitatis ingressi sunt & perficere poterunt: sed si eo semel dumtaxat refecti fuerint, lentiùs procedent; at si sæpiùs ejus virtus viventium esu ac Synaxi illis applicata fuerit, velociùs multò, ac faciliùs ad cælestem Jerusalem pervenient.

553. *Et potum.*

Adde pane illo contineri aquam vivam, imò Redemptoris sanguinem, & pios illos manes inter immensos flammæ lustralis ardores siti incredibili cruciari. Quare ô pia uxor, ô Christiane matite, cùm possis, & facilè possis, eo sanguine conjugis sitim relevare, non facies? Recordare quàm acerbum tibi esset tuum, vel tuam cernere extremâ valetudine cum ardente febri luctantem, ô quàm torrebat etiam teipsum illa ejus sævissima sitis! quàm sedulò atque amicè eam sedare studebas, sanguinem fudisses illi mitigandæ. At nunc æstuant immenso ampliùs, uruntur, peruruntur, & suavissimus potus tibi in promptu est, amabo per tuam in conjugem caritatem, per communes liberos, quos ille dedit, illa tulit, & educavit, tam expetita refocillatione conjugem amantissimum fraudare noli.

554. *Alioqui eos odisse convincuntur.*

Alioquin enim eum odisse arguêris. Nam Paulum audi ad Ephesios scribentem c. 5. *Nemo*, inquit, *carnem suam odio habuit: sed eam nutrit, ac fovet.* Ex quo consequitur, cùm, eodem Authore, uxor tua, caro tua sit, te illam, si non nutris ac foves, si pane potuque Eucharistico frustrere, odio habere. Cur autem habeas, cùm te tantopere dilexerit, & à te dilecta sit, neque illi deinceps quidquam contigerit, nisi ingentem in ærumnam incidisse, & jam ob culpas, quibus causam non rarò dedisti, miris pœnis excarnificari, quæ res charitatem tuam augere, non minuere deberet? Eia igitur iterum precor, cave magnopere, ne jam fidem maritalem, ne promissa numquam illam subsidio tuo ac solatio destituendi, tam turpiter violes.

555. *Pro defuncto conjuge lytrum solvendum.*

Quin potius & divinum hoc alimentum conjugi provide, & pariter eum ærumnosâ Purgatorii captivitate expedi. Id etenim te Gentium Apostolus monet, dum Ephesios maritos monet c. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ*: ubi amoris genus, quod exigitur, exprimit, dum Christi caritatem in Ecclesiam probat atque ostendit argumento Redemptionis: Quasi dicat, redimite captivas in Purgatorio coniuges, sicut & Servator redemit Ecclesiam: Neque hoc tantum significat; sed insuper eo usque amorem conjugalem, si posset, pervenire debere, ut

coniux

coniux pro coniuge sese in lytrum traderet, aut tradere paratus esset, quemadmodum Regem Tigranem paratum se asseruisse accepimus. Verùm id non iam à te flagitatur, ô Coniux, sed ut dumtaxat modicâ stipe precibusque non frigidis coniugem tuum carcere asserere contendas.

556. *Alioqui conjugii lex violatur.* Quod nisi facias, vide quantopere pugnes contra coniugii leges, imò & contra te. Illæ siquidem iubent uxores viris deferre, & ex adverso viros uxoribus habere honorem: & cùm vincula & carcer in maximis probris censeantur, tu coniugem carcere ac vinculis igneis liberare detrectas. Rursum sanciunt illæ, ut virum uxor assectetur, neque vir ab uxore se divelli temerè patiatur; & tu cùm coniugem, si non quidem reapse, sed tamen votis ac precibus ad Purgatorium prosequi possis, illique adesse, miseram derelinquis. Illæ vetant connubium dissolvi, tu quantum vales, dissolvis, dum vinctum in lustrali ergastulo volens obliviscéris: perinde te gerens, atque si nullus unquam connubialis nexus inter te, & ipsum intercessisset.

557. *Et contra se facit conjux.* Sed contra te turpiùs delinquis, quia cùm vir sit uxoris caput, ac proinde uxor corpus viri, tu vel caput cùm sis, præ socordia, & oblivione corpus tuum attineri in ergastulo ardenti pateris: vel cùm sis corpus, pari vesania ac crudelitate caput catenâ igneâ vinciri finis: & cùm, eodem Gentium Apostolo authore, eâdem ad Ephesios epistolâ, *Qui uxorem suam diligit, diligat seipsum*, mavis in viro, aut uxore aduri, demens ac vesane, quàm precari Deum, ac frusta panis, aut æris nonnihil, egenti tradere.

Pars quarta.

Coniugalis in defunctos amoris exempla.

558. *S. Cunegondis.* Itaque bonorum coniugum mutua huius generis caritas insignis semper extitit. præibit omnes ordine, quæ prior est maiestate S. Cunegondis S. Henrici Imperatoris coniux dignissima. Hæc marito vivis erepto quàm maximam stipem contulit plurimis, & undecumque potuit, preces illi ac sacrificia conquisivit: præsertim à Religiosis, quorum utique & præclarior virtus, atque adeò impetrandi efficacior. At maximè ab alumnis cœnobii S. Crucis, quod refugium vocant, & à se extructum uterque pretiosis vasis, ac calicibus argenteis, atque aureis locupletaverat. Neque Monialium precibus contenta, suas illis, & unà voluntarias pœnas ut iungeret, ad liberandum (si adhuc Purgatorio attineretur) Imperatorem, sese ipsa illo in cœnobio Deo dicavit.

Philippi tertii. Clarissima quoque fuit caritas Philippi tertii Hispaniarum Regis, in animam Margaritæ coniugis carissimæ anno 1611. sublatæ 3. octobris. Nam postridie illius mortis iussit sacrificia continentur fieri à summo mane ad extremum meridiem: tum in Regio sacello, tum in omnibus templis, ac sacellis urbis Madritensis. Et horum sacrificiorum numerus ad mille septinginta pertigit: quorum ducenta octoginta ad aras expiatorias, seu in altaribus, ut aiunt, privilegiatis perpetrata, quatuor, & quinquaginta solemni cantu celebrata sunt. Exinde voluit idem piissimus Rex illis addi viginti millia, dum tempus ferret, facienda; & testamenti executores de Reginæ ultimâ voluntate recensitis, quadraginta duo millia superaddenda curarunt.

S. Elisabethæ Lusitaniæ. Neque hîc sileri potest præstantissimus Sanctæ coniugis ac Reginæ Elisabethæ Portugallensis amor in Dionysium Regem & coniugem sibi ademptum. Obtinuerat viro verum de peccatis dolorem, priusquam diem clauderet: statim atque clausit, ipsa in conclave se recipiens detondit sibi capillos, religiosamque S. Claræ vestem induit, eoque cultu ad funus rediit: tum illud comitata est, dum ad cœnobium Odiverez efferretur: ubi Rex illud humari decreverat. Illic aliquot mensibus commorata, & precibus, & largiendæ egentibus stipi in gratiam Regis defuncti totos dies impendebat. Inde ipsa pedes & ignota Compostellam ad S. Jacobi peregrinata pro ejusdem viri levamento, nummos aureos & argenteos itemque lapides pretiosos, aliaque divo obtulit. Tum ad cœnobium Odiverez rediit, ut anniversariis pro conjugis animâ factis interesset; & adfuere unà Rex Lusitaniæ Alphonsus, atque Elisabethæ filia, & magna nobilium cohors. Postmodum quot diebus eâdem de causâ adfuit binis sacrificiis cantu celebratis, quorum alterum de die, ut vocant, alterum pro defunctis: imò ipsa quotidie pro eâdem conjugis animâ in verum amoris maritalis holocaustum semet offerebat.

S. Beggha. His adjice alteram heroinam, dignitate quidem inferiorem; at non conjugali in virum pietate: Hæc illa beata Beggha est filia Pepini Ducis Brabantiæ, & minoris Pepini Ducis Austrasiæ parens, tantorum origo Regum, atque Heroum. Hæc post viri Congisi obitum, pro illius animæ solatio ad Apostolorum limina se contulit, eorumque gratiâ exoratâ in Patriam redux

monasterium in Anden construxit, in eoque sacraria septem, ad quamdam septem Ecclesiarum Romæ celebrium imitationem. In quibus sacrariis viri defuncti bono jussit sacrificari, unde ortum, ut multis in templis sacella septem sacrificiis destinentur ad defunctorum levamen cum indulgentiâ faciendis.

Claræ Eugeniæ Isabellæ.

Adjice & nostri sæculi lumen, Serenissimam Isabellam Claram Eugeniam Hispaniarum Infantem, pro Alberto clarissimo coniuge vitâ functo quadraginta sacrorum millia fieri curantem, ac per triginta continenter dies, decem sacris, eadem causa audiendis intentam: & quà potes munificentiam ac religionem æmulare. Et ne solos magnates pro causa communi producamus, claudat hunc numerum B. Maria de Incarnatione Carmelitanarum in Galliis proseminatrix, quæ cùm per annum ab obitu viri, pro eius liberatione, precibus, atque omni alio genere supplicandi cœlum fatigasset, eo evoluto cælitus didicit, iam liberum cœlo potiri. Cùm enim in cœnobio Ambianensi ipso die SS. omnibus festo contemplationi divinorum incumberet anno 1614. Deus illi notitiam status Beatorum infudit, atque hos inter virum suum ostendit, quo factum ut deinceps pro illo precari non posset; etsi quadam religione ad id se impelli sentiret. Ita ratum est quod Sapiens Proverb. 9. pronunciavit, *qui invenit mulierem bonam, invenit bonum*: Quem locum Septuaginta sic exponunt: ut pro bono charites intelligant, nempe quæ cùm sint horarum filiæ & gratiæ præteriti, præsentis, ac futuri temporis, non modo delectant, cùm ambiuntur nuptiæ, aut cùm initæ sunt, sed etiam in futura vitâ hominem complectuntur, ac fovent. Atque hæc de obligatione pietatis satis sunto. Ex quibus cùm etiam observantiæ debitum agnoscatur (pari enim fere pede pietas, & observantia procedunt, & non mediocrem inter se habent affinitatem) intelligitur etiam abundè, quid Clerici ac Diœcesani Episcopo defuncto, Parochiani Pastori, Religiosi Præsidi, discipuli magistro, pupilli Tutori, servi Domino, subiecti Principi debeant; Quamquam varia sunt, quæ hanc obligationem faciliùs, quàm illam pietatis possint dissolvere, itaque ad vinculum iustitiæ strictæ progredior.

ARTICULUS V.

Ex obligatione justitiæ strictæ Pius manibus opitulari necessum est.

§. 1.

Hæredes pia legata solvere oportet.

PARS PRIMA.

Doctrina Theologica.

HACTENUS actum est de obligatione subsidii defunctis ferendi, vel ex caritate christianâ, vel ex misericordiâ, vel ex pietate: nunc obligatio justitiæ pertractanda est, & cùm illius vinculo maximè obstringantur hæredes, de his primùm agendum. Quamobrem ut Theologorum sensa de more præmittamus, observandum est, legatum, seu testamentum pium illud vocari, quod ad pias causas refertur, tale est dum quid relinquitur ad Numinis honorem, ad Sanctorum gloriam, ad animæ salutem, ad opem viduarum, pupillorum, peregrinorum, mortuorum. Hæc porrò hæredes obligari solvere, nemo est qui ambigat. Siquidem eo ipso quo adeunt hæreditatem, censentur contractum cum defuncto inire, non minus ejus onera realia, quàm commoda suscipiendi. Et verò hæredes defuncti testatoris personam subeunt, ut constat ex l. Hære. ff de usucap. Quæ etiam causa militat ut ad solutionem votorum realium obstringantur, nam personalia sequuntur voventis personam, cumque eâ extinguntur. 559.

Est autem piorum legatorum multiplex prærogativa; hæc præcipua quod ad eorum robur ac firmamentum, juris civilis solemnibus formulis opus non est, cùm civili potestati pia causa non subsit, sed soli Ecclesiasticæ, Quamobrem validum est testamentum, ac legatum pium, modò de potestate ac voluntate legantis testantisúe constet, quamquam ipsi soli hæredi, qui privatâ scientiâ, ea æquè obligatur solvere, ac publicâ solemnique. Si quæris quàm graviter obligentur hæredes legata pia solvere: responsio non dubia est, in materia gravi, qualis legatorum esse solet, sub pœnâ peccati mortalis obligari, cùm testatorem in re gravi fallat, idque cum damno ejus, 560. *Legati pii prærogativa.*

ejus, & legatarii, quæ ex iam dicendis magis patebunt.

Pars secunda.

Materiæ explanatio moralis.

561. *Legatum pium non solvens, sanguisuga & homicida.*

AC legatarii quidem damnum, & injuria, non est cur iam multis demonstretur, sive quòd brevi Ecclesiæ ac pauperum causam suscipiam, sive quòd manifesta est. Ut enim rectissimè Cardinalis de Lugo tract. de legatis, ubi primùm hæres adit hæreditatem, dominium rei testamento legatæ ad legatarium transit, etiam inscium, adeò ut si res aliqua certa, fructiferaque legata sit, ex eo tempore illius fructus ad legatarium pertineant: Ex quo sequitur illud primum, hæredem legata solvere perperam recusantem tametsi ea solus noverit, tametsi ea minimè repetantur, furti reum esse, quippe quòd rem alterius retineat invito Domino. Deinde consequitur hoc alterum, furtum illud sacrilegii notâ inuri, si quod in causis piis solitum est, vel Religiosis, vel Ecclesiæ legatum sit, quod iniustè retinetur. Quod si verò pauperibus, continuò apparet ejusmodi injustitiæ conscium eorum dici meritò sanguisugam, & homicidam, quoniam stipem qua se alere ac victitare poterant, iniquissimè eripit: Quare indignissimus est ipse qui vivat, dignissimus quem omnes velut cruciarium execrentur.

562. *Teste Damiano.*

Sed audiamus hîc Petrum Damiani ad quemdam hujusmodi criminis reum ita scribentem. *Perpende ergo, venerabilis frater, quantorum homicidiorum in die Judicii reus erit, quomodo tot viduis, tot orphanis, diversisque pauperibus, unde vivere debeant, subtrahat? ad tribunal illud illius, qui pauperes singulariter diligit, qui se in paupere reficì, in paupere se perhibet esurire; ad tribunal, inquam, illius, qua conscientiâ veniet, qui alimenta pauperibus se subtraxisse recognoscit? si damnatur ille, qui vel unum hominem peremit ferro, qua sententiâ dignus est, qui bona Ecclesiæ profligando, complures interficit famis & inopiæ gladio? De quibus divina voce malo cuilibet venditori iam dicitur: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ: Et ille quidem fratrem peremit invidiâ, quia sacrificium non est Deo reprobante susceptum, isti plerumque tale quid faciunt amore pecuniæ, quæ est servitus idolorum.* Hactenus Damiani Epistola quadam, quam refert Baronius ad annum Christi 1055. aitque in codice Vaticanæ Bibliothecæ reperiri, nondum excusam.

Jam quod attinet ad injuriam testatoris, perspectum est primò genus esse perfidiæ in testatorem, si ejus hæres aditâ hæreditate legata supprimit. Siquidem, ut diximus, qui eam cernit, censetur pactum cum testatore inire, non solùm hujus æs alienum, sed & vota realia, & legata pia persolvendi. Inest autem in omni contractu mutuo promissio mutua; & testatoris quidem voluntas atque obligatio legando abundè exprimitur, & morte impletur; hæredis autem, dum volens hæreditatem adit, quam novit legatis oneratam, vel revera esse, vel esse posse. igitur si hæres legata solvere negat, à perfidiâ excusari nequit. 563. *Et perfidi in defunctos.*

Atqui perfidia manifestis inimicitiis deterior est. Quàm igitur execrandi hæredes ejusmodi, qui testatorum præcipuam in se benevolentiam legatorum suppressione compensant, cùm præsertim maximam, ut fieri assolet, fortunarum suarum partem hæreditati, minimam legatis piis assignarunt! Rursum perfidia scelerum apud mortales summum reputatur, notamque ignominiæ imprimit, quam nulla deleat religio; quam igitur ea imprimet, quæ in fraudatione legatorum ad pias causas versatur? Præterea id genus perfidiæ, quod in parentes admittitur, non modò hominem cæterorum hominum odio dignum; sed & vitâ indignum efficit: quale igitur, & quàm detestabile erit illud, quo parentes ipsos impiè frustraris eâ ope, quam sibi in maximam alterius vitæ necessitatem pararant? Adhæc maximè invisa est ea perfidia, qua simplices ac miserabiles, ut pupilli, viduæ, aliique ejus generis, violantur: cùm ergo pii testatorum manes citra dolum omnem, & sincerissimâ voluntate hæredem te scripserint, quàm te Deo & Angelis invisum esse necesse est, si tantis in miseriis jacentes perfidiosè decipis. Denique si quæ perfidia crudelis & inhumana est, ea præsertim est, quæ eo tempore exercetur, quo maximè tibi quis confidit: atqui pii manes tum maximè causam habent in te confidendi, & opem tuam fidemque certò sibi pollicendi, cùm te hærede totius patrimonii constituto, modicam ejus portionem animæ suæ levamento addicunt, igitur crudelis & barbarus sis oportet, nisi pia eorum legata persolvas. 564. *Gravitas ejus perfidiæ.*

Equidem infidus, ingratus, & inhumanus habitus est Tiberius Imperator, quando Senatorem quemdam, à quo hæres scriptus erat, levi de causa in senatu accusavit. At nonne turpior perfidiæ & inhumanitatis nota est, illum, à quo hæres nominatus 565. *Ostenditur comparatione.*

nominatus es, ad infandos ignis diuturni cruciatus damnatum fraudare auxilio pauperum ac Religiosorum, à quibus possit eripi? Sceleratus, perfidus, & excors fuit Caligula, qui cùm quis, eo constituto hærede, vitam ejus voto diuturniore traheret, illum à percussoribus mactari jubebat, dictitans sese ab eo haberi contemptui: sed nonne pariter perfidus ac sceleratus hæres ille, qui legata pia denegat, cùm intelligat testatorem, à quo tanto beneficio affectus est, scelere suo ac fraude longissimâ Purgatorii morte conficiendum? Sceleratissimus denique, ac perfidiosissimus fuit quidam civis, ac tonsor Mediolanensis, cui, cum Ludovicus Arcunboldus, civis item ejusdem urbis, adversa valetudine correptus ministerii mercedem trecentos aureos legasset, postque rursum in ægritudinem diuturnam incidisset, ille moræ impatiens, veneno illius vitam petiit, ac propterea in foro fractâ cervice dignum operæ pretium retulit, uti refert Fulgos. lib. 7. c. 8. Sed nonne similis perfidiæ ac sævitiæ reus est hæres ille, qui ut legato trecentorum aureorum plus minusve potiatur, non eripit quidem testatori vitam, sed eam miserrime à piis ejus manibus trahi sinit in ergastulo flammarum purgantium? Et si perfidiosi, ut Nicanores, Triphones, Alcimi, aliique omnes pessimè pereunt, an fælicior hujus generis perfidis exitus est exspectandus?

566. *Statuitur esse maxima.* Viderint illi. Ego quidem si non hac in vitâ, non dubito, quin in alterâ longè atrocior illos maneat. nec enim eiusmodi perfidia mediocres pœnas meretur, quæ cum sacrilegio gravissimo coniuncta est, non modo quatenus legatarios fraudat, quod ostendimus, sed etiam quà fraudat testatores. Enimverò iis iam vitâ functis surripit, quod ad animæ suæ salutem sibi providerunt: atque adeò rem sacram violat, ac diripit, in quibus ratio sacrilegii cernitur. Et vide illius atrocitatem. Quid enim legatum pium? est hominis è vitâ migrantis viaticum in cœlum, hæredibus commissum, ut per pauperes, ac Religiosos, perque Angelos primâ opportunitate illis redhibeatur. Quàm igitur durum ac crudele viatoribus illud non reddere, eosque itinere tam longo ac difficili vacuos atque inopes per nefas derelinquere?

567. *A definitionibus legati conglobatis.* Quid rursus legatum pium? munus est hæredibus concreditum, ut si fors testator in via ab hostibus interceptus detineatur, eorum Principi, Justitiæ divinæ offeratur, ut ipse iter ad Deum prosequi possit: iuxta illud Proverb. 18. *Donum hominis dilatat viam eius, & ante Principes spatium ei facit.* Ergo contra omne fas, perque summam nequitiam & avaritiam, munus illud sibi retinent hæredes. Quid præterea legatum pium? est lytrum in manibus hæredum depositum à testatore, ut cùm primùm carcerem purgantem subierit, Judici per eius familiares Religiosos ac pauperes repræsentetur, iuxta illud eiusdem Sapientis Proverb. 13. *Redemptio animæ viri, divitiæ suæ:* quàm igitur nefarium, illud lytrum ab hæredibus in usus suos converti, & captivum testatorem in infæliciissimo illo carcere derelinqui! Quid deinde legatum pium? Auri genus est, quod ubi in sinu pauperis absconditur, vim habet iram indignationemque maximam Numinis extinguendi, imò & ipsum Purgatorii ignem: iuxta illud eiusdem Salomonis Proverb. 20. *Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam.* Et quisquam dubitabit, quin irâ illâ & indignatione digniissimi sint hæredes, qui aurum illud à testatore sibi concreditum, ut in sinu pauperum ac Religiosorum absconderetur, ipsi in ganeis ac popinis, in lupas canesque profuderint. Denique legatum pium, *Et eleëmosyna viri, quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit, & postea resurget, & retribuet illis retributionem, unicuique in caput ipsorum, & convertet in interiores partes terræ.* Eccles. 17. id est, legatum pium est moneta pietatis imagine signata, quæ sicut pupilla homini gratiosa est; & summâ diligentiâ custoditur, ita Numini cordi est: neque verò morte legantis omninò extinguitur, sed tum maximè sese exhibet, vimque habet reddendæ leganti mercedis ac præmii, eamque vim porrigit ad Purgatorium usque, unde legantem eripit. Quamobrem monetam istam pietatis imagine ita insculptam, ac propterea Numini caram, furari, eiusque mercede privare pios testatorum manes, quàm impium, quàm Numini execrandum, quàm ipsis manibus damnosum est! & si singula horum damnorum tam gravia tamque detestabilia sunt, quàm erunt universa!

568. *Quibus pœnis digna.* Equidem de eorum authoribus hæc habeo verissimè eloqui. Primùm digniissimos esse de quibus Osee vaticinium hoc accipiatur. *Desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit*; ut, inquam, argentum illud ex legatis piis corrasum, sive domus & ædificia eo constructa, multiplici ruinâ opprimantur. At leve illud: Digniissimi enim sunt ut hoc quoque ex Jobi historia c. 5. vaticinium de iis intelligatur, *Longè sient filii eius à salute, & conterentur*

terentur in porta, & non erit qui eruat, cuius messem famelicus comedet, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitientes divitias eius. Ubi impii divitis pœnam Eliphas describit. Sed & hoc parum est. Quippe dignissimi sunt, de quibus ratum sit illud Siracidæ c. 18. *Cùm morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes.* Quod quidem promiscuè de omnibus, ad litteram, ut aiunt,) verum est: nam cùm inhumatur homo, illico ex ejus carne, adipe, & phlegmate serpentes, seu dracones, & bestiæ, seu bufones, & vermes scarabæi, lumbrici, aliique horridi enascuntur: at ex sententiâ Lyrani mysticè sic accipe: cùm homo avarus tria sortitus sit bona, animam corpus, ac fortunas, moriens animam relinquet serpentibus, id est, dæmonibus, corpus vermibus, fortunas bestiis, id est, hæredibus, qui bestiarum instar hæreditatem devorent ac conculcent.

Pars tertia.

Pœnæ in hæredes legatorum fraudatores.

569. *In hac vita.* ET juvat ad aliorum exemplum ejusmodi pœnas in medium producere. Ita narrat in Purgatorio suo conjunctissimus mihi P. Judocus Andries tract. 3. Contigit Mediolani matrem-familias ægro filio pharmacum noctu apparare; Improvisus comparet genius, & cubile ægri trepidantis accedens, *Noli*, inquit, *metuere, domicilii huius nuper possessor fui, nunc adsum infestus, non tibi, sed filiis meis, ah! nimis ingratis, illorum bonis nunc damnum illaturus. Qui porrò immemores mei, si esse pergant, sinet eos Deus funditus destrui. Sed audi, quid & avunculo tuo factum. Ille mecum una reus est, ac pœnas subit. Jam decennium est*, ait ægrotus, *cùm hic desiit vivere, & quas non preces pro illo fudimus, & etiamnum affligitur?* Jam *dudum beandus erat*, subjecit umbra, *si filii ea curassent, quæ parens in sui incolumitatem fieri iusserat. Hinc fœda tempestas illorum vastavit agros; non tuos, tametsi proximos, ut optimè nosti.* Sic evanuit.

570. *Et in altera.* Habes, mi Lector, hujusmodi nequam hæredum adhuc viventium pœnam: habe, & mortuorum. Petrus Damiani in ea, quam ad Dominicum, & alios Eremi fratres, scripsit Epistola, hanc historiam hisce verbis commemorat. In Teutonicis partibus, Comes quidam dives, ac præpotens: sed quod in illo hominum genere prodigium est reperiri, bonæ opinionis, & innocentis vitæ, prout humanum erat de ejus existimatione judicium, ante decennium ferè defunctus est. Post cujus obitum quidam religiosus vir, per spiritum ad inferiora descendens præfatum Comitem in supremo gradu cujusdam scalæ positum vidit: Aiebat namque, quia scala illa inter crepitantis & stridentis ultricis incendii flammas videbatur erecta, atque ad suscipiendos omnes, qui ex eadem Comitum genealogia descendebant, constituta. Erat autem tetrum chaos, immane barathrum, infinitè patens, atque in profunda demersum, unde scala producta surgebat. Hoc igitur ordine successorum sibi series texebatur, ut cùm quis eorum novus accederet, primum scalæ gradum teneret. Is autem qui illic repertus erat, aliique omnes, ad proximum sibi gradum in ima descenderent. Cumque alii atque alii ex eodem genere homines post obitum ad præfatam scalam per temporum intervalla confluerent, alii protinus cedenti, ineffabilis judicii necessitate ad inferiora migrabant. Planè dum vir, qui hæc contemplabatur, causam hujus horrendæ damnationis inquireret, & præsertim cur ille Comes sui temporis puniretur, qui tam iustè, tam decenter, tam honestè vixisset, audiit, quia propter quamdam prædii Ecclesiæ Metensis possessionem, quam B. Stephano, proavus eius abstulerat, cui videlicet iste iam dicimus hæreditate successisset, omnes isti non diverso supplicio deputati sunt, & sicut eos ad peccandum non dispar avaritiæ culpa coniunxit: ita nihilominus ad perferendas atrocis incendii pœnas commune supplicium copulavit. Hæc Petrus Damiani:

571. *Historiam ac pœnæ confirmat Baronius.* Et quidem talia (pergit Baronius ad annum Christi 1055.) quæ non solùm ex gravissimis testibus concilient sibi fidem, sed ex divinæ Scripturæ præscripto, ita prorsus rem se habere, necesse sit affirmare. Cùm certum sit Apostolo prædicante Cor. 6. quod neque fures, neque rapaces, multo magis sacrilegi regnum Dei possidebunt. Et ab eodem perscriptum sit Rom. 1. eadem pœna teneri facientes ac facientibus consentientes: dum quæ sciunt hæredes ab Ecclesia esse sublata à maioribus bona, malâ fide possident. ita Baronius, & rectè. Etenim Ecclesiarum prædia, fidelium legata sunt, ad Clericos ac pauperes alendos destinata, scilicet ut ex ea ope animis suis solatium pii manes capiant; ac proinde eorum usurpatio, legatorum suppressio est. Neque verò admodum interest, an debita Ecclesiis pauperibusque usurpes, an possessa rapias, cùm eo ipso

legata sint, legatariorum, quo mors legantis intervenit: Ergo.

Discite justitiam hæredes, non temnere divos.

572. *Ergo imitandus Alphonsus.* Imo imitamini Alphonsum Castellanum, Petro quidem Castellano, Præsule Palentino natum, at postmodum Pontificiâ & Regiâ authoritate legitimi iure donatum. Hic à parente hæres ex asse scriptus non modò pia parentis legata non accîdit, aut suppressit, sed religioni duxit bona sibi relicta, quæ pauperum, vel ipsius Ecclesiæ, ac Christi patrimonium ducebat, possidere, ne parenti malè verteret. Propterea hæreditati renuntiavit, Præsentibus Patris successore Domino Gutterio de la Queva, & Capitulo Palentino, eiusque renuntiationem admittentibus. Qui tamen cùm deinde Alphonsum per eam abdicationem ad incitas redactum intellexêre, denuo hæreditatem illum adire voluerunt. Porrò ad tumulum Alphonsi in templo Clarissarum Vallisoleti terræ mandati, toties quasi malleorum sonitus auditur, quoties aliquis ex eius familia brevi decessurus est. Quapropter Abbatissa eo primùm audito, etiam longè dissitos admonet, ut se ritè comparent; ex quo intelligas Alphonsum mortis memoriâ, metuque sibi cavisse, & rectè bona illa expendisse.

§ 2.

Executores necesse est pias testatorum voluntates primo quoque tempore exequi.

Pars prima.

Theologica Doctrina.

573. *Executionis obligatio.* SI Theologos consulas, exploratum est primùm executoris esse defuncti legata testamento contenta solvere. Enimverò formula muneris illi commissi hoc indicat, cùm testator ita præscribere solitus sit; *Et ad ea perficienda, quæ hac meâ ultimâ voluntate continentur, designo in meos testamentarios* N. N. Porrò etsi munus hoc naturâ suâ liberum sit, neque ad illud ut plurimum quisquam compelli possit, si quis tamen liberè admisit, vel disertè, vel tacitè, nequit illud renunciare, & ad exequendum compelli potest, ut patet ex iure, ac Jurisperitis, quos congerit Sanchez in Consiliis l. 4. c. 1. dub. 42. Id quod præsertim verum est, si eo quod sibi legatum est, frui velit: quippe quod admittere munus, cui onus annexum est, sit & onus sibi imponere. Cùm autem admisit, conveniri potest à legatariis, ut legata solvat. Quam in rem, etsi non possit rem legatam capere legatario tradendam, invito & repugnante hærede, quem utique nequit de possessione suâ depellere, tamen hæredem in ius vocare debet, ut tradat, & nisi vocet, urgeatque renitentem, à lethiferâ culpâ non excusatur: si hæres propterea dumtaxat, legata, præsertim pia, solvere recuset.

574. *Tempus.* Jam quod ad executionis tempus attinet, si quod à testatore præfixum est, constat servandum esse, sive longum, sive breve sit; id enim integrum illi æquè ac legare. Sed si nullum præfixum, ad legata quidem profana spatium annuum, ad pia verò semestre iure civili concessum est; illudque metiendum à die ipso, quo testamentum insinuatum coram iudice, & munus exequendi ritè admissum est. At illud iure, ut dixi, civili concessum, idque ne hæres, atque executor ad pœnam obligentur legibus sancitam. *Siquidem si res ad conscientiæ forum referatur, conveniunt omnes*, inquit Cardinalis de Lugo de testam. disp. 24. sect. 11. *illum terminum non ita assignari, ut auferatur obligatio conscientiæ, quæ aliàs est de lege naturæ implendi voluntatem testatoris. Et quidem quoad solvenda debita testatoris, ratio est clara: quia nec testator poterat dilationem concedere hæredi, cùm testator ipse statim teneretur solvere. quo ad alia verò legata, probatur etiam clarè, quia illa sunt verè debita legatariis, ergo sicut alia debita, sunt solvenda illis, quando commodè potest. Habet autem potissimè locum in Missis, & suffragiis offerendis pro animâ testatoris, quorum dilatio ipsi multum nocere potest.* Ita de Lugo.

575. *Gravitas.* Quamobrem Navarrus Summæ c. 25. n. 65. item Sanchez Consiliorum lib. 4. c. 1. Dub. 53. docent moram ac dilationem notabilem in hoc genere, noxæ lethali obnoxiam esse. Idque manifestè indicat Concilium Carthaginense. 4. dum ita rem definit. *Qui oblationes defunctorum, aut negant Ecclesiis, aut difficilè reddunt, tamquam egentium necatores excommunicentur.* Nemo autem excommunicari potest, nisi propter lethalem culpam, neque verò alioqui egentium interemptor nuncuparetur. Adde, Bonacina teste, casum esse in Diœcesi Mediolanensi reservatum, si quis ultra biennium legata pia non solverit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pars secunda.

Infectatio illius iniustitiæ.

576. *Ostenditur generatim.*

Atque nunc tempus est illum solutionis legatorum neglectum de more nostro infectandi. Quam causam eò propensiùs suscipio, quòd eadem operâ contra infidos hæredes legatorum suppressores, aut arrosores, quâ contra socordes executores pugnaturus, atque ita defunctorum tutelam contra plurimos eorum hoc sæculo, ut & aliis superioribus, hostes, sim susceptorus. Uberem porrò materiam mihi hac in causâ suggerit Concilium Vasense. 4. Sic enim statuit: *Qui oblationes defunctorum retinent, & Ecclesiis tradere demorantur, ut infideles ab Ecclesiâ sunt abiiciendi, quia usque ad exinanitionem fidei pervenire certum est hanc pietatis divinæ exacerbationem: quia, & fideles de corpore recedentes votorum plenitudine, & pauperes consolatu alimoniæ, & necessariâ sustentatione fraudantur. Hi ergo tales, quasi egentium necatores, nec credentes iudicium Dei, habendi sunt.* Hæc Concilium. Ubi tres causas deprehendo gravitatis ejus flagitii, quod damnamus. Prima, quòd infideles habendi sint illius rei, nempe quia fidem de futuro Dei judicio nullam animo insitam habere videantur. Altera ratio est, quòd ultimas testatorum voluntates violent. Tertia quòd egentibus necessaria subtrahant, atque adeò eorum sint interemptores. Id quod Concilium Agathense Canone. 4. & prius Carthaginense, ut vidimus, Canone 93. affirmat, & omnia pariter consentiunt his de causis Ecclesiâ exturbandos esse.

577. *Nominatim ex infidelitate.*

Igitur quod attinet ad primam causam, principio observandum est ejusmodi infidelitatem non in errore, sed in factis, atque opere sitam esse. nec enim si quis voluntarem ultimam defuncti implere negligit, aut recusat, continuò divinis oraculis fidem non habet: verùm ita se gerit atque si non haberet: ac nominatim oraculo instituendi aliquando judicii, in quo utique crimen illud constat æternis pœnis esse damnandum. Sic ratiocinatur & Apostolus Gentium 1. Timoth. 5. ubi sic illum instruit. *Si quis autem suorum, maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Quî enim negavit fidem? nempe facto, quoniam sic agit quasi non credat Isaiæ Vati c. 58. sic præcipienti, *domesticos seminis tui non despexeris.* Quî est infideli deterior? non, inquam, errore, sed iterum opere: quoniam infidelis quoque ex naturæ instinctu suorum domesticorum curam gerit: hic autem minimè. Neque ab hac dicendi formulâ multum abludit Salvianus Presbyter, aut potius Episcopus Massilienſis, qui cùm libro 3. de gubernatione Dei, clarè demonstravit Christianos sui temporis non observare ea, quæ divinis oraculis nobis præcepta sunt, ita concludit initio l. 4. *Cùm, ut diximus, hominis Christiani fides sit, fideliter Christi mandata servare: sit absque dubio, ut nec fidem habeat, qui infidelis est, nec Christum credat, qui Christi mandata conculcat: ac per hoc totum in id revolvitur, ut qui Christiani hominis opus non agit, Christianus non esse videatur; Nomen enim sine actu atque officio suo nihil est.* Item lib. 4. ad Ecclesiam Catholicam postquam ad stipem suadendam hæc proposuit. *Si enim illi,* Religiosi scilicet, ac pauperes, *de tuo edent, tu satiaberis; si illi de tuo biberint, tu sitis tuæ æstum ardoremque restingues: te illorum vestitus vestiet, te illorum apricitas delectabit. Non ergo vile ac despicabile putes, si substantiam tuam miseris atque egentibus derelinquas, Christum in illis facies hæredem.* Tum post pauca ita pergit; *sed hæc tu, ut reor, frivola esse iudicas, & quasi somnia quædam ac deliramenta contemnis, non enim credis Christum vera dixisse, & res probabat nequaquam te ei credere; nam qui mandata eius nec in postremis facis, aut nulla esse æstimas, aut falsa esse condemnas.* ita Salvianus.

578. *Multiplici.*

Rectè igitur Patres Concilii Vasensis infideles esse pronuntiant executores, hæredesque, qui contra Numinis de alienâ re minimè retinenda edictum legata pia solvere cunctantur, quia sic agunt, quasi edictum illud à Numine latum non esset, nec de illius violatione Judici ratio esset aliquando reddenda. Scio equidem infidelitatem ejusmodi omnibus noxis implicitam esse: sed & illud scio vix esse noxam huic noxæ, quam insectamur, in eo genere parem. Ut enim multiplex virtus, ac præceptum eâ violatur, ita multiplex infidelitas continetur. Enimverò violatur caritas in proximum naturalis ordinis ac supernaturalis. Violatur item misericordia in ærumnosissimos: Violatur pietas in parentes, cùm hæredes ex natis ac consanguineis esse soliti sint, & executores ex cognatis. Violatur insuper Justitia, ut ex dictis patet, & ex dicendis patebit. Præterea violatur religio, cùm vel Ecclesia, vel Religiosi, ac pauperes legatis sacrilegè fraudentur. Quod si infidelis, & hæreticus

revera est, qui pertinaciter vel unicum tuetur errorem, vide quàm detestanda sit illa tam multiplex infidelitas.

579. *Et malitiosissima.* Sed & alia sunt, quæ illam aggravent. Cætera enim peccata ex animi perturbati impetu ferè admittuntur, & ea brevi pœnitentia subsequitur. Sic enim libido, vindicta, ebrietas, & alia gravia ejusmodi flagitia erumpunt potiùs ex animo, quàm cudantur, & vix commissa pudor & metanæa excipit. At subreptio ac suppressio legatorum piorum lentè parturiuntur, fraudibus occultantur, perjuriis confirmantur, atque ut deessent alia, avaritia ipsa vinculum est, quo animus indivulsè pecuniis, præsertim injustè partis, adhæret. Unde verissimum extat illud Salomonis effatum Proverb. 11. *Justitia rectorum liberabit eos, & in insidiis suis capientur iniqui*: sive ut hoc posterius vertunt Aquila, Symmachus, & Theodotion, *in iniustitiâ, iniustè agentes capientur*. Quare cùm eò minus Judicii divini metus ac fides sese prodant, quò deliberatius est peccatum, ac pertinacius, hæredes illi legatorum piorum suppressores, potiori jure quàm alii improbi, infideles vocari queunt. Neque admodum impar ratio est negligentium executorum, quia & neglectus ipse morâ ac lentitudine suâ inopes fidei, ac vacuos metu vindictæ iniquis paratæ, eos demonstrat.

580. *Nominatim sitæ in negatione Purgatorii.* Denique nominatim hos deficit fides Purgatorii. Quis enim amantissimos vel natos, vel cognatos, aut familiares existimet credere, esse aliqua, quibus animæ parentum ac cognatorum urantur, incendia, quando intelligit pauxillum nummorum, quod illis extinguendis sibi reservarant, à natis, vel cognatis supprimi, surripi, arrodi, differri, & intolerabilem Purgatorii moram minimo vel hæredum vel executorum incommodo postponi? Nam si intolerabilem credis, mi homo, ergo crudelissimus & impiissimus sis, oportet, qui cùm eam amoliri posses, & facilè, & brevi, stipem, preces, & sacrificia procurando, omnia illa negligis æquè, ac si velles patrem, matrem, amicos perdiu torqueri. Si non credis, ergo infidelis esse convinceris, & quidem, ut loquitur Concilium, *usque ad exinanitionem fidei*.

581. *Ex fraudatione ultimarum voluntatum.* Atque hæc de primâ ratione hujus Concilii cur Ecclesia exterminandos pronuntiet iniquos piarum voluntatum executores. Altera est, quòd pios manes *votorum suorum*, ut loquitur, *plenitudine fraudent*. Quæ sunt enim vota, quod consilium constituentis executorem piorum legatorum? nimirùm ut cùm testator ab obitu velut pupillus futurus sit, impotensque ea, quæ in solatium animæ suæ sepositi, tuendi, atque administrandi, executor personæ ac bonorum illius curam, tutoris instar, suscipiat, geratque, atque adeo, purgandæ animæ sit instar patris. Itaque pia legata, quæ animarum bona ac fortunæ sunt, & tamquam alterius vitæ patrimonium, ritè fideliterque administrare, & in usus à testatore statutos impendere, primo quoque tempore debet, & commodis earum servire. Neque igitur potest ea hæredibus, aut debitoribus remittere, neque quidquam ex eis donare, nisi in pauperum, aut pios alios usus. Et si in administratione, atque executione sibi præscriptâ graviter peccet, vel negligentiâ, vel iniquitate, non quidem ad compensationem damni obligatur, ut tutores mortalium, cùm damnum animæ pupillæ sit alterius & altioris ordinis: sed ad pœnam immensam, atque ut minimum parem pœnæ, quam illius vitio anima pupilla sustinet: ac propterea cogitur, ut alii tutores, muneris sui rationem, non quidem humano, sed divino Judici, accuratissimè reddere.

582. *Permiqua.* Si igitur ad menstruum, ad semestre, ad annuum spatium curam & administrationem tuam neglexeris, ô executor, vide quàm infideliter votis testatoris responderis, quàm iniquè cum animâ pupillâ egeris (quippe cùm illi damnum ingens pepereris divitiarum, ac gloriæ cælestis) quam denique rationem muneris tui supremo illi Judici sis redditurus. Expectabat quidem testator in te amicum, & fidelem, & navum; propterea ex multis unum alterumúe elegerat: tu causam amici maximam hostiliter neglexisti: Expectabat in te anima pupilla tutorem similem patri, tu illius bona ac patrimonium perire illi crudeliter permisisti. Expectabat Judex ut muneri tuo tam gravi diligenter satisfaceres. Tu cum damno alterius gravissimo moras ex desidiâ, ex respectu gratiæ humanæ, ex injustis hæredum postulatis traxisti: Quid habes his respondere? iam nunc cogita.

583. *Contra quam clamabunt ad Deum defuncti.* Etenim miserè illæ pupillæ clamant ad Deum, & Siracide teste c. 35. *Non despiciet preces pupilli, & viduam, si effundat loquelam gemitus. nonne lacrymæ viduæ* (adde, & pupilli) *ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super*, id est, *contra deducentem eas? à maxilla enim ascendunt usque ad cœlum*: ubi, Pineda authore in c. 4. Eccles. *instar vaporum, qui è terra excitati sunt, concrescere videntur in nubes, & pluviam; & Dominus exauditor non delectabitur in illis, id est cùm illi vehementer displiceat viduæ ac pupilli oppressio, ex illorum lacrymis plu-*

pluviâ confertam suppliciis, ac tonitruis, & fulminibus gravem creabit, quam in impios, & oppressores pupillorum, ac viduarum eiaculetur.

584. *Et brevi in damnum executorum exaudientur.*

Neque est cur moram speres; *nam deprecatio pauperis ex ore usque ad aures eius perveniet, & iudicium festinatò adveniet illi*, Eccles. c. 21. Quem locum Syrus exponit eleganter hisce verbis. *Oratio pauperis tamquam ex ore suo ad aurem suam, & ante Judicem sæculorum ascendit*: quasi dicat, inquit Cornelius, os pauperis est os Dei, & vicissim auris Dei est auris pauperis; quàm facilè ergo sermo pauperis ad ejusdem aures pervenit, tam facilè quoque & citò ad Dei aures; usque eò, ut etiam priùs, quàm preces fundantur Psalmistâ teste Ps. 9. *Desiderium pauperum exaudiat Dominus*. Ergo cavete hæredes, cavete executores, seu testamentarii, seu legitimi, seu Dativi, ne quam fraudem, aut gravem negligentiam in piarum voluntatum interpretatione, aut executione admittatis; Cavete ne quos defunctorum tutores, atque alteros patres esse decet, contingat esse animarum oppressores; quod crimen meritò inter ea, quæ in cœlum clamare dicuntur, & vindictam extorquere, accensetur, ut cùm ex dictis, tum ex dicendis est intelligere.

585. *Ex peremptione pauperum.*

Sed priùs venio ad tertiam Concilii Vasensis rationem, cur eosdem fraudatores anathemate feriendos arbitretur, nempe quòd egentium sint interemptores. Cujus pronuntiati causam reddit, quia illos fraudant necessariâ sustentatione: Id quod Siracides c. 34. priùs expresserat hisce verbis; *Panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est*: quasi sic argumentetur. panis pauperum, est eorum vita, hæc enim pane sustentatur: igitur qui illos pane privat, privat & vitâ. Id quod aliàs c. 4. insinuarat, *Fili* inquiens, *eleëmosynam pauperis ne defraudes*: ubi græcè pro *eleëmosynâ*, *vita* ponitur hunc in modum, *vitam mendici ne prives*, id est, ne illum prives vitâ, scilicet necessaria vitæ subtrahendo. Quod quidem tripliciter evenire potest, primò si eum in gravi necessitate vel extremâ, dum commodè potes, non pascas; Ut enim Jus Canonicum Dist. 88. Canone. *Pasce fame morientem, si non pavisti, occidisti*, nempe quoniam qui cùm commodè potest, mortem alterius non impedit, is ejus causa est; Posterior ratio necandi deterior est, cùm non modò ex caritate, sed ex justitiâ obligatus, egentes pascere negligis. quod scelus Executorum est, legata in pauperes solvere cunctantium. Tertia deterrima est, cùm in tuos, vel alienos usus convertis, quæ debentur ad vitam egentium sustentandam, quod maximè est infidelium hæredum. Igitur utrique pauperum interemptores jure nuncupantur.

Est autem hæc horum à vulgo avarorum differentia, quòd avari inopes interimunt sua retinendo, dum essent largienda; nostri autem homicidæ, aliena vel furando, vel non reddendo: avari etiam solâ pauperum cæde contenti sunt, nostri autem homicidæ simul cum illis defunctos conficiunt, dum vitam cælestem vivere, vel legatorum suppressione, vel solutionis dilatione prohibent, intereaque detinent tormentis morte multiplici acerbioribus immersos. Quare cùm defuncti testatores consanguinei hæredum, atque ut plurimum parentes sint, hi perfidi hæredes revera parricidæ sunt; cùm etiam executores, tutorum ac patrum loco esse debeant piis manibus, certè qui ex iis sunt, infideles, etiam parricidæ debent appellari. Cùm denique qui pauperes necant, Christum, qui per fidem, spem, charitatem, Eucharistiam in iis vivit, necesse sit, ut unà perimant: consequens est, ut homicidæ illi nostri bis Christum enecent; nimirum & quà vivit in hujus vitæ pauperibus, & quà longè excellentiorem vitam in piis manibus ducit, atque adeò hac etiam ratione bis sint parricidæ, & bis Deicidæ. O infandam sacrilegii atrocitatem?

586. *Illorum differentia ab avaris.*

Et dubitabimus, quin Christus tantâ laceßitus injuriâ vehementissimè in ejusmodi homicidas accendatur? Ambigemus, num animæ, num pauperes mortales, si contra illos numinis justitiam implorent, sint exaudiendi. Christum audi: *Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte; & patientiam habebit in illis? dico vobis, quia citò faciet vindictam.* Ita Veritas Lucæ 18. Cui consonant illa Siracidæ 35. *Dominus non elongabit se, sed iudicabit iustos, & faciet iudicium, & fortissimus non habebit in illis patientiam.* Atqui è Purgatorio clamare animas testatur S. Vincentius Ferrerius Serm. 2. in die Animarum hisce verbis: *Quando sunt negligentes*, scilicet hæredes, atque executores, *nec curant adimplere, animæ petunt à Deo iustitiam contra illos. Ideò caveant manumissores, & hæredes, quia Deus faciet illis iustitiam, qui sunt in maiori pœnâ, quàm si in corpore, & animâ hic comburerentur, quia ille ignis est maioris activitatis. De hoc dicit Scriptura, numquid Deus faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se.* Sicipse. Verùm si eos silere ponas, si veniam hæredibus,

587. *Minæ suppliciorum in hæredes & executores perfidos.*

atque executoribus rogare, *Sanguis fratris tui Abel clamabit ad Deum de terrâ*, & de cavernis subterraneis, quò tua crudelitas pervenit. Quid tum? Nempe graviter timendum, *quia iudicabit Dominus causam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius.* Eccles. 22. quasi dicat causam ipsam, atque injuriam sat per sese ad accendendum iracundiâ Numen eloquentem fore: usque eò, ut quemadmodum & pauperem hac in vitâ, fame, siti, ærumnis confecerunt, & doloris atque angoris aculeo confixerunt, & pariter animam testatoris in Purgatorio jacentis; sic & ipsi configantur, & doloribus angoribusque enecti æternùm pereant. O infidi Hæredes! ô executores impii! ô per quidquid est vobis carum, hæc animis vestris reputate.

588. *Confirmata à Carthusiano.* Sanè ita se habere divinitus congnovit sanctissimus æquè ac doctissimus Dionysius Carthusianus. Is enim Epistolâ quadam ad aliquem Theologiæ Doctorem Colonienſis Academiæ, quem Magister Joannes de Lovanio, & ipse Doctor S. Theologiæ, sui testamenti constituerat executorem: postquam suam cruciatuum ejusdem Joannis in Purgatorio carcere visionem memoravit, his verbis rem nostram prosequitur. Porrò anno tertio, nempe „ ab obitu illius, inter nocturnas vigilias „ defunctorum plus solito aliquid vidi, quod „ rerum necessitas me aperire compellit. „ Accensis quippe supra ejus sepulchrum „ candelis, cùm Fratres inciperent miserere „ mei Deus, cecidit super me mentis exces„ sus: adeò ut nec oculos aperire, nec super „ pedes stare possem: habui verò hinc non „ imaginariam, ut ante, sed visionem merè „ intellectualem, in qua mihi Deus Maxi„ mus ostendit indigno, quæ nec valeo, nec „ etiam scribere præsumo. Vidi nempe „ quàm inscrutabilia sunt judicia Dei, & „ quàm investigabiles viæ ejus, & de futura „ hujus Magistri salvatione, Deo revelante „ cognovi, quàm esset pium pro hujus ani„ mâ Dominum deprecari, & quàm impiè, „ infideliter, & damnabiliter ejus agerent „ executores testamenti, qui congestam „ ejus pecuniam, nequaquam in animæ ejus „ expendant adminiculum. sic ipse. Audi & observa, mi Lector, notitiam illam non nisi supernaturalem esse potuisse, quippe à solo Deo, atque adeò esse certissimam: ac proinde contemplate, & vide quid similibus executoribus sit formidandum. Quare „ sic postea pergit Carthusianus. Te igitur, „ Reverende Magister, qui inter executores „ hujus viri præcipuus electus es, oro atque „ obtestor, per eam fidem, quam hic in te „ esse arbitrabatur, ut omni repulsâ dilatione ultimam testatoris impleas voluntatem, „ ne in te ira Dei desæviat. Vincit, fateor, „ affectionem ratio, & veritate neminem „ palpante duriùs scribo, quàm volebam: „ Verùm etiam me tacente, tu ipse nosti, „ quàm sit impium, & periculosum vota ne„ gligere testatoris. Hactenus Dionysius, apud Bzovium anno 1471. N. 31.

Pars tertia.

Exemplis Dicta confirmantur.

589. *Exempla.* Visne huc usquè dicta de more exemplis comprobari? Eia gradatim procedamus. Refert Gregorius Turonensis de gloriâ Martyrum c. 31. quemdam febri quartanâ integrum annum fuisse excruciatum, quòd supremam ac piam alterius voluntatem explere neglexisset. Sed id leve. Cùm Neapoli ageret Angelicus Doctor: Romanus ex eodem S. Dominici ordine vir religiosissimus, idemque Doctor, videndum illi se exhibens, asseruit sese purgantibus flammis quindecim dierum spatio conflagrasse, quòd alicujus testamentum sibi ab Antistite Parisiensi commendatum, cuius curam susceperat, exequi cunctatus fuisset. Vide vitam eiusdem Angelici Doctoris. An leve tibi videtur hoc supplicium, quod tamen morte gravius, quinies ac decies cum acerbissimo cruciatu repetitâ.

590. *Alterum.* Audi quod sequitur. Receperat quispiam se nummorum numerum aliquem in pauperes dispertiturum amici nomine, qui supremis tabulis ita statuerat. At moras in dies trahendo neglexerat. Octiduo elapso sistit se illi defunctus, sicque affatur; *Siccine perfide, meo sanguine pasceris?* (audite crimen vestrum, eiusque appellationem, ô executores desides) *Christique membra eleemosynâ privas, quæ me ignibus eximisset? pro Dei tribunali de iniuriâ queſtus sum.* Ita ipse. Et vos ergo hanc querimoniam discite, & unà iustam illius exauditionem. nam postero die negligens ille præcipiti correptus malo post formidolosam cum morte luctam, vitam abrupit. Quo exitu, fælicine, an infælici, vos cum tremore apud vos reputate.

591. *Tertium.* Necdum timetis? & hoc audite. Moriens Romaricus Caroli Magni miles equum suum vendi iussit, eiusque pretium partim egentibus in stipem, partim Sacerdotibus in Missas, animæ suæ subsidio distribui. Qui rem susceperat, equi pretium abligurivit. Trigesimo post die adest illi Romaricus vitâ functus, & graviter queritur subreptum equi pretium, neglectamque sti-

que stipem, devoratum Sacerdotum stipendium, ac fructus Missarum. Enimvero per eam jacturam, crimenque executoris, terdenis diebus sibi in lustrali ergastulo commorandum fuisse. Tum disertè propterea, inquit, crastino ad orcum rapieris, & evanuit. At non in vanum abiere minæ. Nam die postero cùm perfidus ille sodalibus visum minasque memorat, ecce in aëre rugitus leonum, ululatus luporum ac ursorum, aliarumque bestiarum horribiles audiri clamores; ille in auras abripi, ex eorumque eripi conspectu, tali spectaculo nimium quantum stupentium paventiumque. Receptis animis hominem conquirunt diversi in diversa partiti. Et duodecimo post die contritum ejus cadaver, lacerumque in monte Regni Navarræ quatuor dierum itinere à loco raptûs dissito comperiunt. Vide Vincentium Belvacensem, Speculi Histor. l. 24. c. 8. & vos tandem perfidi hæredes, executoresque,

Discite justitiam, ac miseros non temnere manes.

Appendix.

De solvendis testatorum nominibus.

592. *An mora solvendi debita per se retardet mortuum.*

Non importunè hîc quæri potest, qua ratione defunctis noceat, qui testatorum debita solvere cunctatur, Angelus, quidem verbo executor. N. 31. post Richardum, vult moram solutionis debitorum per se remorari animas in Purgatorio, etsi nolit illic tamdiu hærere, quamdiu ea non dissolvuntur: sed parum consequenter philosophatur: nam si negligentia solutionis per se illas retardat, causâ retardandi manente, non erit, cur expediantur, cùm usque ad novissimum quadrantem justitiæ divinæ satis illic faciendum sit. Dicendum itaque cùm Dominico Soto, Navarro, Sanchez in Consiliis: negligentiam illam vel executoris, vel hæredis, testatori vitâ functo per se non obesse, quòd alienum peccatum illi obesse nequeat, per accidens tamen exploratum est, esse vehementer damnosam, propterea quòd per ejusmodi negligentiam retardetur eleëmosyna, preces, sacrificia, quæ si fierent, vel testatorem pœnis lustralibus omnino liberarent, vel eas mitigarent. Neque objicias lib. 6. Revel. S. Birgittæ cap. 66. affirmari animam tamdiu cruciari, donec restituatur, quod injustè ablatum est. nec enim id ita intelligendum, quasi liberatio animæ per se pendeat à restitutione; nec concedenda illa sit, nisi restituta sint, quæ injustè sunt ablata; sic enim testator puniretur supra condignum, si rem minutam non restituisset, neque alius umquam restitueret, & præter omne jus, quia jam impotens est restituendi. Quare id ita dicitur, quod dum fit restitutio, accedant pia vota, precesque in testatoris gratiam, quibus demum liberatur, vel etiam quòd restitutio ipsa ex christianâ caritate profecta, ac proinde pollens vi satisfaciendi, defuncto piè applicetur, eumque pœnis eximat. atque hæc ex communi sententiâ.

593. *Sententia Lugonis.*

Libet tamen Lugonis nostri ingeniosam pariter ac raram hujus quæstionis enodationem ipsius verbis attexere, sic igitur ipse de pœnit. Disp. 27. sec. 3. n. 32. proposito communi sensu disserit. Adhuc „ tamen in gratiam communis sententiæ, & „ propter revelationes illas, & communem „ fidelium sensum addere possumus duplici- „ citer posse restitutionem illam prodesse „ animæ defuncti ad sui liberationem. Pri- „ mò, quia sæpe Deus, quamdiu non fit re- „ stitutio, non vult exaudire preces, & ora- „ tiones, quæ nomine Ecclesiæ, vel etiam à „ privatis pro illâ animâ offeruntur: con- „ gruum enim est, ut ille solvat pœnam, dum „ alii ejus causâ patiuntur. Quare licèt so- „ lutâ totâ pœnâ liberandus sit, & licèt suf- „ fragia, & sacrificia prosint illi, quoad fru- „ ctum satisfactionis, interim tamen caret „ toto fructu impetrationis, quem habere „ posset; & hac de causâ petunt ab hærede „ restitutionem fieri debitorum. Secundò „ addere possumus pœnam ipsam ob dila- „ tam restitutionem, augeri posse quoad „ durationem vel intensionem. quod qui- „ dem in humanâ republicâ fieri prudenter „ videmus, ut qui alium injustè læsit, graviùs „ puniatur, dum qui læsus est, non condo- „ nat, vel sibi satisfactum esse profitetur; mi- „ tiùs verò illo condonante, vel satisfactione „ ei oblatâ: pœna enim etiam ad hunc finem „ ordinatur, ut pars læsa ob injuriam accep- „ tam, vindictam aliquam ab injusto læden- „ te accipiat. Non est ergo contra, sed jux- „ ta æquitatem judicii, si dicamus idem de- „ lictum parte non satisfactâ, vel condonante, „ graviorem pœnam sibi taxare de con- „ digno, quàm satisfactâ, vel condonante „ parte. Potest ergo contingere, ut ob de- „ fectum solutionis differatur pœna defuncti, quia quamdiu pars læsa non condonat, „ vel ei non satisfit, pœna delicti præteriti „ gravior & diuturnior esse debet, ideo- „ que defuncti non solùm restitutionem à „ filiis vel hæredibus fieri petunt, sed ali- „ quando etiam à personis offensis veniam „ & remissionem petiisse leguntur, eâque „ obtentâ gratias egisse, quasi ob impedi- „

mentum

„ mentum ablatum suæ liberationis. Ita Lugo.

594. *Refellitur.* Cujus, nisi fallor, prior ratio infringi forsitan potest. nam si nulla fuerit testatoris negligentia, nullâ quoque ipsius, sed hæredum culpâ causaúe creditores patiuntur. Sin autem aliqua fuerit, ea certè non est causa, cur post mortem testatoris creditores patiantur: sed hæredes, aut executores, quibus testator restitutionem commisit. Igitur punitâ illâ testatoris negligentia (sive fiat restitutio, sive non) nihil ad testatorem. Quare igitur impetrationis fructu privaretur? cùm hæc privatio nova sit pœna. Posterior verò Lugonis ratio sic refellitur: nemo creditorum tam crudelis est, ut culpam, si qua testatoris fuerit in morâ solvendi, velit penâ ignis præsertim Purgatorii expiari, nemo qui eam pœnam aut etiam culpam non libenter condonet; ergo contra Lugonem pœnâ negligentiæ solvendi à testatore defuncto jam persolutâ, nihil castigandum restabit, cùm sit à parte læsâ condonatum. Deinde nihil officit, quòd Judex humanus graviorem pœnam reo imponat, si parti non satisfiat, aut hæc non ignoscat: quia ille pacem publicam spectat, quæ nisi eo pacto, facilè stare non potest. Judex autem divinus vindictam exigit quæ solius culpæ est: hæc igitur cùm nulla sit in proposito præter solvendi negligentiam, negligentia sola plectenda est.

§ 3.

Graviter obstringuntur Sacerdotes ad facienda pro Defunctis Sacrificia, ac preces, accepto in eum finem stipendio.

Pars prima.

Doctrina Theologica.

595. *Obligantur ad Missam accepto stipendio.* Duplex stipendium distingui potest. prius, quod vocant manuale, estque illud, quod impræsentiarum in manus Sacerdotis, alteriusúe ejus nomine accipientis traditur, utique ad expensas, & sustentationem sacrificaturi necessarium. Posterius, quod fundatione, legato, alioúe titulo constituitur. Utriusque verò acceptio Sacerdotem ad sacrificandum obligat. Init enim cum eo, qui stipendium tradit, contractum onerosum, quo se ipse ad sacrificium ejus causâ bonoque patrandum obstringit, & graviter quidem, quia in re gravi, cujus quippe executio multùm prosit, & omissio graviter noceat. Ex quo etiam efficitur, ut si Missam omnino negligat, ad restitutionem stipendii obligetur, cùm eâ tantummodo lege tradatur, ut Missa patretur. Quare quod spectat ad eos, qui perpetua Missarum onera susceperе, ut Ecclesiarum, aut sæcularium aut Religiosarum alumni, non modò privati inter eos lethaliter peccant, si Missas sibi præscriptas ad mentem intentionemque legantium non faciant, sed etiam Præsides ipsi, si pro muneris sui ratione non curent eas fieri, & utrique ad restitutionem obligantur. Quæ omnia, ut patet, maximè valent in causâ piorum manium, quia Missæ iis debitæ, & vehementer prodesse, & earum neglectus vehementer obesse potest.

596. *Et brevi quidem faciendum.* Et eodem modo pro portione de sacrificandi morâ philosophandum est, de qua hæc habe ex receptâ Theologorum sententia, eos qui ex stipendio obligantur ad sacrificium defunctorum solatio faciendum, lethalem culpam admittere, si notabili temporis intervallo illud differant, quoniam ea dilatio in grave earum damnum vergit: cùm tanti sit vel ad horam igne purgante peruri, quo tamen Missa, vel omninò, vel ex parte eximeret. Deinde etsi in varias opiniones distrahantur Theologi, dum agitur de eo tempore definiendo, quo mora gravis, ac proinde lethalis habeatur: tamen ipsa tormentorum atrocitas satis demonstrat, nequaquam esse audiendos hac in parte, qui quinquaginta, aut sexaginta dierum spatium ad moræ diuturnitatem requirunt. Deinde non patitur eadem atrocitas tolerabilem videri eam fraudem Sacerdotum, qui rogati, an integrum iis sit istomet die pro defuncto sacrificare, falsò affirmant, & sacrificium in aliud nescio quod tempus differunt, quod sanè etsi per se breve, vix tamen, aut ne vix quidem breve censeri deberet, nisi imbecillitatis humanæ, mortisque æternæ ratio habenda esset. Id tantùm à peritis peto, cùm neglectus alicujus culpa crescat pro rei neglectæ gravitate, damnoque ex neglectu consequente, hic autem, & de asserendis è carcere lustrali animis, cœloque invehendis agatur, & de summo cruciatuum vitando, an æquum sit hac in causâ laxioris esse sententiæ?

597. *Hinc argue Missas plurium faciendum.* Cæterùm hinc redarguuntur antiquæ illæ Missæ multarum facierum, ut Petrus Cantor, Parisiensis Doctor abhinc annos pene quingentos nuncupat, in libro quem *verbum abbreviatum* inscribit. Quibus in Missis plures ac diversi introitus recitabantur,

bantur, ideoque ipsæ multiplicis faciei dictæ. Porrò multiplicitatis causa non alia erat, quàm Sacerdotum cupiditas, nempe ut cùm post introitum populus dona Sacerdoti facienti offerat, toties offerret, quoties introitus esset repetitus. Quem morem rectè ipse carpit, cùm eo pacto Missa pluribus applicata: iis nempe, qui dona conferebant, & ipsi minus fructûs exeâ singuli perciperent, & defuncti, quorum gratiâ dona conferebantur.

598. *Et qui pro una Missa plura accipiunt stipendia.* Ex quo etiam consequitur perperam eos sentire, qui asserunt Missam unam, cùm pretii sit immensi, tantumdem prodesse singulis, sive unica pro multis fiat, sive pro uno, aut pauculis. Et verò fructus Missæ, qualecumque sit pretium ejus intrinsecum, ex Dei decreto, ac Christi volûtate finitus est, tam intensivè, ut aiunt, quàm extensivè. & qualis qualis esse dicatur; certè falluntur, fraudanturque, qui stipendium sufficiens pro Missâ unâ faciendâ tribuunt, si eadem pluribus applicetur. Quippe quòd integrum Missæ fructum, qui iis obtingere ex eâ potest, jure ac certò exspectent: & tu avare Sacerdos, tantum illis applices eum fructum, qui cùm probabiliter tantùm sit integer, probabiliter etiam talis non est. Deinde cùm stipendium non pro fructûs applicatione detur (alioqui enim Simonia interveniret) sed pro sustentatione, & ponamus stipendium justum esse, atque ut tale admiseris, quo, quæso, titulo accipies secundum, maximè cùm nec daretur, si te alteri obligatum innotuisset, nec dari possit, nisi pro sustentatione? Præterea ex eâ sententiâ conficitur, Sacerdotem æquè posse pro unico sacrificio stipendia decies mille accipere, atque unicum, & æquè omnibus, atque uni facturum satis: atque ita si neglectis totâ vitâ Missis, ad quas obligatus erat, stipendio, vel beneficio, vel legato, unicam sub vitæ finem faciat, omni obligatione liberandum, si quidem à principio communiter pro defunctis facere jussus erat. Et causa est, quòd unica pro defunctis æquè valitura est, in eâ sententiâ, atque decies mille, quas totâ vitâ fecisset. Quæ omnia cùm à fidelium sensu sint alienissima, hujusmodi sententiam scilicet condemnant, & omnino condemnandam demonstrant.

599. *Quod prohibet Pontifex.* Quare meritò Urbanus VIII. Pontifex Max. ejus usum omnino interdixit, etiam sub judicii divini comminatione. Verba ipsa recito: *Sacra Congregatio sub attestatione divini iudicii mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleëmosynæ præscriptæ fuerint: ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quin imò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur. Id verò ut deinceps observetur exactiùs, Sacra Congregatio eâdem authoritate revocat privilegia, & indulta omnia, quibuscumque personis, Ecclesiis ac locis piis, tam sæcularibus, quàm Regularibus, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.* Hoc est sacræ Congregationis Decretum, de cujus virtute obligandi, ne dubites, noveris ab Urbano VIII. Pontifice approbatum, atque adeo non tam Congregationis, quàm Pontificis dici debere; præsertim cùm Alexander VII. eandem comfirmarit 25. Januarii 1659.

Pars secunda.

Pœnæ illius sacrilegii.

ATque hîc quàm spatiosus sese offert campus ad sacrilegam illam, vel negligentiam, vel rapinam digno vituperio insectandam? sed sacris capitibus parcendum, quæ revereri jubet ipse eorum Judex. Verumtamen non raris sacrilegorum suppliciis illorum ejusmodi rapinas ipse ultus est: Quot enim Sacerdotes, quot Canonici, quot Ecclesiastici, quibus nihil aliud incumbere videtur, quàm ut Fundatorum bona luxui & luxuriæ impendant, infæliciter periêre? memini me legrè apud Carthusianum l. 4. de noviss. quempiam Religiosum Anglum mente ad purgantia loca raptum, cùm miraretur vix se in illis Sacerdotes ullos animadvertere, didicisse ab Angelo paucos omninò ex Sacerdotibus purgandos, plurimos autem æternùm damnandos. Cur? quia nempe Sacerdotum crimina vix mediocria esse solent. Sed hoc ipsum curnam? quia, inquam, pauperum ac defunctorum fraudatores sunt, qui inter eos criminosi: hæc autem fraus vindictam extorquet è cœlo, quippe misericordiæ indigna, quæ crudelitatis sit plena. Quo fit, ut post continuatas ejusmodi fraudes, finantur à Deo in novas ac novas noxas abire præcipites, nec metu noviss imorum tangi se sinant, & post porcinam vitam juxta templa & aras peractam, porcinâ morte defungantur. quod indicavit Angelus ille, dum tantæ cladis causam assignavit pœnitudinis in morte defectum. Scio Canonicos multos, Sacerdotum plurimos

600. *Cur multi Sacerdotes damnentur.*

rimos, probitate vitæ, exemploque præstabiles ubique reperiri, non his hæc propono, nisi ut vivendi cursum, quem inivere, constanter teneant: sed qui alii sunt, aut esse metuunt, audiant Cantipratanum.

601. *Antiquorum Canonicorum miseræ mortes.*

„ Ego, inquit, in quadam civitate Episcopali annis undecim adolevi, ubi sexaginta duo Canonici sub præbendis pinguissimis ducentarum fere librarum Parisiensium (grandis tunc pecunia, nunc duo millia florenorum æquat) in matrice Ecclesia serviebant. Vide ergo qualem vindictam Dei in ipsos vidi turpissimos detentores. mihi testis & Judex sit Sancta Trinitas, unus Deus, quod paucos eorum vidi communi morte defungi, sed subitò omnes, & reprobè mori. Ita quod quidam eorum audito, quod unus sociorum in nocte sanus, manè mortuus inventus esset, complosis manibus dixit, quid vultis? secundum usum & consuetudinem Ecclesiæ mortuus est, ut videtis. Vidi ego ipse in eadem Ecclesiâ infra paucos annos quatuor Archidiaconos sic defungi. Vide Lector, mirare miraculum; Primus eorum de equo phalerato, & grandi cecidit, fractisque cervicibus expiravit. Secundus manè in cathedra sedens mortuus est repertus. Tertius in choro stans, cùm ad Missam elevatio corporis Christi fieret, cecidit resupinus, & subtracta loquelâ cum sensu, quasi brutum animal die tertia sine Sacramentis Ecclesiasticis est defunctus. Quartus confessionem peccatorum, & sacramenta recusans mortuus est; & extra cœmeterium sepultus.

602. *Ratio additur.*

Hactenus Cantipratanus, qui dum hos infæliciſſimos casus plurium simul beneficiorum occupationi assignat, à nobis facit. Nam ea ideò prohibita est, quòd Fundatores defunctos sperato precum plurium subsidio privet, Deumque cultu. Sed licèt hujusmodi Acanonici Canonici eo vitio detentionis minimè laborent, non ægrè intelligitur, quemadmodum pios manes exspectatâ stipe defraudent, tum quia id, quod honestæ sustentationi supereſſet, non pauperibus, quibus debent, impertiuntur, ac proinde defunctos subsidio inde proventuro spoliant, sed effundunt in convivia, & superfluas noxiasque voluptates: tum quia preces Ecclesiasticas, vel omninò, vel magnâ ex parte negligunt, & si quidem adsint in choro, ita adsunt, ut abesse satiùs esset, vel certè nihil obesset. Adeò parum divinis sunt attenti! adeò multùm vel dum sacra fiunt, aut decantantur, profanis intenti.

603. *Doctoris Philippi damnatio.*

Sed juvat rursus Cantipratanum audire, simulque damnationem ipsam miseri Canonici, non modò argumentum damnationis. Cùm retulit hic author disputationem de beneficiorum pluralitate Parisiis habitam esse à Guillielmo Parisiensi Episco, subdiditque & hunc & Hugonem postea Cardinalem, aliosque Doctores illicitam censuisse, modò unicum beneficium sustentationi honestæ sufficiat; Philippum autem Cancellarium Parisiensem prope, unicum contra dixisse: ita de hoc Philippo narrat. Quid autem de isto Philippo contigerit, audiamus. Agonisantem in morte dictus Guillielmus Parisiensis Episcopus paternâ sollicitudine visitavit, rogavitque eum, ut singulari opinioni cederet, de pluralitate beneficiorum, & omnia beneficia sua excepto uno in manus Ecclesiæ resignaret, & hoc conditione mediâ, ut si convalesceret, ei supplere vellet de suo proprio, quod dimisisset. Renuit ille, experiri se velle dicens, utrùm esset damnabile beneficia plura tenere. Mortuus est ergo sic. Post paucos autem dies cùm dictus Episcopus Parisiensis, finitis Matutinis orare vellet, vidit inter se & lumen, quasi umbram hominis tetram nimis. Elevatâ ergo manu consignat se, & si ex parte Dei sit, præcipit, ut loquatur. Cui respondit apparens, alienus à Deo sum: sed tamen mirabilis factura ejus. Et Præsul; Tu quis es, inquit, cui ille respondit, Ego sum Cancellarius, inquit ille, dudum miserrimus: Rursus Episcopus elato altiùs gemitu, & quomodo tibi est, inquit, sic dolenti? Malè, ait, imo quàm pessimè, quia damnatus sum æternâ morte. Et Episcopus, heu, ait, chariſſime, quæ causa tuæ damnationis? Tres sunt, inquit, causæ, quare morte perpeti sum damnatus. Una est, quòd recrescentes fructus annuos contra pauperes timidè reservavi. Secunda est, quòd contra sententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum, quasi licitè tenendorum opinionem propriam defensavi, & in hoc me periculo mortalis culpæ commisi. Tertia est, & illa graviſsima omnium, quòd abominabili carnis vitio in scandalum multorum, multo tempore laboravi. Et ad Episcopum tunc subjunxit. Estne, inquit, finitus mundus? Et Episcopus, miror, ait, te litteratiſsimum quondam virum hoc quærere, cùm me adhuc vivum cernas, & nos omnes adhuc viventes mori necesse sit, antequam mundus instante judicio finiatur. Et ille, non mireris, inquit, quia nec scientia, nec ratio est apud inferos venienti. & hæc dicens umbra ab oculis mirantis evanuit: ipse autem Episcopus, non tamen sub per-

sonâ

„ sonâ sua, quasi hæc vidisset, in prædicatione sua omnibus Clericis recitavit. Ita Cantipratanus l. 7. c. 19.

604. *Exponitur.* Porrò observa primam ex iis damnationis causis ita intelligendam videri, ut velit damnatus ideò se periisse, quòd superfluos honestæ sustentationi fructus pauperibus subripuerit. De secunda autem sic Colvenerius Duacensis Academiæ Doctor Theologus commentatur. *Post tantorum virorum sententias, & ipsius Concilii Lateranensis, ac Pontificis Alexandri III. extravag. de præbend. c. quia in tantum: nequaquam dubitare poterat. Ibi enim dicitur quod multitudo præbendarum Canonibus inimica sit, dissolutionis, & evagationis materiam inducat, certúmque contineat periculum animarum.* Hæc Colvenerius: sed salvo meliori ea res videtur etiamtum Parisiis in ambiguo posita fuisse. nec enim erat alioqui, cur à Guillielmo Parisiensi, cæterisque disputaretur, actum definiretur. Id quod confirmatur, quia Cantipratanus neque eo loco, neque alio, ubi ab occupatione plurium beneficiorum dehortatur, aliam authoritatem laudat, quàm Guillielmi Parisiensis. Cæterùm existimo damnatum de sententiâ illa practicè dubitasse, & tamen cum eo dubio è vitâ migrasse. Quare Guillielmo eum visitanti dixerat, experiri se velle, an damnabile esset tenere, simul plura beneficia posse obtineri. Quod attinet ad ejus quæstionem, an mundus adhuc duraret. Repugnat quidem hæc communi Theologorum sententiæ neganti, damnatorum mentes perturbationi obnoxias esse, ut patet & ex sermone divitis Epulonis cum Abrahamo, & ex statu animarum separatarum, corporeis organis, ex quibus perturbatio nascitur, minimè utentium: sed dici potest eam perturbationem Philippo illi, ad confusionem ac verecundiam superbi capitis præter ordinem contigisse. Quo etiam modo, aliæ visiones, ubi pii manes de salute incerti describuntur, exponendæ sunt.

ARTICULUS VI.

De obligatione gratiam Defunctis referendi.

PARS PRIMA.

Quid de illa Theologi.

605. *Qualis obligatio* POSTQUAM de obligatione charitatis, misericordiæ, pietatis, ac justitiæ disseruimus, superest, ut de illâ, quam gratus animus cuique imponit disseramus. Scio equidem gratitudinem quatenus virtus est ab aliis distincta, inclinatque ad debitum quoddam ex beneficio privati hominis enatum pro facultate reddendum, vix ullam, quæ nomine isto digna sit, obligationem inducere. Cùm enim beneficium gratis collatum sit, non potest parere, nisi moralem quamdam, seu decori honestique obligationem. Id quod ex opposito illi ingratitudinis vitio manifestius evadet. Est enim duplex ingratitudo, formalis prior, qua vel beneficium, vel ejus qui illud fecit, animus contemnitur, ne obnoxius ei videare, & hæc quidem si divellatur à judicio temerario, & offensione caritati contrariâ, nihil ferè sibi reliquum retinebit. Posterior materialis, quando absque contemptu, vel omittitur debitum grati animi officium, vel aliquid adversus hominem beneficum committitur. Cujus, authore D. Thoma tres sunt gradus: primus non rependere beneficium, in quo ipso, ut innuimus, peccatum non est, nisi fortè vel necessitas ejus, qui beneficium contulit, vel metus offensionis ejusdem, beneficium rependi jubeant. Secundus gradus est beneficium dissimulare, gratias negligendo, in quo citra metum offensionis ejus, qui beneficium contulit, ut summum levis culpa cernitur. Tertius gradus est nolle beneficium agnoscere, in quo si eamdem offensionem subduxeris, nihil quoque grave repereris. *gratitudinis.*

PARS SECUNDA.

Eius commendatio.

606. *Etsi levis multum impellere solet.* VERUMTAMEN ea qualiscumque obligatio, imo & sola decori ratio, mortales ad referendam gratiam vehementiùs, quàm gravior ulla necessitas, ad officium impellit. Cùm enim quisque humanitate capiatur, eaque in conferendo beneficio maximè se prodat, primùm, beneficos benevolentiâ complectimur, deinde cum bene illis velimus, pariter facere studemus, atque adeò gratiam illis, vel obsequio, vel beneficio referre. Ita hæc virtus cuivis homini, modò hominem se meminerit, cara est: usque adeò, ut barbaris quoque sit in pretio. Notum enim est Brasilios, Paraquarienses, aliosque anthropophagos largitione munusculorum emollitos, sentire humanitatis quosdam stimulos cæpisse, tum amasse largitores, & sensim ea, quæ ab illis docebantur, gratis animis audisse, Deoque demum sese insinuante, evangelio credidisse. Neque ulla tam fera natio

est, quæ gratiam rependere, aut superare non amet. Quid siquidem Agarenis inhumanius? tamen hi cùm S. Sabas plurium Cœnobiorum Pater, per cellam suam transeuntibus, melagnorum, & arundinum radices (nec enim aliud suppetebat) in cibum apposuisset, ad eum regressi, caseos, & dactylos retulere, unde vir optimus humilitatis ansam arripiens? *Heu mihi*, inquit, *barbari isti munusculi nostri memores gratiam gratiâ vincere studuerunt. Nos qui Deo tot nominibus ac donis obstricti sumus, ingrati esse pergimus. Quis igitur nobis veniæ locus, aut excusationi?* Quare non mirum si cùm Balduinus Jerosolymorum Rex, Turcorum Ducis, quem prœlio vicerat, conjugem partui vicinam omni re necessariâ ad vitam, & chlamyde suâ pro stragulâ veste, cujus eo loco nulla copia erat, coopertam, illæso pudore, marito restituisset, ipse Dux Balduinum postea à Turcis superatum, Româque urbe parum munitâ clausum, & periculi admonuerit, quòd postridiè à Turcis impetendus esset, & ad tutiora, beneficio noctis, deduxerit. Ut Egnatius l. 5. c. 2. tradit. Minus etiam admirabile, etsi egregium, quod subjicio. Veteranus quidam miles cùm vocatus in jus periclitaretur, adiit palam Cæsarem Augustum, rogans ut sibi vellet adesse. Cæsar è comitatu suo selectum illico dedit, eique litigatorem commendavit. Hic miles vociferans, At non ego, Cæsar, periclitante te Actiaco bello, per vicarium; sed pro te ipse pugnavi: simulque detexit cicatrices. Erubuit Cæsar, atque ipse descendit in advocationem, veritus ne non modò superbus, sed & ingratus videretur. Quid ejusmodi alia seu sacra, seu profana commemorem?

607. *Et debet maximè in causa mortuorum.*

Enimvero permirum est mortales, cùm mortalibus grati esse summopere laborent, de sua in pios manes ingratitudine minimè laborare. Nam si Cicerone authore l. 1. de offic. *Beneficiorum acceptorum delectus habendi sunt, & imprimis quo quisque studio, vel benevolentiâ fecerit, ponderandum*; nemo nescit, nihil sincerius suprema hominis, præsertim Christiani, voluntate, nihil studiosius. Deinde grati animi pignus, atque argumentum, multò propensius illis præbendum, quàm vivis, quia in summâ versantur subsidii necessitate, summisque interea cruciatibus conficiuntur, qui nõ ægrè levari possunt. Quare valet hic maximè, tritum illud: *qui cito dat, bis dat.* Præterea meritò à nobis exigunt grati animi officia, quod ideò benefecerint, ut vicem iis rependeremus. Neque enim illud, quod viventibus turpe est (beneficia conferre ut recipias) morituros in causâ salutis dehonestat, neque beneficium minuit. Siquidem cùm beneficia semper omnia ad salutis nostræ rationes referre par est & laudabile, tum potissimùm in morte, quando summa salutis agitur, & honestissimum Numinis brevi potiundi desiderium, animos tenet, curaque ingentis cruciatûs vitandi. Accedit ad animi grati vincula, quòd obnixissimè rogent eos, maximè, quibus benè, dum viverent, fecerunt. Ad hos enim dirigitur hæc eorum solemnis supplicatio, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*: Quod si preces amici imperia sunt, quid ejus amici, qui beneficiis te devinxerit? Quid defunctorum, qui nunc ope tuâ maximè indigent?

Cæterùm ad vos potissimè se convertunt, ô Viri Religiosi, idque multis de causis. Etenim sat novere vos instituti vestri ratione, vitæque probitate, magis idoneos esse salutis suæ procuratores, sive quia momenta rerum futurarum penitiùs cognoscitis, magisque expenditis: sive quia Deo Judici gratiores estis, ut eorum causam fæliciùs agatis; sive quia ad omne virtutis, ac maximè gratitudinis, officium promptiores. Propterea moribundi vos duces eligunt, ne aberrent in ingressu æternitatis. Et cùm jam decesserunt, comites & assecias funeris sui esse cupiunt, & suos apud Deum oratores. Itaque vos præsertim amicos sibi esse volunt, de quibus Christus, *Facite*, inquit, *vobis amicos de mammonâ iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Magis in fide vestrâ, tutelaque nituntur, quàm in parentum amore, promissisque; exspectantque, ut ipsi animarum suarum redemptores, & parentes sitis, lytro nimirùm sanguinis Christi persoluto, quo pariter vita cælestis comparatur. Denique vobis sese penitus committunt, ut ad amantissimi Sponsi thalamum, ac nuptias Agni, vobis paranymphis queant pervenire. 608. *Potissimùm Religiosos.*

Pars tertia.

Exempla grati animi erga fundatores.

ET benè est, eorum spes non fallitis: imò fide ac benevolentiâ superare nitimini. Nam S. quidem Ignatius, Societatis Jesu conditor, Petro Codacio, qui Domus Professæ Romanæ rem familiarem decennio magnâ caritate industriaque administraverat, adeò ut & domicilium de suo, & templum proprium ex eleëmosynis 609. *Et impulit S. Ignatium erga Codacium.*

mosynis ei compararit, grati animi causâ, honores Fundatorum omnes decrevit, annuam videlicet, quamdiu vixit de more candelam, Missarumque certum numerum; mortuo verò, præter consueta suffragia, ut etiam sepulchro cum honorificâ inscriptione lapis imponeretur.

610. *Erga Arzium.* Præterea cùm lege cavisset ne quis è Nostris, vel exequiarum, vel sacrificii, vel cujuspiam omninò ministerii nomine pecuniam, aut eleëmosynam ullam acciperet, nedum cogeret, eam ipse legem diligenter, sancteque in omni vitâ servavit, neque commisit umquam, ut fidem suam præsertim in rebus sacris, temerè obligaret: vel quod vitandum est maximè, specie pietatis quæstum facere videretur; quo in genere illud insigne memorant. Graviter ægrotabat ætate jam devexâ Hieronymus Arzius: ad hunc visendi causâ cùm venisset Ignatius, hominemque benigno & spirituali alloquio recreare conatus esset, ille de futura vitâ sollicitus aureos ducentos ad piacularia Sacra pro se facienda sudario involutos institit Ignatio obtrudere. Quos cùm obfirmato animo rejecisset Pater, quòd diceret se alieno periculo doctum ab hujusmodi conventis jam pridem abstinere, neque plus oneris velle suscipere, quàm præstare fide posset, admiratus ille sanctimoniam & integritatem viri, eam ipsam summam paulò post ad eumdem sine ullâ conditione transmisit. Tum Ignatius sponte complures hostias ad expianda amici peccata decrevit. Neque in officii & charitatis certamine vinci se passus est. Ita Maffæus lib. 3. cap. 9. vitæ S. Ignatii. Quem morem ac legem nostri hodieque religiosè observant. Universim autem hæc in gratiam beneficiorum toti Societati præcepit Constit. P. 4. c. 1.

De memoria habenda Fundatorum & benè de Collegiis meritorum.

611. *Quid Fundatoribus reddatur in Societate.* „ QUONIAM val de æquum, ut quod „ in nobis erit, illorum devotioni, ac „ beneficentiæ correspondeamus, quibus di„ vina bonitas ad fundationem ac dotatio„ nem Collegiorum utitur administris: Pri„ mùm in quovis nostræ Societatis Collegio, „ perpetuò singulis hebdomadibus Missa se„ mel pro ejus Fundatore, & benefactoribus „ vivis, & mortuis celebretur. Initio item „ cujusque mensis omnes Sacerdotes, qui in „ collegio fuerint, pro eisdem semel offerre „ idem sacrificium perpetuò debeant: sin„ gulis insuper annis eo die, quo Collegii „ cujusque possessio Societati tradita est „ cum solemnitate Missa pro Fundatore, & „ benefactoribus celebretur, & id temporis „ in eodem collegio quicumque Sacerdotes „ adfuerint, eòdem sua referent sacrificia. „ Eodem die candela cerea Fundatori offe„ ratur, aut uni ex suis, qui ipsi sit cognatio„ ne proximè conjunctus, aut illi demum, quẽ „ ipse Fundator designaverit, in qua candela „ armorum Fundatoris, aut devotionis in„ signia extent. Illâ verò testabitur Socie„ tas, quam Fundatori, in Domino debet, „ gratitudinem. Cùm primùm Societas in „ Collegii alicujus possessionem venerit, „ Præpositus Generalis curet indici per uni„ versam Societatem, ut quilibet Sacerdos „ ter Sacrum faciat pro superstite Fundatore „ ipsius Collegii, ac benefactoribus, ut illos „ suâ benignitate Dominus in rebus omni„ bus dirigat, & suis donis semper augeat. „ Rursus cùm ex hac vitâ illi excesserint, cu„ rabit idem Præpositus Generalis, ubi pri„ mùm resciverit, ut per totam Societatem „ singuli Sacerdotes ter Sacrum pro anima„ bus illorum faciant. Quoties autem dictum „ est Missas esse à Sacerdotibus celebrandas, „ cæteri omnes, qui in Collegiis degunt, ac „ Sacerdotes non sunt, ad eamdem illam in„ tentionem orare debent: quandoquidem „ ejusdem gratitudinis nomine utrique obli„ gantur in Domino. Fundatores præterea, „ ac benefactores Collegiorum peculiariter, „ participes efficiuntur omnium bonorum „ operum quæ tum in ipsis collegiis, tum in „ reliqua Societate Dei gratiâ fiunt. In uni„ versum autem tum Fundatoribus, tum „ etiam ipsorum necessariis, & quoad vi„ vunt, & postquam obierint, peculiariter „ sese devinctam esse Societas ex charitate „ cognoscat: ut omni officio illos prosequa„ tur, quod à nobis præstari juxta minimam „ hanc nostram professionem ad divinam „ gloriam possit. Hæc S. Ignatius. Ex qui„ bus extat hæc Rectoris 76. regula. obser„ vet quæ erga Fundatores, & benefactores „ tam vivos, quàm mortuos observanda sunt, „ eisque gratitudinem exhibeat, & aliis obli„ gationibus, si quas Collegium habet, sa„ tisfieri curet. „

612. *Ab universis precum numerus.* Etsi autem rectè Suarez tom. 4. de relig. tr. 10. lib. 8. cap. 2. 5. censeat *Obligationem Missarum, ac precum, quæ in Societate præscribuntur pro Fundatoribus ac benefactoribus Collegiorum ac domorum, aliisque intentionibus, non adstringere sub pœnâ peccati, cùm in constitutione allatâ nullum extet verbum, quo id indicetur, & alioqui fundatio Collegiorum, & eleëmosynæ, itemque legata pia iuxta instituti normam recipiantur, atque adeò iuxta Constitutionum mentem, ad culpam minimè obligantium:* ingens Sacrorum, &

tamen accuratè ab omnibus id qualecumque obligationis obſervatur, neque quiſquam ſe Societatis germanum filium exiſtimaret, niſi hac in re officio ſuo fungeretur. Itaque cùm in universâ Societate per totum terrarum orbem ſparsâ, anno 1627. extarent Provinciæ triginta ſex, Domus Profeſſæ viginti ſex, Collegia quadringenta quadraginta quatuor, domus Probationis ſeparatæ quadraginta quatuor, reſidentiæ ducentæ viginti octo, Seminaria quinquaginta ſex. Socii denique omnes quindecim millia quingenti ſeptuaginta quatuor: nec appareat, cur hoc tempore numerus iſte imminutus videatur: quoniam ſi aliquâ parte decreverit, forte aliâ ſuccreverit: Conficitur ſummam Miſſarum in Societate pro Fundatore unico fieri ſolitarum, ſi ponas mediam tantum Sociorum partem eſſe Sacerdotes, pervenire ad quadraginta ſex millia, & ſeptingentas viginti duas Miſſas, totidemque pro eodem recitari D. Virginis roſaria. Debitorum autem benefactoribus ſacrificiorum non æquè licet rationes inire; nam ſi Sacerdotum numerus excedat decem, in ſingulas hebdomadas non unum tantummodo, ſed duo Sacra pro benefactoribus fiunt: ſi verò excedat viginti, tria, & ita conſequenter Sacra creſcunt pro numero Sacerdotum. Quibus adde multa indici, quotieſcumque Collegio, aut Societati notabile aliquid donatur: ac ſubinde quidem ſacrificia duo, ſubinde unum ſingulis per univerſam Societatem Sacerdotibus faciendum præſcribi, totidemque non Sacerdotibus roſaria in gratiam unici benefactoris; aliàs denique omnibus Collegii cui bene fit, Sociis, partim Miſſam, partim roſarium imponi.

613. *Gratitudo S. Thereſæ in Fundatores.*

Cæterùm eodem grati animi, & pietatis in pios beneficiorum manes affectu fuit S. Thereſa Carmelitarum reſtauratrix. Hæc enim ipſa lib. 8. fundationum de ſe narrat. Primùm cùm *D. Bernardinus de Meddoça Vbedæ repentino caſu diem obiret, longè ſe ab illo diſſitam fuiſſe. Tum verò Dominum ſibi patefeciſſe, magno quidem cum ſalutis diſcimine, ſed fæliciter tamen eum obiiſſe, benignitate Numinis adiutum: propterea quòd Valliſoletanæ Carmelo permunificus fuiſſet. Adieciſſe deinde eumdem expiatricibus flammis cremari; at non prius iis educendum, quàm ſalutaris Hoſtia primùm in Cœnobio illo immolata fuiſſet. Ex eo vehementer menti ſuæ impreſſam hæſiſſe illius pœnam. Quare quamvis acriter exoptaret Toletum petere ad res fundationis, diſtuliſſe tamen id conſilii, & Valliſoletanum iter ad condendum illic Cœnobium, ubi primùm licuit per negotia, arripuiſſe. Peracto porrò primo ſacrificio, cùm Sacerdos ad ſe, Monialeſque divinâ Euchariſtiâ impertiendas accederet, tum Bernardinum ſplendido cultu, manibúſque iunctis obverſatum ſibi, & gratiis pro præſtitâ ſibi ope benevolentiſſimè ralatis illico in cœlum emicuiſſe.* Ita ipſa. Non eſt autem dubium quin optimi tantæ matris filii ac filiæ hauſto ejus ſpiritu plenæ in beneficos manes gratiſſimæ eſſe pergant. Et par ratio eſt cæterorum Religioſorum ac Religioſarum, de quibus longum eſſet ſigillatim dicere. Quemadmodum & de Parœciis, atque Eccleſiis, quarum una Hiſpalenſis ædes primaria, ſingulis annis Miſſas privatas ad mille ducentas, & amplius pro beneficiis offert, & ſolemnes, ſeu celebres, ad trecentas ſexaginta quinque. Ita Gonſales de Avila in theat. Eccleſiarum Hiſpaniæ.

614. *Gratitudo Cœlitum.*

Quid? quod Cœlites ipſi eodem in illos grati animi affectu ſe commoveri non inanibus argumentis demonſtravêre? Præclarum eſt quod produco. Anno partæ ſalutis milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſecundo, Julii decimâ quartâ ſummo mane deceſſit è vitâ Philippus Auguſtus Francorum Rex, ac dein in S. Dionyſii, cujus Cœnobium munificis largitionibus, ac prærogativis illuſtrarat, Regiâ pompâ conditus. Porrò illius obitus Honorio III. Pontifici Maximo, per nobilem quemdam divinitus ſignificatus eſt. Jacebat ille jam ad mortem extremâ unctione munitus Sigingæ (urbs eſt Tuſciæ in valle Spoletanâ) & pariter in eadem urbe Pontifex tunc agebat; quando æger à ſe abreptus, videre ſibi viſus eſt equitantium turmam, quam procerus ac barbatus ſenex, unaque illi adequitans quidam eques minus provectus habitu fulgente claudebant. Senior interrogat ægrum, quis apud eum hoſpitaretur. Reſpondit is, Petrum Præſbiterum S. Sabinæ Cardinalem ad ſe divertiſſe. Tum Senior: Renuncia, inquit, illi, ubi primùm illuxerit, ad Pontificem adeat, indicetque Galliæ Regem è vivis migraſſe. Quare ejus animam Deo commendet, recitatâ ſolemni prece; *Abſolve, quæſumus, Domine animam famuli tui* &c. Supplicat æger, ut quis ſit, aperire dignetur, & ille Dionyſius, inquit, Areopagita ego ſum, & iſte mihi proximus, Rex, cujus animam abſolvere Pontifex debet. Ita Doubletus in hiſtoria Abbatiæ S. Dionyſii l. 4. c. 9.

ARTI-

ARTICULUS VII.

De obligatione fratrum ejusdem ordinis ad preces, & Missas pro se mutuò solvendas.

PARS PRIMA.

Theologica Doctrina.

615. *Missæ, ac preces pro defunctis indictæ.*

QUILIBET ordo Religiosus preces ac sacrificia certo numero præscribere solet in gratiam fratrum decedentium à superstitibus persolvenda: lõgum esset de cæteris dicere. Nostra tantùm attingam. In Societate itaque JESU, pro singulis suæ provinciæ, Sacerdotes binas Missas, fratres bina rosaria, pro Domesticis autem singuli, tria, vel sacrificia Sacerdotes, vel rosaria fratres solvunt. Pro iis verò, qui extra provinciam obeunt, quisque Sacerdos, ubivis terrarum singulis septimanis unum Sacrum, & pro universa Societate singulis mensibus unum: quare cùm in Societate numerentur ad minimum decies, & quinies mille, quorum longè plusquam pars media sint Sacerdotes, singulis septimanis fiunt in gratiam Sociorum mortuorum plus quàm octo millia Sacrificiorum: quibus addenda in singulos menses totidem millia, quorum saltem bona pars ad defunctos pertinet, præter ea quæ in provinciâ decedentis solvi diximus. Et sanè hæc omnia rectissimè. Cùm enim quilibet ordo Religiosus, sit velut mercatorum spiritualium societas ad communem ac proprium cujusque quæstum ac commodum, parerat, ut mortuorum quoque commodis strenuè insudaret, cùm mortui alienâ operâ maxime indigeant.

616. *Sub quantâ obligatione.*

Quærunt porrò Theologi, quàm gravis sit superstitum culpa, si sacra pro mortuis fratribus indicta prætermittant. Et communiter respondetur, sive hæc indicta sint ex constitutionibus generalibus Ordinis, sive ex particularibus regulis, sive ex Præsidum mandatis, eorum neglectum nequaquam esse lethiferum; nisi fortè uspiam tanta gravitas satis ac ritè exprimatur: si quidem hujusmodi Sacrificiorũ præscriptio simplicis mandati vim ac rationem sortitur. notum autem est, nisi quid virtute obedientiæ votæ, aut disertè sub pœnâ noxæ lethalis præcipiatur, præcepti religiosi violationem minimè mortiferam censeri. Et Pellizzarius in omnium Religionum institutis versatissimus, omnium hoc judicium & usum esse arbitratur. tom. 1. tr. 5. c. 9. n. 12.

PARS SECUNDA.

Insectatio in eos, qui pro fratribus Religiosis preces indictas non solvunt.

617. *Earum neglectus indignus.*

VERUMTAMEN non pauca sunt, quæ hujus culpæ indignitatem non mediocriter exaggerant: Exploratum enim est, charitatis, misericordiæ, pietatisque legibus Religiosos potissimùm teneri ad suppetias suorum vel Patrum, vel fratrum, spiritualium manibus ferendas: propterea quòd instituti sui ratione ejusmodi virtutes, ipsi inter omnes maximè profitentur. Deinde singularis inter eos necessitudo singularem exigit omnium in defunctos fratres animi propensionem. Siquidem non modò Deum ut communem Patrem agnoscunt, quatenus ab eo pariter omnes conditi, ac per gratiam geniti: non modò Christum ut fratrem habent, ac venerantur, quatenus ejusdem Matris Mariæ filii sub cruce nati; sed insuper eamdem religionem in matrem accepere: & verò ab eâ velut utero feruntur semper, ac ferentur dum vivent, ab eodem cibo & corporis & animæ nutriuntur: ab eadem iisdem vestibus teguntur: iisdem præceptis ac disciplinis ad virtutem informantur: iisdem gradibus ad cælestes dignitates obtinendas provehuntur: denique eadem est omnium vitæ ratio, eademque norma, quare & præcipuam quamdam in omnes sui instituti professores caritatem, & eximiam in pauperes ac calamitosos mortuos misericordiam, & præclaram in Patres omnes fratresque pietatem exhibeant, necesse est. Nam si sanguinis conjunctio ad spiritualis subsidii in consanguineos mortuos communicationem obligat, quid efficere debet hoc in genere necessitudo tanta spiritualis? Si deinde decori ratio, & rependendi beneficii quædam necessitas religiosos obligat ad preces, ac sacrificia hominibus, qui beneficio illos affecerunt, referenda; quid obtinere non poterit consecratio non modò suorum, sed & sui in usus Religionis ac fratrum Religiosorum? Accedit, quod omnes eâ mente religiosum institutum capessunt, ut animæ suæ rebus ac saluti consulant, ac proinde ut purgantes cruciatus communi fratrum ope, vel levent magnâ ex parte, vel omninò vitent. Quem in finem aliis ipsi prolixâ

voluntate,

voluntate, opportunoque precum auxilio sunt opitulati. Quamobrem ut jure quàm optimo mutuum ipsorum exspectant auxilium : ita illis negare perquam indignum est.

618. *Religio mundus.* Quam rem varia similitudine illustratum eo. Religionem bellè cum hoc mundo licet comparare. Placet autem ipsum cœtum Beatorum, cum illius Rege ac Regina, religionis cœlum dici, propter Solis Justitiæ, Lunæque mysticæ, & aliorum astrorum perennes in Religionem influxus. Porrò inter Religiosos, illi elemento ignis maximè repræsentantur, qui amore Dei flagrant, quo etiam reliquos incendunt. Aëri similes sunt mansueti, quippe ut aër omnibus sese leniter insinuat, cor refrigerat, atque hominem totum benè afficit : sic mites divinâ quadam suavitate, omnibus accepti, & intimi sunt, ac præfervidas iracundiæ alienæ affectiones temperant, totamque Religiosam domum mirificè reficiunt. Aquæ affines sunt, qui ex sensu pietatis, dolorisque de peccatis suis, alienisque concepti, ad lacrymas proclivi-ores sunt, quorum hæc sunt communia, cum Jeremiâ c. 9. vota : *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei*, ac morte æternâ confectos. Terra refert humiles, qui seipsos ad terram usque deprimunt, & amant ab aliis proteri ac conculcari.

619. *In ejus centro fratres mortui.* Sed si humiles & despecti per terram repræsentantur, centrum istius terræ mysticæ erunt pii manes, quia infra omnes habentur, neque verò aliis substerni refugiunt, modò ab hoc mundo mystico non separentur : atqui eos separari tam nefas est, quàm terræ centrum, ac subterranea loca à reliquis orbis partibus disjungi: Quemadmodum enim omni conatu vacuum fugit natura, ne qua pars Universi ab aliis divulsa, Solis ac cælestium orbium influxu privetur, & ordine Universi perverso reliquæ damnum patiantur, totaque mundi machina sensim solvatur : ita & centro mundi mystici à reliquis partibus disjuncto, totus ipse mundus paulatim defluet, Sole utique justitiæ, cæterisque benignis astris, virtutes suas in illum minimè influentibus. Nec enim Deus eam religionem amplecti, & gratiis suis fovere perget, quæ ærumnosissimos fratrum manes crudeliter obliviscitur. Atque ita mystici illius mundi elementa virtutes, ignis inquam, calorem sacri amoris, aer mititatis lenitatem, à qua humorem lacrymarum amittet, terra ipsa se loco submovens, contra fas & ordinem Universi supra cætera elementa ascendet.

620. *Religio mensa.* Est & altera non inconcinna religionis cum mensâ similitudo. Nam in eâ memoria recordatione beneficiorum Dei tum communium, tum propriorum : intellectus contemplatione, tum ejusdem Numinis perfectionum, tum operum planè mirabilium, voluntas divinis solatiis pascitur. Accedunt, & mirificè quoque delectant conscientiæ recti, exempla virtutum alienarum, silentii, pietatis, castimoniæ, humilitatis, & eiusmodi. At omnium ciborum princeps est divina Eucharistia, de qua canit Ecclesia sic exclamans : *O quàm suavis est Domine spiritus tuus : qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.* Quid quod ipse minister est Christus, Patris Sapientia, de qua dicitur Prover. 9. *Sapientia ædificavit sibi domum*, scilicet Ecclesiam, *excidit columnas septem*, nimirùm septem dona Spiritus Sancti, quibus Ecclesia innititur ; *Immolavit victimas suas* in sacrificio Missæ, *miscuit vinum, & posuit mensam suam*, nempe Religionem, in qua maximè vinum Sanguinis, & cibus Corporis Christi sumendus proponitur, *& insipientibus* mundi assecl*is locuta est, Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis, Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ cælestis.* Neque minister modò Christus in religionis paranda instruendaque mensa : sed & cibus est, non ille tantùm sacramentalis : sed etiam mysticus extra sacramentum seipso animam reficiens, quia dulcissimum est menti cibos illos in cruce amoris igne decoctos, ab eo jam immeritis maxima voluntate porrigi.

621. *Ex ea micas petunt fratres defuncti velut Lazari.* Quod si verò Religio mensa, eaque lautissima, quid agitis Religiosi, si quotidie ejus cibo saturi, pios è vestris fratribus manes ne micis quidem, *quæ cadunt de mensâ* vestrâ, impertimini ? si, inquam, nihil solatii illis submittatis ? nonne hoc ipso ostenditis, vel illos catellis, id est, sæcularibus, deteriori apud vos esse loco ? *Nam & hi catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensâ Dominorum suorum* ascetarum : vel vos diviti illi Epuloni crudelitate similes, *qui epulabatur quotidie splendidè, & erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, & nemo illi dabat* ? Certè enim per Angelos Custodes suos ac vestros, Lazari nostri ad januam cordis vestri jacent supplices, & nonnihil de mensa vestra sibi porrigi obnixè rogant. si igitur denegetis, non modò quæ vobis

liberæ,

liberæ, sed etiam quæ lege statutæ sunt preces, & sacrificia, veros sanè defunctorum cibos, nonne vos pœna manet illi similis, quâ Epulonis crudelitas castigata est? de quâ sic Christus Lucæ. 16. *Cùm esset in tormentis vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit, Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma: & dixit illi Abraham; recordare fili, quia recepisti bona in vitâ tua, & Lazarus similiter mala*, etiam à te per sævam avaritiam, *nunc autem hic consolatur: tu verò cruciaris.* In quem locum Lucas Tudensis lib. 1. cap. 3. contra Albigenses, *Extremum*, ait, *digiti tingere, est saltem minimo aliquo opere mortuos iuvare:* quod cùm infælici illi Epuloni propter ejus sævitiam meritò negetur; & vobis ô Religiosi precum & Missarum in fratres avari, meritò negabitur. Nam si extraneis cibum negasse eâ pœnâ dignum est, quantò dignius fratribus, & Lazaro quidem miserioribus, & obnixè petentibus recusasse? Sic ergo habetote, vobis pariter ardentibus, vel guttam aquæ denegandam esse.

622. *Religio est Regia Salomonis.* Præterea Religiosam domum cum Regia Salomonis conferre fas est. Ut enim in eâ structa erant omnia lapidibus pretiosis Cedrinisque tabulis. Sic Religiosa domus hominibus virtutum pretio ac fortitudine pollentibus constat, quibus cedrinam quoque incorruptionem gratia cælestis ac perennis conciliat. Ut etiam in ea Regia erat armamentarium, *in quo Salomon posuit ducenta scuta de auro purissimo*, 3. Reg. 10. Sic in Religione extat armamentarium, vel ipsa potius tota quoque armamentarium est armis aureis refertum: quia etsi aliis virtutibus contra hostes pugnatur; tamen aureæ charitatis laminis illæ vestiuntur, ac splendent, ipsaque maximè hostes animæ, licèt per alias virtutes, expugnat. Ut denique domus eadem Salomonica templo proxima erat, diximus enim superiùs exteriorem ejus partem ad atrium majus, nempe templi, pertinuisse: Sic Religiosa domus templo semper adjacet, sive quia numquam templo, vel sacrario caret, sive quia quisque religiosorum, ex quibus illa constat, templo ac precibus velut semper imminet.

623. *Ejus infimam tenent contignationem defuncti.* Quod si autem Religio, Regia Salomonis domus est, perspectum est Religiosos vitâ functos ad infimam ejus contignationem pertinere. Quemadmodum ergo basilicæ contignationes omnes cohærere oportet, & qui infimam ab aliis divellere velit, totam basilicam subruat, necesse est: ita nefas est fratres vitâ functos à vivis derelinqui. Quemadmodum etiam neglectâ contignatione inferiori superiores sensim labefient: ita neglectis piis fratrum manibus, & Præsides, qui supremam efficiunt contignationem, & subjecti, qui medias, à Deo qui omnes sustinet, neglecti, brevi dissolventur. Adde charitatem, domus hujus esse nexum, neque posse vivos inter se rectè conjungere, nisi & cum mortuis conjungat, quando eadem est ratio vinculi viventium cum mortuis, & viventium inter se. Jam quomodò Religiosi lapides pretiosi esse poterunt, quomodo marmoris instar firmi, ac fortes, si eâdem caritate careant, ex qua pretium ac fortitudo? Quomodo Religio armamentarium erit, & quibus hastis ac scutis instruetur, si Religiosi indictas à Præsidibus in gratiam fratrum mortuorum preces, vel denegent contumaciter, vel socorditer negligant, atque adeò obedientiam, aliasque assecias obedientiæ virtutes abjiciant, quibus velut armis adversus hostes depugnare solent? Quomodo præterea Religiosa domus, erit domus orationis, si etiam preces & sacrificia pro calamitosissimis constituta ab eorum fratribus ad id multiplici nomine adstrictis non persolvantur? Itaque eo pacto non jam Regia Salomonica, sed contumacium & malevolorum & barbarorum contubernium erit, & divinus ille Salomon, qui Religiosam domum in suam Regiam apparaverat, adeò deformatam illam videns, habitare non dignabitur, certè quidem turpitudinis ac labis illius authores aversabitur.

624. *Religio familia Christi.* Postremò Religio aptissimè familia Christi nuncupatur, siquidem Christus est illius caput, ac supremus præses. Præsides ipsi S. Petri primatum in ea repræsentant. Cæteri cæteros Apostolos, quippe veri Christi discipuli. Et sunt qui Joannis in sinu Jesu recumbentis delicias, rerum divinarum contemplatione experiuntur. Sunt qui filios tonitrui divinæ gloriæ ardenti sonoroque inter pulpita zelo referunt. Sunt qui cum Thomâ dicunt nec inaniter, *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Sunt qui cum Philippo & Andreâ Gentiles videndi Jesu studiosos, ad illum, illiusque fidem adducunt. Sunt qui cum Jacobo Minore fratres Domini, ob morum & indolis cum Christo similitudinem, merentur appellari. Omnes sanè cum Petro, ac reliquis Apostolis ita quærunt, Domine *quò ibimus, verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei.* Est enim religiosus

 status

ſtatus indiſſolubilis & permanens, cujus prima baſis eſt fides in Chriſtum, qui centuplum, ac vitam æternam ejus aſſeclis promiſit. Omnes quoque cum iiſdem omnibus dicunt, *Ecce nos reliquimus omnia*, etiam licitas alioqui carnis voluptates, & ſecuti ſumus te, ut tibi obſequamur Apoſtolorum inſtar, quos obedientiæ voto ſeſe obligaſſe credibile eſt, ut hac etiam in re perfectionis culmen attingerent.

Fraudatores ſuffragiorum Iuda ſimiles.

Verùm enimverò ſi Religioſi de familia Chriſti, ſi & Apoſtolis multis rebus ſint ſimiles, illi ex Religioſis qui fratres vitâ functos injunctis ſacrificiis ac precibus fraudant, nonne magis ad Judam, quàm ad quemquam alium Apoſtolorum accedunt? Quemadmodum enim ſpurius ille Apoſtolus *fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur* Chriſto, portabat ac ſubripiebat: ita hi quæ vel à Religione, vel à Præſidibus Chriſto in membris ſuis, eorumque fratribus, patienti in Purgatorium mittuntur, retinent, & illis velut eripiunt: digniſſimi profectò qui indictis addictisque ſibi ſacrificiis priventur, *væ qui prædaris, nonne & prædaberis?*

Pars tertia.

Exemplis ea indignitas oſtenditur.

625. Carthuſiani.

Quod ſi reprehenſione noſtra parum moventur, moveantur ſaltem ipſarum animarum gemitibus, & increpatione. Erat Dionyſius Carthuſianus ſui temporis tamquam oraculum, propterea ad eum conſulendum plurimis confluentibus vix tempus illi reſtabat ſuarum precum penſis expediendis: Interea Ruremondæ, ubi degebat, diem ſuum obiit quidam Novitius, cui Dionyſius ſe pro ejus animæ levamento Pſalterium integrum bis recitaturum pollicitus erat; ſed cùm adeuntium conſulentiumque frequentiâ detentus promiſſum differret, defunctus ei coram ſe ſiſtens, promiſſi dilati arguit: Excuſaturus erat occupationes Vir ſanctus, ſed repente obrigeſcens, verbum effari nequiit, itaque agnovit primam ac cæteris anteponendam occupationem eam eſſe, qua debita ac promiſſa piis manibus perſolvantur. Aliàs eidem Donatus quidam mortuus, ſic fratres Laicos vocant, expletis nocturnis laudibus videndum ſe objiciens, graviter queſtus eſt de fratrum Cœnobii ſui infidelitate quippe debita ſibi ſuffragia negligentium.

Fiſen. in Flor. Eccl. Leod.

Dominicani.

R. P. Staniſlaus Kolcocha Dominicani Ordinis in Polonia lumen, circa puteum noctu deambulans, globos precatorios percurrebat, cùm quemdam audiit velut è putei fundo graves ac miſerabiles ſingultus emittentem, ratus aliquem è fratribus in eum fortè delapſum, iterum iterumque compellavit, at nemo reſpondit. Interea repetebantur ejulatus: Ille ſuſpicatus malum genium illic inſidias ſibi, vel alteri meditari, crucis formulâ fronti, ori, & pectori impreſsâ, interpoſito Dei nomine juſſit eum, qui gemeret, edicere nomen ſuum, cauſamque ejuſmodi latebrarum: Tum hæc audiit; *Anima ſum illius fratris, qui nuper deceſſit, poſt vitam haud ſatis religiosè exactam. Hoc in puteo divinâ voluntate purgantes pœnas perpeti juſſa ſum. Si miraris me gelida in aqua flammis aduri, recordare Paſchaſium illum Vrbis Diaconum in balneo pariter purgatum. Mitto cæteras mihi eluendas maculas, hoc unum tibi ſignifico, velímque aliis deſidioſis renunciatum, hîc me igne cremari, propterea quòd pro anima fratris vitâ functi conſuetas è pſalterio preces non exolverim.* Sic illa. Prætereo ego quæ de pœnæ gravitate addidit, ejuſmodi nimirùm eſſe, ut ignis noſtratis acerbitas inſtar auræ tenuis præ illâ videri poſſit: quod etiam ſuperius inſinuatum eſt.

Neque verò virtus, ac ſanctimonia decedentis retardare debet ab orationibus, aliisque charitatis in defunctum officiis: Id quod hoc exemplo perſuaderi cuivis poteſt. Ita enim narrat Wadingus in Annalibus Minorum ad Annum 1289. In Conventu Salmanticenſi deceſſit frater Angelicus, ita dictus ex Angelica converſatione. Debebant ſinguli ex conſtitutione Sodalitii, & præſertim illius Cœnobii, ſua offerre ſacrificia pro refrigerio defuncti. Sed eos qui Præſbiteri erant, ter oportebat pro eodem ſacrificare. Inter hos erat actu Regens Vir bonus, qui tantam conceperat de homine opinionem, ut ſuffragio nullo indigere exiſtimaret, & proinde neglexit Sacra offerre. At meditanti apparuit mortuus poſt paucos dies, rogans ut ſui miſereretur. Quid, inquit, frater chariſſime, eſt quo indigeas? Tuis, reſpondit, precibus & ſacrificiis, acerbas namque pœnas patior in Purgatorio, à quibus liberarer, ſi tuæ illæ Miſſæ non defuiſſent. Quare obnoxius oraverim, ut quantocyus his Sacris me illis ſubtrahas tormentis. Itanè, ait Magiſter, durè tecum actum: quem nos ob manifeſtam pietatem putavimus eſſe in loco quietis & refrigerii? Ah! me miſerum, dixit defunctus, nemo mortalium intelligit, quàm rigoroſum ſubeunt judicium, qui ex corporibus abeunt, ſtrictè punit

Franciſcani.

„ punit Deus errores, neque ulli licet sedes „ Beatorum ingredi, nisi purè defæcato, & „ perfectè purgato. Præstitit statim Magi„ ster cum lacrymis, quod bonâ fide prius „ neglexit, neque quæ pro defunctis offerre „ debebat, amplius omisit. Hactenus Wadingus.

626. *Epilogus adjuvandos Religiosos mortuos.*

Quæ cùm ita sint, sive multiplici nec modicâ rei indignitate, sive fratrum mortuorum gemitibus, sive pœnæ metu impulsi reddite defunctis debita suffragia, ô viri Religiosi: & citò reddite. alioqui enim Patrum ac fratrum nomina deponenda vobis sunt, si filios vestros, ac meliori generatione fratres, aut vestro subsidio destituatis, aut illud procrastinetis. Quippe de quibus illud Psalmistæ verè conqueri possint, *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me*; item illud, *Qui iuxta me erant, de longe steterunt*, nempe oblivione mei, & ingratitudine. Quibus etiam competat hoc Jobi. *Dereliquerunt te propinqui tui, & qui noverant te, obliti sunt tui.* Quamobrem id omnibus persuasum esse velim, ut potius aliquid addant indictis communiter pro fratrum levamento suffragiis, & insuper cùm primùm licet, & salus desperata est, etiam ante eorum obitum, justa illis persolvant. Et verò novi ego qui pacto inito duodecim pro mortuis sodalibus sacrificia faciunt. Sunt etiam, qui Patribus ac fratribus, quibuscum habitavere, plusquam cæteris favent. Et quis ambigit, quin Præsidum curæ, Magistrorum studia, Patrum spiritualium, ac Confessariorum labores, ac benevolentia, singulare aliquid à nobis exigant? Cæterùm superstites omnes singulis ac universis Patribus ac fratribus sui Ordinis ita suffragari oportet, ut intelligant vitâ functi se etiam in Purgatorio centuplum à Christo promissum accipere: Centuplum, inquam, suffragiorum, quæ opibus suis, in sæculo, si mansissent, sibi procurassent.

CAPVT TERTIVM.

Perquàm honestum, & laudabile est Defunctis auxiliari.

PRÆFATIO.

EXposita subsidii in pios manes ferendi necessitate, subnectimus honestatem. hæc enim post necessitatem bonos ac pios homines, quibus utique scribimus, maximè movere debet ad officium, atque adeò ad opem, quam suademus, urgere, præsertim cùm eximia sit, atque ex purissimo fortissimoque in Deum amore promanare solita, ut ex dicendis liquidò constabit, Verùm sensim hîc agendum, & quod in ædificiis assolet, fundamentum totius hujus disputationis principio est jaciendum.

ARTICULUS I.

Majoris est meriti satisfactionem suam defunctis applicare, quàm sibi retinere.

§. 1.

Explicatur Decisio.

627. *Evidens est vulgò præstare satisfactiones suas dare defunctis.*

BIFARIAM intelligi potest hæc decisio. Primùm ut aiunt, regulariter, sive ordinariè: deinde presè, atque simpliciter cæteris paribus. Ac priori quidem sensu perspectum est, præstabilius esse, atque adeò majoris meriti, satisfactionem suam defunctis addicere, quàm sibi retinere. Etenim qui eam sibi retinent, vel retinent negativè, id est, aliis non addicunt, quo posito illorum manet, quia sequitur

per se opus bonum, atque adeò benè operantem. Talis autem retentio nihil laudis, aut meriti habet, cùm sit mera negatio. Vel retinet positivè eam sibi applicando ad expungendas peccatorum obligationes, ac pœnas in Purgatorio alioqui luendas: qui finis abjectus est, & humilis: & esse solet peritiorum quidem, qui satisfactionum vim norunt, attamen tepidorum, cùm pœnarũ metu non ausint satisfactiones suas in defunctos transcribere: Etsi agnoscant transcribendo se fore Deo gratiores. At verò qui satisfactionem suam in vitâ functos transcribunt, etiam rudes, & illitterati, ex intimo misericordiæ, aut pietatis affectu in eos transcribunt. Quis autem ambigat, quin longè laudabilius sit, ac proinde amplioris meriti, duci amore ac misericordiâ ad quippiam aliis donandum, quàm metu pœnæ ad idem reservandum sibi? Enimverò illud regium est, & regiæ caritatis, hoc servile & infimum. Quare id statuendum velut evidens atque exploratum, ut plurimùm, & ordinariè longè præstare satisfactionis suæ lytrum fidelibus mortuis largiri, quàm sibi retinere. Jam si pressiùs philosophari velis, & cætera paria ponere, nimirùm reservationem satisfactionis ex casto Dei amore procedere, ut & donationem, aio, hac etiam ratione donationem reservationi præponderare, atque adeò amplioris meriti esse, idque multiplici argumento confirmo.

§ 2.

Probatur auctoritate.

628. *Imo etiam cæteris paribus probatur auctoritate C. de Lugo.*

IMPRIMIS satis illud constat authoritate Scholasticorum. Sic enim disertè tenet Eminentissimus Cardinalis Joannes de Lugo de Pœnit. Disp. 26. sec. 1. verba annumero. *Quinta difficultas esse potest, utrum sit melius applicare suffragium defunctis, quàm sibi retinere. Videtur enim magis expedire hoc secundum, quia ordo caritatis petit, ut nos magis diligamus quàm proximum; Respondetur tamen laudabilius esse primum, scilicet applicare defunctis, quia in his damnis temporalibus laudabile est ea subire propter proximum, ut suppono ex 2. 2. q. 26. Hoc enim fiat, quod nos simpliciter magis diligamus, cùm in rebus æternis nos præferamus omnibus aliis.* Hæc Lugo, qui ut ex terminis apparet, rem hanc satis evidentem censet, & propterea breviter, & sine controversia tractat, *vir* alioqui, ut testatur Palavicinus in proœmio ad ejus consilia, *qui nemini ætatis suæ, vel ingenii acumine, vel iudicii soliditate concedit.* Ut autem constet eum in ea sententiâ omninò ac semper sibi constitisse, audi quid scribat Trac. de Incar. disp. 5. sec. 8. nam. n. 148. sic habet, *Sed antequam secundã conclusionis partem probemus, obiicitur primò. Gratia de facto dignificat opera hominis iusti ad condignè satisfaciendum pro pœnâ alterius, & prudenter communicatur hæc satisfactio alteri, licet ipse, qui satisfacit, indigeat sibi illâ satisfactione, ergo posset etiam applicare meritum cum aliqua sua iactura: Respondeo negando consequentiam: nam per applicationem satisfactionis non patitur homo iacturam æstimabilem, est enim iactura rei temporalis, quæ abundè compensatur per misericordiam, quam exercet cum proximo, & per augmentum gratiæ, quam per hanc misericordiam meretur, sicut etiam homo famelicus potest prudenter sibi panem auferre, & esurienti dare.* Hactenus ipse. Unde habemus, & fundamentum solidum sententiæ nostræ, & solidam responsionem ad unicum objectum cujusdam neoterici situm in ordine charitatis.

Gradatim procedo, & Cardinali Lugoni subjungo magnum Suarium, quem à nobis stare, nullo modo ambigendum est. Siquidem in 3. P. disp. 48. sec. 2. sic disertè. Congruum fuit ut unus posset alteri communicare suam satisfactionem, quia hoc non repugnat ordini propriæ caritatis, cùm ob eam rem homo nullum essentiale detrimentum patiatur in his quæ ad propriam bonitatem, vel ad beatitudinem pertinent, nam ad summum potest ob eam causam aliquo tempore detineri ab ingressu beatitudinis, & aliquam graviorem temporalem pœnam sustinere, quod superabundanter compensatur ipso usu caritatis, quæ in communicatione propriæ satisfactionis exercetur, & essentiali præmio, quod illi respondet apud Deum, quod multo majoris momenti est ut per se constat. Et infra, Inde fit, ait, ut ex satisfactione pro alio augeatur potiùs meritum essentialis præmii cæteris paribus, quia augetur opus caritatis in qua præcipuum meritum fundatur. Hæc Suarius. Ex quibus clarissimè intelligis caritatem applicantis suas satisfactiones *superabundanter compensare* fructum illarum sibi reservatarum, & cæteris paribus augere meritum, ac proinde majoris esse meriti, quàm reservationem. *Suarii.*

His annectere possum Doctorem Angelicum ac Seraphicum, & Magistrum sententiarum, qui censent, Paulum de temporali jacturâ beatitudinis locutum, *D. Thomæ.*

cùm

cùm dixit, *Se voluisse anathema esse à Christo pro fratribus suis.* Sed juvat D. Thomam audire: hic igitur 2. 2. q. 27. a. 8. ad. 1. sic ait. *De illo Apostoli dicto potest dici, quod dicit Chrysostomus l. de compunctione, quod per hoc non ostenditur, quod Apostolus plus diligeret proximum, quàm Deum, sed quod plus diligeret Deum, quàm seipsum, volebat enim ad tempus privari fruitione divinâ, quod pertinet ad dilectionem sui, ad hoc quod honor Dei promoveretur in proximo, quod pertinet ad dilectionem Dei.* Hæc ipse. Ex quibus planum est temporalem privationem beatitudinis eligere, ut honor Dei in proximo promoveatur, atque adeò ut satisfactio nostra defunctis applicata eos cœlo inserat, honorem Dei ope nostrâ promoturos, esse magis diligere Deum quàm seipsum, atque adeò pertinere ad perfectionem caritatis; non igitur esse contra ejus perfectionem. Alter locus D. Thomæ sumitur ex l. 3. contra Gentes cap. 138. prope finem ubi sic habet; *Affectio caritatis in eo, qui pro amico patitur, facit satisfactionem magis acceptam, quàm si pro se pateretur, hoc enim est prompta caritatis, illud autem est necessitatis*; ubi nota ex mente D. Thomæ ita pati pro alio, esse suam satisfactionem alteri applicare: cùm ergo pati pro alio ex mente S. Doctoris, sit Deo absolutè acceptius, quàm pati pro se, etiam erit eidem gratius, & laudabilius satisfactionem suam alteri applicare, quàm sibi retinere.

Denique ut supponit de Lugo, & Docent communiter Doctores, potest ex ordine caritatis subiri propter proximum, damnum aliquod temporarium, etsi spirituale, quale est temporaria beatitudinis jactura, cùm hæc misericordiæ mercede, quæ æterna est, satis superque compensetur.

§ 3.

Probatur idem ratione.

629. PRIMO. Quia transcribens suas satisfactiones cedit triplici lytro. Primum est lytrum pœnæ sensus, sive ignis: Secundum est lytrum pœnæ, seu tristitiæ, quæ oritur ex mora visionis Dei: Tertium est lytrum ipsius moræ, seu jus ad celeriorem visionem. Quantum ad cessionem primi ac secundi lytri attinet, clarum est eam utramque esse maximæ caritatis, si seorsim spectetur. Et sanè si cruciatus lustralis solus sine retardatione visionis Dei Purgatorium constitueret, nemo non apertè videret majoris esse caritatis dare, quàm sibi reservare suas satisfactiones. Tantum igitur nunc quærendum de cessione juris videndi Deum citiùs, an sit majoris meriti, quàm ejusdem reservatio. Et ego quidem licet gratis concessero cæteris paribus cessionem illius iuris minus esse è perfectione caritatis, minorisque meriti, quàm eius reservationem, quia cæteris paribus præstat, ut ego Deum brevi videam, quàm alius; tamen in proposito ostendo evidentur, meo quidem iudicio, planè aliter esse sentiendum. Etenim caritas cedentis primo ac secundo lytro, seu caritas parati pœnam ignis & tristitiæ pro defunctis ex amore Dei tolerare, distat ab amore sui nolentis tolerare, quantum summa caritas à non caritate, adeoque incomparabiliter distat: at caritas sibi potius, quàm proximo optantis celerem Dei visionem, ad summum, & probabiliter tantùm, distat à caritate proximo optantis eamdem celerem Dei visionem, tamquam caritas mediocris à suppare; ergo transcriptio satisfactionum, quæ cessionem illam triplicis lytri, seu caritatem triplicem in se continet, plus excellentiæ caritatis continet, quàm earumdem reservatio, quæ solam in se habet caritatem præoptantis sibi, quàm proximo celerem Dei visionem. Itaque omnibus istis consideratis, satis videtur patere maioris meriti esse transcribere suas satisfactiones ex amore Dei, quàm illas ex eodem sibi reservare.

Probatur 2. Quia magis est ex ordine, & perfectione caritatis hic actus, *Volo ad tempus privari beatitudine, & amore Dei puro, ut exerceam opus misericordiæ per se meritorium beatitudinis amplioris, amorisque maioris, & æterni*, quàm iste actus, *Malo mihi beatitudinem, & amorem beatificum temporarium, quàm alteri*: quia caritas longè magis inclinat ad bonum subiecti sui maius, & æternum, quàm ad temporium; atqui prior actus exercetur à transcribente suas satisfactiones, posterior à reservante; ergo transcribere illas magis ex perfectione caritatis, quàm reservare. minor probatur, quia transcribens ideò cedit iure suo ad accelerationem beatitudinis, ut exerceat opus misericordiæ in defunctos, quod novit esse summæ meritorium gloriæ, amorisque beatifici æterni; reservans autem etiam ex amore tantùm eò fertur, ut citiùs Deum videat, ametque citiùs amore puro ac beatifico.

Confirmatur ex facto S. Pauli positâ interpretatione Angelici Doctoris. Item ex facto S. Martini, & S. Ignatii, & aliorum plurimorum. Etenim in confesso est apud omnes S. Paulum fecisse ex perfe-

ctione caritatis, dum *volebat esse anathema pro fratribus suis secundùm carnem*: anathema autem esse secundùm D. Thomam, est privari beatitudine suâ ad tempus: ergo est ex perfectione caritatis velle illa privari ad tempus, ut exerceas misericordiam spiritualem in fratres, ergo etiam ut illam exerceas in defunctos, hæc enim est etiam magna. Cur autem factum Pauli est è perfectione caritatis, nisi quia talis misericordia postponebat beatitudinem suam temporalem liberationi fratrum à summis miseriis? ergo & postpónere beatitudinem suam temporalem liberationi defunctorum à maximis miseriis, erit ex perfectione caritatis.

Probatur 3. Quia illa dilectio est perfectior majorisque meriti, quæ est magis appretiativa Dei, ultimi nimirùm finis: atqui applicatio procedit ex tali dilectione, ergo. major constat, probatur minor, quia illa dilectio est magis appretiativa Dei, quæ illius gratiâ ad plura & difficiliora media se extendit: nam ideò dilectio statuentis vitare Dei causâ etiam venialia, magis appretiativa est Dei, quàm dilectio statuentis vitare sola mortalia, quòd prior ad plura & difficiliora se extendat, quàm posterior (& similiter dicendum de dilectione, quæ extendit se ad consilia) atqui dilectio Dei, quâ quis propter eum abdicat se satisfactionibus suis, ut eas donet defunctis, ad plura & difficiliora se extendit, quàm ea, quâ quis eas sibi reservat, ut certum est, nam præterquam quòd per se æquè fertur ad Deum purissimè in cœlo amandum, & nisi misericordiæ Dei causâ exercendæ occasio se præberet, quantocius ad cœlum aspiraret, insuper eâdem Dei causâ exponit se periculo manifesto tolerandi pœnas Purgatorii, eas, inquam, pœnas quibus se per illas satisfactiones sibi reservatas eximeret. Quod periculum meritò æstimare potest, ac debet in tantâ raritate eorum qui rectà cœlum conscendunt; quâ positâ satis intelligit se iis satisfactionibus quas defunctis largitur, opus habiturum.

Dices: magis congruit caritati procurare mihi beatitudinis accelerationem, quàm alteri: atqui per reservationem satisfactionum procuro mihi beatitudinis accelerationem, per earumdem autem in defunctos transcriptionem procuro illam alteri: ergo. Probatur major, quia procurando mihi beatitudinis accelerationem, procuro mihi actus visionis, & amoris beatifici, quibus magis placeam Deo. Respondeo distinguendo majorem, ejusque probationem: cæteris paribus transeat. arbitror enim contrà, magis congruere caritati, ut viro sancto optem & procurem beatitudinis accelerationem, quàm mihi, quia hoc ipsum est velle majorem Dei laudem & gloriam, adeoque est cõformare se voluntati divinæ: sed datâ majore cæteris paribus, nego magis congruere caritati mihi procurare accelerationem beatitudinis, & amoris beatifici, non exponendo me periculo tristitiæ, & flammarum, sed potius eis me subtrahendo, quàm procurare alteri eamdem accelerationem exponendo me tali periculo: quia exponere me tali periculo, ut alter Deum laudet, ametque amore beatifico, est ostendere me maximi Deum facere, cùm ejus laudis & amoris beatifici causâ paratus sim tanta tormenta subire, adeò ut propterea summum & æternum gloriæ pondus merear, quod longè superat beatitudinis meæ accelerationem.

§ 4.

Idem probatur ab absurdis ex contraria sententia consequentibus.

PRIMO consequitur aliquem prudenter, & ex perfectione caritatis facturum, si neglectis etiam parentibus, consanguineis, & amicis defunctis, omnem suam satisfactionem liberam sibi reservet: ac proinde melius, & ex perfectione caritatis, Deoque gratius fore, si patre ac matre mortuis, Sacra sibi libera suâ causâ potius, quàm illorum fieri curet, jejunia, eleëmosynas, & omne opus satisfactorium sibi soli attribuat, denique per integrum vitæ tempus defunctorum immemor vivat. Quia si eorum meminerit, feretur ad opem illis ferendam; quam præstaret, essetque meriti amplioris eam sibi reservare. Consecutio clara est, quia nemo prudenter iudicabit se debitorum immunem, & Purgatorio minimè obnoxium decessurum è vitâ; cùm sciat etiam Sanctos illi addictos fuisse: ergo nemo prudenter iudicabit fore, ut omni satisfactione suâ non indigeat: ergo si interpositâ conditione talis indigentiæ, satius est satisfactionem sibi retinere, & si pugnat contra ordinem ac perfectionem caritatis aliis eam communicare, etiam parentibus, fratribus ac consanguineis, nemo prudenter quidquam suæ satisfactionis illis communicabit; sed sibi totam reservabit. Id verò quàm sit absurdum, quàm defunctis iniurioſum, nemo non videt. Certè non arbitror quemquam ita secum agi velle ut mortuus à 630.

vivis

vivis planè deferatur.

Consequitur 2. Angelos, homines beatos, animasque ipsas Purgatorii non rectè agere, dum satisfactiones petunt, saltem eorum, qui eas sibi alioqui applicarent. Applicarent enim sibi cum majori merito, quamobrem eas ab iis petere, est velle eos suâ causâ damnum subire, & quidem æternum ac summum: quod sanè non cadit in illos, nam & animæ ipsæ contra honesti leges peccare nequeunt: multò minus velle juvari cum tanto juvantium damno.

Consequitur 3. minus rectè facere Concionatores, quando exhortantur ad opem defunctis exhibendam: sed rectiùs facturos, si auditores impellant ad retinenda sibi, quæ defunctis communicare decreverunt. Sequela probatur: quia Christiani retinerent sibi suas preces, & suffragia, si scirent id sibi satius, majorisque esse meriti, & Deo gratius, præsertim cùm ad id sponte satis ferantur. Nam quemadmodum qui cæteris paribus matrimonium potiùs, quàm virginitatem suaderet juveni, aut puellæ hanc potius, quàm illud sua sponte amplexuræ, non rectè ageret, quia cæteris paribus virginitas majoris est meriti, quàm matrimonium; ita si esset majoris meriti sibi retinere, quàm defunctis elargiri suas satisfactiones, malè consuleret Concionator auditoribus, si paratis sibi potiùs, quàm defunctis eas addicere suaderet, ut defunctis illas addicerent.

Consequitur 4. neque à Religiosis, neque ab aliis purè Deum amantibus rectè postulari Sacra, oblato stipendio, si putetur alioqui pro se sacrificaturos, uti facerent illi, qui quotidie ex regula sacrificant; quia malè petas ab aliquo, etiam oblato præmio, ac mercede, ut relicto eo quod est maioris meriti, & per se magis aucturum gratiam ut meâ causâ faciat, quod est minoris, minusque gratiam aucturum. v. g. non rectè orarem aliquem, ut meâ, vel alterius causâ repudiet augmentum suæ sanctitatis, perfectionem caritatis, ad exercendum opus minoris caritatis, etsi ego ex câ electione possim multum in sanctitate proficere, quia sic positivè retardarem illum à perfectione, quod malum est.

Consequitur 5. non rectum hactenus fuisse sensum communem fidelium, nam quisque existimat se laudabilius facere ac feciisse addicendo satisfactiones, & preces suas defunctis, quàm sibi reservando. Et profectò nemo Christianorum hactenus, quando aliquid dat, aut facit in gratiam defunctorum, interponit illam conditionem; Do, aut facio pro illis, si Deus prævideat fore, ut ego ipse non indigeam; alioqui mihi reservo, quia id perfectius. Dicere autem, omnes hactenus Christianos, etiam Doctores Theologos, mysterium ac conditionem illam cujuspiam neoterici ignorasse, aut noluisse ex perfectione charitatis agere hoc in genere, ego quidem numquam adducar, ut credam. Potiùs arbitrabor eos aliter existimasse. Cujus opinionis produximus testes Suarium, & Lugonem, sine controversiâ asserentes absolutè majoris meriti esse transcribere defunctis suas satisfactiones, quàm sibi reservare; etsi fututum sit ut propter illam donationem privandus sis ad tempus fruitione beatitudinis, & igne cruciandus: produximus etiam D. Thomam cum cæteris, qui censent potuisse ex perfectione charitatis à D. Paulo eligi beatitudinis privationem temporalem ut converteret Judæos. Mitto SS. Gertrudem, Liduinam, PP. Mouroyum, Fabricium, Hentinum, aliosque non modò aliquas, sed omnes, vel plerasque satisfactiones defunctis addixisse.

Dices primò etsi actus caritatis nobilior sit actu fidei & spei, non sequitur prudenter acturum, qui actus fidei, & spei tota vitâ omittat, ad exercendos actus charitatis. neque sequitur Concionatores perperam illum exhortari ad exercendos actus fidei, & spei; ergo similiter, etsi in sententiâ adversariorum nobilius sit sibi reservare suas satisfactiones, quàm defunctis dare, non sequitur in ea sententiâ prudenter acturum, qui nullas totâ vitâ daret defunctis. Respondeo negando antecedens quoad utramque partem, si agatur de actibus fidei & spei seorsim sumptis. Nam qui determinatus esset ad exercendos actus caritatis, quæ summi est pretii, malè ab illis abduceretur ad actus meræ fidei aut spei, qui minoris sunt pretii. Sicut mercator imprudenter ageret, & perperam abduceretur à lucro justo duplionis hispanici ad luctum teruncii.

Dices secundò. Etsi orare D. Virginem sit nobilius, quàm orare S. Franciscum, non malè seu non imprudenter ageret, qui oratione ad D. Virginem sepositâ oraret S. Franciscum; ergo. Respondeo orationem ad D. Virginem esse quidem nobiliorem ex objecto, non tamen per se majoris meriti: uti in sententiâ Adversarii caritas reservans satisfactiones: Sicut ergo malè suadeas matrimonium determinato ad virginitatem cæteris paribus: ita & in sententia istâ malè suadeas donationem satisfactionum.

§ 5. *Disser-*

§. 5.

Dissertatio R. P. Franciſci Veckeni è Soc. Ieſu, Theologi Alexandri Papæ ſeptimi, quâ noſtra ſententia comprobatur amplioris eſſe meriti defunctis, quàm ſibi ſuas ſatisfactiones addicere.

631. CUM eam poſitionem pro meâ tamquam diſcipuli facultate ſtabilire conatus eſſem, intelligens rei momentum, maximè quòd noſter Arriaga neſcio quâ mentis inductione contra torrentem ſeſe objiceret, judicavi eximii Doctoris manum auxiliatricem, Franciſci, inquam Veckeni Soc. JESU Theologi clariſſimi, ſcriptum hac ſuper re mihi expoſcendum eſſe; qui pro ſua ſingulari in pios manes caritate, in hæc verba mihi reſcribere dignatus eſt.

1. Accepi Reverentiæ veſtræ litteras in pia cauſa ſanctarum animarum, quibus idcirco lubenter ſatisfaciam; haud tamen longiori tractatu, quo res non videtur egere, ſed breviori, ac fere epiſtolico diſcurſu.

Petit igitur Reverentia Veſtra, quid ſentiam ſuper quæſtione mota à Roderico de Arriagâ Theologo recentiore, Tom. 5. in 2. 2. diſp. 4. ſec. 2. Utrum ſit majoris meriti applicare pro Animabus Purgatorii, aliiſve viventibus propriam ſatisfactionem, quàm eam pro ſe retinere: Quid deinde videatur de opinione iſtius Theologi, id quod quæritur, reſolventis in partem negantem.

Quod attinet ad primum, idem fere ſub termino actus Deo magis grati ac glorioſi, propoſitum mihi fuit ante annos ſedecim ab Illuſtriſſimo tunc, ac Reverendiſſimo Domino, D. Fabio Chiſio, Epiſcopo Neritonenſi, Nuntio Colonienſi, nunc Alexandro Septimo Pontifice Opt. Max. idque occaſione Patris Hernandi de Monroy è Societate noſtrâ, quem legerat apud Nierembergium in Opuſculo de Purgatorio, ea ſuffragia quæ ſibi poſt mortem applicarentur, reſignaſſe ſcripto in alias animas.

2. Reſpondeo autem, ſicut & tunc reſpondi, cæteris paribus, melius, Deoque gratius, & glorioſius, atque adeò in vita præſenti magis meritorium fore, ſi quis abdicet à ſe ſatisfactiones ſuas pœnales, & applicet aliis, & præſertim animabus Purgatorii, quàm ſi hiſce præteritis eas retineat ſibi; pro cujus aſſertionis authoritate abundè ſufficit communis ſenſus Chriſti fidelium, haud aliam ob cauſam ſuas ſatisfactiones & indulgentias applicantium defunctis, quàm quia id fore Deo gratius, ſibique ſalubrius arbitrantur. Quam eorum opinionem non reprobant Eccleſiæ Prælati, ſed potiùs exhortationibus ſuis, & erectis talium ſuffragiorum Sodalitatibus approbant, & commendant. Quin etiam Pontifices variis gratiis & privilegiis Sodalitates illas in Italia & Germania inſtitutas proſequuntur, quæ fortè eſt cauſa, cur hactenus Theologi veritatem iſtam, ut vulgò notam certamque ſupponentes, ante illum Recentiorem vix attigerint, & in dubium revocarint. Inter eos verò, qui quæſtionis meminere, eam pro nobis expeditè reſolvit Cardinalis de Lugo de Sacramento Pœnitentiæ diſp. 26. n. 16. ſec. 2. Suarez verò ibidem diſp. 48. ſec. 2. n. 14. & 17. illud univerſim ponit fundamentum, unde id quod dicimus, evidenter ſequatur. Addeſapientiſſimum tunc Theologum, nunc Theologorum omnium verticem, ac Magiſtrum, quem n. 1. ſupremo in terris titulo compellavi; Is enim lecto P. Hernandi exemplo, pro generoſo ſuo animo tam heroicæ reſolutionis ſpecie captus, mox ad me reſcripſit in hæc verba. *Proh! Quàm placuit Patris illius hoc conſilium, quo ſibi ſuffragia oblata poſt mortem præſtanda, vivens aliis addixit.*

Probari meo quidem judicio haud ineſficaciter id poteſt ex Machabæorum 2. c. 12. v. 46. unde communiter contra hæreticos ſuffragiorum noſtrorum pro defunctis efficacia probatur. *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* factum enim, & exemplum nobiliſſimum Pontificis & Eccleſiæ illius temporis ibidem non ſimpliciter narratum, ſed per Spiritum Sanctum à ſanctitate & fructu ſalutari commendatum, haud vulgarem tantum approbationem, qualis eſt matrimonii (cui Recentior talia æquiparat) ſed ſingularem laudem, qualem virginitas, cæteraque quæ ſunt conſilii, adeoque de meliori bono paſſim referunt, rem benè expendentibus ſonat. 3.

Verùm ut procedamus ratione, quamvis juxta ordinem caritatis debeamus nos ipſos aliis præferre in bonis æternis, divinam gratiam & beatitudinem noſtram eſſentialem concernentibus, inſignis tamen, ac ſummopere commendandæ eſt caritatis, atque miſericordiæ, bona temporalia (tametſi ſpiritualia) eum in finem, non neceſſaria abdicare nos à nobis, ut proximo indigenti ſuccurramus, uti docent 4.

cent communiter Theologi in 2. 2. ad q. 26. ar. 4. In præsenti autem non agitur de divina gratia, & gloria æterna, sed de temporali tantùm redemptione pœnarum, ergo in hac poterimus cum summâ laude anteponere nobis proximum, ac præsertim eas animas, quæ in expiatoriis flammis miserè cruciantur, earumque gratiam absque nostris suffragiis consequi ordinariè non possunt. Harum dignitatem, cæterasque conditiones, quæ meritò nos ad commiserandum commoveant, satis describunt Animarum patroni, vel apud ipsum Recentiorem sub sectione 1. n. 23. rhetoricè quidem, ut ait, sed verè. Nulla suada potentior, quàm aperta veritas. Quam quomodo non elidat exceptio animæ propriæ in simili statu aliquando constituendæ, videbitur n. 6.

5. Confirmatur à simili; Æquè differtur gloria per longiorem commorationem in vitâ mortali, atque per diuturniores moras in Purgatorio; ab eximiâ tamen caritate commendantur Sancti, qui ob proximi necessitatem, vel utilitatem, desiderarunt protrahi sibi hanc vitam præ acceleratâ possessione beatitudinis: ita Apostolus ad Philippenses 1. v. 23. quamvis *cuperet dissolvi*, & Christo frui, quòd *id sibi melius*, sive commodius, atque jucundius fore agnosceret, resolvit se tamen ad permanendum in carne, & laboribus Apostolicis insistendum, considerans id fore è proximi bono, quod tantis suis utilitatibus, quantumvis spiritualibus, præferebat. Videri poterit Cornelius in dictum locum, & apud eum Chrysostomus, qui putat optionem à Deo datam S. Paulo seu tum moriendi, & regnandi cum Christo, seu supervivendi in incerto salutis, & Paulum ob lucrum animarum id posterius elegisse. Notum est insuper illud S. Martini: *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*; neque abs re est, quod discipuli hoc ei persuasuri adferebant, *Cur nos Pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis: Scimus quidem desiderare te Christum, sed salva sunt tibi tua præmia, nostri potius miserere, quos deseris.* Quæ querela quàm rectè quadret in animas, de quibus agimus adversus avertentes suffragia, majoris, ut aiunt, perfectionis causa, videbimus paulò post: interea minimè prætereundum, quod in officio S. Ignatii fundatoris nostri à sacrâ rituum Congregatione approbato, de eo commemoratur pro lectione sexta, *Quod aliquando auditus fuerit dicere, Si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, & interim Deo servire, & proximorum saluti, quàm certum eiusdem gloriæ statim mori.* Ecce quis fuerit sensus Sanctorum temporali beatitudini renuntiantium amore proximi, & quidem in illius aliquando adipiscendæ incerto. Cùm autem is commendetur ab omnibus, & ad imitandum ab Ecclesia proponatur, censebimus minus benè ac laudabiliter eos agere præter ordinem caritatis, qui absque ullo æternæ suæ beatitudinis periculo, quod hinc quidem nascatur, temporalem ejus possessionem differunt, in gratiam SS. Animarum?

Ut verò id à caritatis ordine minimè 6.
alienum, sed huic potiùs consentaneum ostendamus à priori, Ordo caritatis est amare Deum super omnia, deinde proximum propter Deum, & si velis, inter omnes, qui proximi nomine veniunt, proximo loco seipsum. Quid enim præterea desideratur? Hisce autem omnibus consonat actus de quo agimus: Supponimus siquidem eum elici ex motivo formali, vel virtuali divinæ caritatis, ex hoc quoque complecti eas animas cum cæteris conditionibus ad meritum, adeoque ad charitatis incrementum requisitis. Quo dato non nocet sibi caritas, aut contra inclinationem suam agit, sed huic potiùs obsequitur, quando temporale damnum aliquorum actuum, quantumvis nobilium, lucro habituali, & æterno abundanter compensat, quam consequentiam cùm Recentior ille concedat subsectione 2. n. 27. & antecedens sit verum; cur queritur contra patrocinantes animabus velut gratiæ suæ, & perfectionis prodigos, alienæ causa? Haud equidem rem suam prodigit mercator, sed prudenter agit, quando exponit quinque, ut lucretur decem, quam lucri proportionem in præsenti vincit, vel minimi gradus caritativi possessio æterna, si componatur cum quocumque detrimento actuum temporalium: sic caritas ad alios pertinens potiori sui parte in se redit, & quando proximi causâ seipsam consumit, Phœnicis instar ex isto divini ardoris busto vegetior pulchriorque emergit, estque verissimum quod dici solet, qui Deum propter Deum relinquit, Deum copiosiùs invenit, Sicut & illud Senecæ; *Nemo non, cùm alteri prodest, sibi profuit.*

Sed replicat Recentior se non negare 7.
affectum illum caritatis erga animas sanctas esse pium atque laudabilem, sed jubet nos æmulari charismata meliora, & excellentiorem adhuc viam demonstrat. Quâ nimirùm cum pari caritatis fervore consulamus nobismetipsis, nostrumque in gloriam ingressum maturemus, quippe qui etiam Dei filii, & sponsæ in iisdem ex-

piatoriis flammis paribus suffragiis indigebimus. Verùm hîc non apparet in quo major illa perfectio consistat, sed potiùs unde à priori deficiat: Objectum utrobique est idem Deus propter se amandus, & proximus propter Deum, eadem, ut supposui, intensio caritatis. Quibus solis consideratis non erat unus actus præ alio deprimendus; sed habendus uterque eodem loco. Supereſt ergo ut circumstantias personarum & operis expendamus; Personæ sunt, ego & proximus; opus, evolare statim in cœlum cum summâ facilitate, & gaudio, & differre ingressum cum difficultate, & tormentis. Etsi n. 4. viderimus amorem sui in necessariis ad essentialem beatitudinem esse anteponendum amori proximi, utpote in talibus divinitus præceptum, in liberis tamen sive indifferentibus, ad eamdem, amor proximi tam à Philosophis, quàm à Theologis, cæteris paribus, præfertur proprio amori. Ex parte operis quoque ab utrisque consideratur arduitas, & difficultas, atque pro ejus pondere honestas. Jam verò uterque amor quem inter se componimus, versatur in materiâ liberâ; ille respicit bonum, & commodum proprium, per modum concupiscentiæ, ille alienum per modum amicitiæ, ille nihil habet difficultatis, hic sane plurimum, quidni ergo idem hîc amor, qui proximum spectat, honestate sui ac merito præferatur alteri?

8. Utque quod attigi de difficultate, amplius perpendamus, nihil in Ethicis vulgatius, quàm illud Aristotelis lib. 2. c. 4. *artem & virtutem in arduo versari*, imò tum cerni magis, & perfectiorem haberi, cùm versatur in difficilioribus, illam insuper, quæ alterum respicit, cæteris paribus, essa perfectiorem eâ, quæ sui tantùm subjecti bonum concernit, ex eodem Philosopho tradit apertè D. Thomas 1. 2. q. 64. a. 4. & 2. 2. q. 58. a. 12. ubi inter virtutes morales in appetitu, seu voluntate sitas, defert primas justitiæ quòd non sistat intra operantem, sed hunc potiùs in bonum & commodum alterius perficiat, quæ est eminentior quædam ratio honesti, quàm quæ proprii subjecti limitibus concluditur. Nunc autem contemplemur duas animas mox è corpore egressuras: cupiat una esse cum Christo, utque tantò citiùs id fiat, omnes satisfactiones, atque suffragia quæ suæ fuerint potestatis, ad moram omnem, quantum per ea licebit, redimendam, retineat sibi, inque finem jam memoratum applicet; sed altera animo, vel scripto resignet omnia in solatium aliarum animarum, & tantisper differat sui præsentiam cum Christo, seque acerbissimis Purgatorii tormentis cruciandam exponat. Utraque, uti rursus suppono, id facit ex caritate, cujus spiritus, ut loquitur Sapiens, *unus, & multiplex*, ad eumdem quidem finem, sed non uno semper modo, verùm multiplici, & pro sua inspiratione vario nos movet. Cumque ambæ hactenus sint pares, quid in victoriam conferet illa, quæ Recentioris Theologi opinionem secuta, seipsam prætulerit aliis animabus? Aliquid quidem, cùm & hoc sit honestum, sed non amplius, quàm comprehendi queat hac Christi sententiâ Math. 5. v. 46. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt?* ubi Christus non omnem talibus mercedem abjudicat, amicos enim diligere, & benefactoribus reddere vicem, est per se bonum, atque honestum, ideoque suo quoque præmio dignum; sed mercedem illam eximiam, & singularem, quam referent *qui diligunt inimicos suos, & benefaciunt iis, qui oderunt eos*; hæc siquidem ob summam operis difficultatem est amplissima, cujus ratione prior illa nihili instar obtineat: Similiter amor ille, quo sibi quis consulit, non est omni mercede indignus, sed cùm juxta jam dicta nobilitate cedat amicorum amori, mercede hujus minimâ adhuc reportabit minorem: Parum ergo momenti ex istâ parte ad victoriam accedit. At quantum ex alterâ? *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis*: dicit Dominus, Io. 15. & apud Apostolum 12. ad Hæbreos in heroicum omnis perfectionis exemplum nobis proponitur, *Author fidei, & consummator* IESVS, *quando proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ*, quæ duo ex hac parte concurrunt in excellenti gradu. Nihil quippe est aliud subire aliquandiu Purgatorium pro proximo, quàm mille mortes pro eodem obire. Offertur quoque jam jam morituro ingressus in gaudium Domini sui, expeditus per suffragia obtenta, sed ille Christi secutus exemplum tantisper renuntiat gaudio, cumque omnis pœna exprobratio quædam sit culpæ ob quam incurritur, dum sponte se objicit Purgatorii pœnis, confusionem quoque inde natam sustinere non detrectat, unde in promptu est discernere de victoriâ, & caritati erga defunctos lauream deferre.

Dices: si ea sit victoria caritatis erga proximum supra dilectionem sui, saltem in liberis, sive non præceptis, cur natura, seu Deus mandavit unicuique suæ potiùs salutis studium, quàm alienæ? respondeo id 9.

factum

factum non ratione actûs per se excellentioris : sed majoris necessitatis. Oportebat enim omnibus singulisque provideri de aliquo, qui attenderet ad salutem eorum : Quibus autem prius seu potius incumberet id onus, quàm cuique erga seipsum ? Præter se nemo semper sibi adest, nemo novit sua arcana, animique statum, unde salus maximè pendet ; nullus præterea inspicit, nullus ad omnes salutis obtinendæ vel amittendæ occasiones oculos magis vigiles, atque attentos habet, nemo denique magis quemquam habet in potestate, quàm quisque seipsum. Huic ergo prior ac potior sui cura debebat committi, tametsi non spectaretur major perfectio actûs ; quamvis & hanc in propriæ salutis studio universim considerato intervenire non negem, quandoquidem id exigat animum ad omnia Dei mandata per totam vitam servanda comparatum, & ad omnes tentationes, quantumvis graves, quæ interea occurrerint, superandas. Verùm hic subsidiariam illam erga pias animas caritatem conferimus, non cum toto genere proprii amoris, sed cum illo precisè actu, quo quis superatis ante cunctis difficultatibus, etiam iis, quibus conquiri debuere suffragia, in cœlum jam velut apertum promicat, quo vix ullus facilior concipi potest. E contrario nullus difficilior, quàm quo sistitur ille impetus, maximè per moram adeò tristem atque acerbam atque in Purgatorio trahitur.

10. Ex hactenus dictis colligitur actus resignativi suffragiorum excellentiam præ oppositio ejus, in duobus præcipuè fundari, primò quòd sit ad alterum, & benefactivus, unde & illam à Christo Domino laudem participat, quæ refertur Act. 20. ver. 35. *Beatius est magis dare, quàm accipere*, quo etiam spectat accepta retinere. Deinde quod insigni difficultate, & sui ipsius victoriâ præfulgeat. Circa quam occurrit quod alicubi tradit Blosius : ex duobus viridarium ingressis, quorum unus carpit florem, ut in eo Deum glorificet : alter ejus amore continet manum ; hunc qui propter
9 Deum florem dimittit, tanto amplius mereri præ decerpente, quantum distat cœlum à terra : Quidni dicamus de dimittente tantisper florem cælestis gloriæ propter amorem Dei, & animarum, si comparetur cum illo, qui gloriosa ipsius specie captus avidas illico in eumdem injicit manus ?

11. Et hæc de prima quæstione spectante rem ipsam. Ad alteram circa opinionem Recentioris, video quidem more istius Doctoris eam eruditè deduci, sed præterquam quod sit falsa, inde plurimum probabilitatis amittit, quòd tam levi, imo nullo ferè fundamento à communi sensu, ac pietate discedat. Totum namque quod adfert pro se Recentior, fundatur in ordine caritatis, quo quis se in spiritualibus debeat proximo præferre, à quo declinet, qui malit aliam animam præ se citius frui Deo, & sic præ se amplius Deum amare, colere, laudare. Sed huic fundamento jam occurrimus duplici via : prima erat, quam inivimus n. 4. & 5. Ordinem illum dari in solis necessariis ad salutem, in aliis non : alteri institimus à n. 6. permittendo ubique talem ordinem, sed negando ei contraveniri per suffragia animarum, cùm id totum quod hinc ad tempus suffragatori decedit, levi flexu, sive circuitu ad eum redeat cumulatè. Juxta priorem, caritas, non quærens quæ sua sunt, ingeniè poterit dare gloriam Deo, dicendo : *Domine obsequium illud temporale in cœlis non exigis à me, æquale, vel maius ibi præstabit tibi hæc anima, cuius tantopere afflictæ misereri cupio propter te : lauderis igitur, & glorificeris tantisper per illam, donec & ego simul maiestatem tuam glorificaturus accedam.* Juxta alteram viam res est expeditior, Dicet enim patronus animarum, *Mavis Domine te à me laudari, ut octo, per reliquam æternitatem quàm per annos decem, vel viginti amplius, atque deinceps tantùm ut sex ; patere igitur ut hanc laudem cum priori commutem tanto meo lucro, & nullo gloriæ tuæ damno, circa quam illum etiam temporalem defectum abundè supplebit anima, cui suffragia applico.* quo modo si res proponatur, non verò tam crudo ac rustico, ac proponit Recentior, *Malo Domine alios tibi servire, quàm me*, haud video quid Christianæ prudentiæ, aut perfectionis in hisce dictis, sive enuntiativis, sive affectivis, jure à quopiam desiderari queat. 12.

Adde majori adhuc compendio sic posse rem geri, renuntio Domine temporali gaudio in cœlo propter animam istam, paratus interim te laudare, & glorificare in temporalibus tormentis apud inferos, quod non minus Majestati tuæ placiturum confido. Quidquid enim dicat Recentior de excellentia actuum, quibus vacant Beati inter gaudia cælorum, non est dubium quin valde etiam Deo placeant humilitas, patientia, resignatio in voluntatem divinam, & suæ cum illâ conformatio, divinæ Justitiæ adoratio, & laudatio, cujus affectus in sese experiuntur, aliæque heroicæ virtutes, quas sanctæ animæ exercent in flammis purgantibus, & quarum practicæ honestati non est locus in cœlo. Sitne

autem honestas hæc major, quàm aliorum actuum cælestium, solus is novit, *qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura*. Esse sanè aliquid in tribulationibus hujus vitæ, adeoque & Purgatorii, quod præ gaudiis etiam cælestibus placeat Deo, demonstrarunt subinde cælites ipsi, quando ut S. Melchtildis apud Blosium, aliique retulere, visi subinde sunt piè queri, ac sanctâ æmulatione erga mortales accendi, quòd non perinde ac ipsi, exempli causâ, Stephanus inter lapides, aut Laurentius in craticulâ possent pati in cœlis.

13. Minimè verò probare possim actum illum, quem nobis suadet Recentior n. 30. & 36. in dispensatione suffragiorum nostrorum, *Domine quidquid scis mihi fore non necessarium, applico statim pro tali, vel tali animâ*: Etsi enim sit licitus & honestus, haud eâ tamen laude præcellit, ut sub consilium cadat. Siquidem suppono idem hîc esse necessarium, quod utile ad redimendas proprias pœnas, sicuti ipse Recentior se explicat. Suadet igitur, ut solas satisfactiones nobis numquam profuturas, ideoque inutiles transcribamus aliis animabus: in quo sanè exigua liberalitas est. Elevatur valde apud Juristas donatio mortis causâ, præ donatione inter vivos, quod in hac donatarium quis præferat sibi, malendo penes illum esse rem, quàm penes seipsum; in illâ soli eum hæredi anteponat, volendo donatarium re frui præ hærede. Quantò igitur plus est præferre proximum sibi, quàm alteri, tantò potior est donatio inter vivos, alia ista specie largitionis. Per actum autem quem Recentior præscribit, non potiorem illam donationem imitamur, sed sequiorem: cavemus siquidem ne quidquam vel minimum ex spiritualibus emolumentis detrahamus nobis, nimis in hoc parci, & spiritualiter avari. Quam tenacitatem licet idem Author commendet in spiritualibus, credibilius tamen est etiam in his latiùs porrigi liberalitatem, & primam illam, & excellentiorem donandi speciem non excludere, & alioqui non in satisfactionibus tantùm ad redimendam pœnam, sed etiam in orationibus, & sacrificiis ad beneficia impetranda deberemus idem Recentioris consilium sequi, volendo pariter ea prodesse proximo, hac solum ex parte, quâ nobis nullum emolumentum spirituale adferre possunt. Est enim par ratio, quod nos ipsi in spiritualibus obligemur nobis præ proximo: quo dato, ubi & quando in spiritualibus, quæ tamen sunt maximè propria ejus bona, dabitur locus caritati, non quærenti quæ sua sunt? Quantò angustior, ne dicam illiberalior erit in Ecclesiâ communio Sanctorum, quàm communicatio politica in Republicâ profanâ? Commendatur quidem in spiritualibus quoddam avaritiæ genus, quo quis ad bona illa attentus sit; eorum occasionem non negligat; jam parta non defodiat in terram, aut prodigat sine causâ: verùm quæ quis ex misericordiâ expendit ad sublevandam calamitatem proximi, haud inutiliter dissipat, sed quàm optimè collocat, & dispensat prudenter. Hactenus & solidissimè Veckenus.

§ 6.

Corollaria ex Dictis de præstantia meriti in satisfactionum suarum largitione posiți.

Conficitur 1. Præstare plures, quàm 632.
pauciores satisfactiones in defunctos transcribere, nam si duas tresvè transcribere honestum & laudabile est, cur non laudabilius esset, quatuor, quinque, pluresvè transcribere, cùm sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis?

Conficitur igitur 2. Præstare omnes suas satisfactiones iisdem largiri, quàm aliquas sibi reservare. Etenim prius illud majoris est meriti, quia majoris ac robustioris caritatis nullo sui detrimẽti respectu, nullo, inquam, metu vel tristitiæ ob retardationem gloriæ, vel aliorum tormentorum purgantium, quæ tuis satisfactionibus redimere posses, iis omnibus in gratiam defunctorum abdicare te, atque adeò pœnis ingentibus te subjicere.

At dicet aliquis 1. Si donem illis omnem meam satisfactionem, fortè mihi tantum pœnæ hac in vitâ tolerandum erit, propter præteritas, præsentesque, ac futuras noxas, ut non sim ferendo: ac proinde novam, gravemque impatientiæ ac fortè desperationis noxam sim commissurus. Verùm, mi homo, intellige caritatem istam tuam, æquè, ac magis obstituram impatientiæ alioqui erupturæ, atque reservationem tuarum satisfactionum. Nam caritas illa obtinebit auxilia ad patienter ferendum quidquid eveniet. Adde pertinere ad divinam bonitatem non sinere, ut propter caritatis eximium officium, auxiliumque optatissimum, amicis suis ac Sponsis carissimis præstitum, in noxas incurras, quas absque eâ caritate fuisset, non incurrisses.

Dices 2. Christus nos docet orandum esse

esse Patrem æternum, ut dimittat nobis debita nostra, ergo ex illius saltem consilio pro veniâ pœnarum à nobis debitarum orandum est; ergo non est perfectius omnes satisfactiones defunctis concedere. Respondeo 1. Maldonatum, & alios Interpretes, debitorum nomine solas noxas intelligere. Respondeo 2. Esto dicamus cum Suario etiam intelligi pœnas noxis debitas; tamen non semper Christum proponere quod est perfectius, nam vult peti panem quotidianum, quod minoris perfectionis est, quàm inimicis benefacere. Respondeo 3. Etiam cùm pro nostris debitis dimittendis precamur, applicari posse defunctis satisfactionem ejus precis (alioqui numquam totam orationem Dominicam iis applicare liceret) & si fiat, perfectius id fore, quàm si eam nobis applicaremus.

Dices 3. Non expedit, ut maneam objectum iræ divinæ, quò defunctis faciam benè: atqui hoc fiet, si addicam illis meas satisfactiones, præsertim si omnes; eo enim pacto manebo tota vitâ, & semper objectum iræ divinæ; quod probatur, quia manebo reus pœnæ, adeoque dignus, in quem ira, seu Justitia divina desæviat; unde sequetur ut minus sim dignus gratiis actualibus. Respondeo distinguendo majorem; non expedit, ut maneam objectum iræ divinæ ad subeundam pœnam temporalem, quo defunctis benefaciam, nego; ad subeundam pœnam spiritualem, id est, detrimentum gratiæ vel habitualis, vel actualis, concedo, neque illud hic subitur, quia etsi concederetur ex reatu pœnæ sequi, ut minus dignus sis gratiis actualibus, per se loquendo; tamen defectum illum ea caritas abundè supplet: & ratio est, quod solutio pœnæ illum tollat, quæ solutio est actus pœnitentiæ, vel justitiæ vindicativæ, quæ profectò cedit tantæ in pios manes caritati.

Conficitur 3. Præstare defunctis, quàm sibi applicare indulgentiam Communionis Generalis, aliamque alterutris applicabilem. Sequitur ex priori ratione. Accedit, quod sæpiùs concedantur indulgentiæ in vivorum, quàm in defunctorum gratiam. Quare vivi poterunt iis uti, & faciliùs perfrui ob præstantiam caritatis, quæ una maximè hominem parat ad facilè consequendas indulgentias, ut post dicam.

Conficitur 4. Etiam sub vitæ finem omnem satisfactionem nostram laudabilissimè addici defunctis, quia tunc maximè caritas illa excellit, cùm malum Purgatorii jam imminens majorem sui metum creare natum sit, quàm procul positum.

Conficitur 5. Etiam præstare satisfactiones illas, ac suffragia, quæ mihi mortuo à fratribus Religiosis, aliisque donanda sunt, defunctis, quàm mihi reservare, si quidem aliis concedi possint, quod negat de Lugo, ut post videbimus. Quia caritas maximè heroica est, paratum esse diutius in Purgatorio hærere auxilii expertem, ut alii tantis tormentis liberi in cœlum evadant.

Quæres, an etiam præstet defunctis, quàm vivis eas applicare? Respondeo affirmativè, quia majoris misericordiæ: quoniam defuncti magis, quàm vivi indigent, nec possunt se juvare ut vivi. Adde defunctos Deo esse viciniores ob amoris præstantiam, & certitudinem beatitudinis.

Dices, si ponatur, quod aliquando ponendum videtur, vivos, nisi pro iis satisfactiones tuas Deo offeras, pœnæ impatientiâ in scelera, atque in desperationem, interitumque ruituros, præstat vivis, quàm mortuis satisfactiones suas erogare: quod probatur, quia positâ illâ conditione, misericordia in illos est Deo gratior, cùm calamitas major sit privari gratiâ, & exponi periculo damnationis, quàm omnis fidelium defunctorum pœna sensûs & damni.

Respondeo 1. Hypothesim illam ut plurimùm non esse admittendam, tum quòd pœnæ hujus vitæ solent esse paternæ, & elicere correctionem eorum, qui à Deo castigantur, tum quòd applicando iis solas impetrationes, seu orationis, seu aliorum bonorum operum, potest ea impatientia & desperatio averti; & propterea expedit ei, qui erga defunctos largus est satisfactionum suarum, esse quoque largum impetrationum in peccatores, sic enim & hi ejus ope præmium patientiæ æternum consequentur, quod numquam cõsequuti essent, si materia patientiæ illis subtracta esset per satisfactionem ejus iis applicatam.

Respondeo 2. Quod si ponas impetrationes non suffecturas depellendæ desperationi, & exitio æterno, tunc concedam cæteris paribus præstare vivis alioqui damnandis transcribere suam satisfactionem, quatenus necessaria, & sufficiens erit ad depellendam culpam, ac damnationem, quia animam unicam salvari, alioqui damnandam, plus est ad Dei gloriam quàm totum Pugatorium exhauriri, cùm illa æternũ odium innumerasque blasphemias concepturа fuisset in orco, & æternas Dei laudes, infinitasque in cœlo sit depromptura.

Dixi cæteris paribus præstare in eâ hypothesi applicare satisfactiones vivis, quia cùm fere constet semper in Purgatorio versari aliquos ex parentibus, consanguineis, & amicis, quibus caritas & misericor-

dia me obligat, præstetque obligationi satisfacere, quàm meræ caritati & alioqui vivi possint se juvare, atque adeò non sint in extremâ necessitate salutis, cùm possint esse patientes, præsertim positâ meâ impetratione gratiarum, simpliciter loquendo præstat me satisfactiones meas mortuis, quàm vivis applicare: Adde quod satisfactiones defunctis applicando, alioquorum exilium, quod restabat breve, ita contraham ut statim in cœlum evolent; quos ego vice versâ orare possum, ac debeo, ut eos qui satisfactione meâ indigere ponuntur, orationibus suis, & gratiâ suâ apud Deum adjuvent, ne desperent. Quo pacto efficaciùs, quàm per meas satisfactiones illis applicatas subsidium nanciscentur, atque ita objectio illa planè soluta videtur. Confirmatur ex D. Thoma, qui supplementi 3. P. q. 7. a. 5. ad 2. *Magis*, inquit, *acceptatur suffragium pro mortuo, quàm pro vivo: quia magis indiget, cùm non possit sibi auxiliari sicut vivus potest.*

Quæres an præstet facere opera injuncta ad lucrandas sibi Indulgentias, quàm alia bona præstare in gratiam defunctorum: Respondeo probabiliter prius præstare, quia ipsorum etiam operum ad lucrandas Indulgentias præscriptorum satisfactionem potes defunctis applicare, & interea insuper lucrari Indulgentias. Quod probatur, quia ex probabili sententiâ opera illa tantùm requiruntur, ut conditio; satisfactio autem eorum nec jubetur applicari, nec deservit ad fines ab Ecclesiâ proponi solitos: sunt enim hi, Exaltatio S. Matris Ecclesiæ, maximè in spiritualibus, depressio hæreticorum, aliorumque ejus hostium, Concordia Principum: ad quos fines sola impetratio favorum cælestium utilis est.

ARTICULUS II.

Expenditur præstantia caritatis ejus, qui defunctis addicit suas satisfactiones, ex natura satisfactionis.

PARS TERTIA.

De boni operis efficacia & Theologis.

ANTEQUAM ad rem propiùs veniam, de efficacitate boni operis nonnulla breviter præmitto. Triplici enim virtute præditum est quodlibet bonum opus hominis justi. Imprimis, gratiæ habitualis in præsens, & in futurum gloriæ cælestis incrementum meretur: Deinde satisfacit obligationi luendarum pœnarum nobis debitarum. postremò vim habet subsidia impetrandi ad vitam rectè ac Christianè ducendam opportuna.

633. *Meritum alteri dari non potest.*

Porrò vel gratiæ, vel gloriæ incrementum, seu meritum alteri haudquaquam donari potest. Etenim contra caritatem sibi debitam pugnaret quis, ad alterum suis meritis locupletandum. Quippe Christianæ caritatis ordo exigit, ut sibi primùm, tum alteri æterna bona procuret, ut sunt gratia sanctificans, & gloria. Adde ex contrariâ sententiâ sequi, quempiam vel fieri Deo minus gratum, quòd Christianam caritatem exerceat, nempe antiqua merita, gratiamque cum aliis communicando, vel eadem charitate exhibitâ, non fieri eidem gratiorem, nempe nova merita in alios transferendo: quod utrumque absurdum est.

634. *Sed satisfactio.*

Satisfactio verò cum altero communicari potest, vel etiam tota illi concedi. Siquidem ita instituit Numen, uti colligitur ex Theologorum consensu, atque Ecclesiæ sensu, quem declarat Catechismus Pii. V. qui ubi de pœnitentia tractat, sic habet, *In eo summa Dei bonitas, & clementia summis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus pro alio posset satisfacere.* Accedit ratio, quòd opera hominis justi digna sunt, quæ Deum Judicem sic placent alteri, cui applicantur, ut pœnam temporariam ab eo non exigat, præsertim cùm satisfactio operibus illis inclusa, non minor sit illâ, quàm pœnæ reum ad satisfaciendum pro se exhibere oportuisset.

635. *Et impetratio.*

Denique constat impetrationem piis operibus contentam cum aliis communicari posse. Sic enim sensit David, qui pro impetrandâ filii ex Betsabee nati incolumitate jejunium, precesque Deo obtulit. Sic quoque rem se habere expertus est ille paralyticus, qui propter aliorum ejus bajulorum fidem à Christo curatus est. Sic denique fusæ pro aliis preces iisdem prosunt juxta illud Jo. 5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem*, unde arguitur impetrationem aliis quoque operibus contentam posse donari aliis, ac prodesse. Et cùm impetratio etiam ad pœnæ remissionem se porrigat, eamque obtineat, ut patet in beatis, quorum orationes ab Ecclesia exposcuntur ad obtinendum defunctorum

functorum levamen, conficitur eum quoque impetrationis fructum defunctis transcribi posse.

Pars secunda.

Charitas inde Demonstratur.

636. *Præstantia satisfactionis quòd à gratia procedat.*

His igitur præmissis demonstro primùm excellentiam charitatis, de qua sermo est, ex præstantiâ operis, quo charitas ipsa piorum manium debita persolvit. Cùm enim duplex præstantia, nobilitasque spectari possit. Prior sanguinis ac natalium; Posterior, virtutis, hæc utraque operi satisfacere efficaci præcipuum affert ornamentum. Siquidem parens ejusmodi operis non alius esse potest, quàm homo divina ac sanctificante gratia instructus. Enimverò gratiâ vacuus cùm Numinis inimicus sit, quidquid agit, nullius apud ipsum pretii est, tantum abest, ut pro aliis faciat satis, iisque veniam obtineat. Porrò minima gratia sanctificans usque eò hominem provehit, ut altiùs ascendere non possit, nisi, quod fieri nequit, fiat naturalis Dei filius: quippe cùm efficiat filium ejus adoptivum. Quamobrem & opus quod necesse est, ut à tali homine proficiscatur, nobilissimum esse oportet: & charitas cujus auspiciis, atque imperio, opus illud patratur, in gratiam piorum manium, vulgaris esse non potest; Id quod exemplis partim humanis, partim divinis illustratur. Constat namque supplicationem alicujus Principis, aut Reginæ absque qua esset, gratia reo impetrari non posset, multò pluris æstimandam esse, quàm plurimorum aliorum mixtas lacrymis obtestationes. Ita enim Reginæ Estheris pro populo Judaico apud Assuerum deprecatio haud dubiæ maximi facta est. Ita Jonathæ apud Saulem Regem pro amico Davide oratio: ita Moysis, & Samuelis apud Deum preces, eò precisè, quòd à tantis viris funderentur, plurimum ponderis habebant: quoniam nobilitas operis, ac præsertim orationis ac satisfactionis, ex dignitate operantis atque orantis efflorescit. Quod etiam in Christo maximè manifestum est: quippe cujus vel minima actio propter infinitam personæ ipsius divinæ excellentiam infiniti meriti ac satisfactionis est. Ut igitur ea Christi charitas, qua nobis, nostroque usui opus aliquod faciebat, propter operis ipsius præstantiam, summopere laudanda erat, ita quidquid homo Dei filius adoptivus præstat piorum manium causâ, non mediocris charitatis censendum est. Vis nosse distinctè illius decus ac pretium? nemo peritus non immenso pluris eam æstimet, vel ex hoc capite nobilitatis, quàm omnium simul Reginarum, ac Principum supplicationes pro reis, quando dignitas filii Dei adoptivi eas omnes dignitates immensùm superat: certè longè magis quàm Rex, qui toti terrarum orbi dominetur, infimum omnium mancipium.

637. *Et ex opere supernaturali.*

Sed hæc etiam clariùs eluceſcent ex insitâ operis satisfactorii nobilitate. Exploratum enim est oportere esse supra naturam elatum, & dignum præmio vitæ cælestis, & æternæ. Quatenus autem supra naturam situm est, primum dignitate vincit, quidquid naturæ finibus circumscribitur. Itaque illud in gratiam defunctorum præstare, amplius est quàm si universam naturam, si intelligentiam, vimque motricem Angelorum, si hominum peritiam, ac facultates omnes, si omnium elementorum virtutes, si universas mixtorum vires eorum commodis impenderemus.

638. *Atque adeò infinitæ dignitatis sit.*

Deinde si ejusdem dignitatis supernaturalis ratio habeatur, constat opus satisfactorium duplicem sortiri infinitatem. Priorem ex objecto illius, quod est Deus; ad eum enim opus supernaturale refertur: Posteriorem ex suo principio, quod aliud non est, quàm Spiritus Sanctus. hic enim & animum agit, movetque ad opus supernaturale, & illud efficit. Itaque charitas hominis pro piis manibus satisfacientis, eo quidem respectu, & ipsa quamdam habet infinitatem, quoniam id præstat illorum causâ, quod ea duplici ratione infinitum est. Quamobrem quid inveniri potest in historiis vel sacris, vel profanis, quod eam aliquatenus saltem adumbret? Nam si Assueri in Estherem charitatem proferas, ei significantis ut quidquid in votis esset, ab ipso peteret; enimvero vel dimidium Regni impetraturam: certè illa velut ebullitio amoris est, nec dubium, quin si postulatum fuisset, amor, ardorque promittentis, non modo tamquam iniectâ frigidâ deferbuisset, sed fortè etiam in furorem adversus Reginæ tam insolentem petitionem mutatus esset. Si Joiadæ summi Sacerdotis fidem, amoremque adversus Joas puerulum exaggeres, quippe cui vitam regnumque Judaicum servarit, confirmaritque, id officii non tam amoris, quàm iustitiæ fuit: hæreditario enim iure partum reddidit, quod iniustè, aut sibi retinuisset, aut Athaliæ impiæ matri reliquisset. Si tum aliorum Regni hæredum, tum recentem Christinæ Sueciæ Reginæ abdicationem regni in cognati sui gratiam iactes, hæc sanè, & huiusmodi

hujusmodi donationes, studio magis salutis donantium (quæ salus in hisce dignitatibus periclitari solet) aut aliûs proprii commodi potiùs, quàm alieni causâ institutæ sunt; & si fortè secus interdum contigerit, quidquid per eas amicorum gratiâ præstitum est, leve ac fluxum fuit: at quod, ad satisfactionem pro defunctis refertur, opus immensi pretii, ac dignitatis est: & cùm alia ab hominibus fiant, ac viribus humanis, hoc non nisi authore, & impulsore Numine potest patrari.

639. *Et dignum gloriæ cælestis.* Quæ laus quidem summa est: sed tamen non parva illi accessio fit ex eo quòd idem opus ad satisfaciendum idoneum, pariter dignum esse debeat cælesti æternaque mercede. Nam quodcumque opus hac dignitate pollet, eam ex meritis Christi sortitur. Nec enim ullus hominum labor quantuscumque, cùm finiti pretii sit, dignus esse potest immensâ æternaque mercede. Itaque eadem Christi merita opus illud velut imbuunt. Et cùm illa non ex aliquâ particulari ejus actione, puta passione, aut morte profecta sint, sed ex universis ac singulis actionibus, consequitur ad dignitatem operis, quod charitas Christiana piorum manium satisfactioni impendit, singulas & universas ejusdem Redemptoris actiones decus suum ac pretium contulisse: Ex quo quanta sublimitas in opus illud manet, quis, nisi Deus, exponat, cùm minor esse nequeat infinita?

640. *Hinc patet nobilitas istius caritatis.* Charitas igitur illa, quæ tam nobile opus liberandis defunctis adhibet nonne hac quoque ratione quamdam sortita est infinitatem? Offert Elisæus Vates Sunamitidi hospiti suæ, suam apud Regem operam, commendationemque, ad aliquod beneficium obtinendum; nec dubium, quin quisque pignus hoc grati animi plurimi faciat. Joab Thecuitidis; suaque operâ impetrat Absaloni veniam à Davide parente, & aulæ regiæ ingressum, conspectumque Regis; quis ambigat, quin ea charitas magni æstimata, & Absaloni antiquissima fuerit? Juditha pro Judaici populi salute, vitam in summum discrimen adducit, gratiam apud Holofernem adhibet, & diurnas nocturnasque ad Deum preces, & partâ victoriâ ac salute audit sibi à Sacerdotibus, primoribusque populi accini, *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri*, Judith. 15. Judas Machabæus gladium aureum accipit à Jeremiâ Prophetâ jam mortuo, quo gladio hostes Israëlis debellet, eumque in libertatem asserat; quis hoc munus non in maximis numeret? At si conferas ista cum opere unico, quod amicis manibus charitas Christiana adhibet, universa nihili penduntur. Quid enim Elisæi apud Regem Israëlis gratia, ad gratiam meritumque Christi apud æternum Patrem? Quid Joabi ac Thecuitidis deprecatio ad ejusdem orationes? Quid Judithæ vita, ad vitam Redemptoris? Quid gladius ille Jeremiæ, ad ejusdem Christi potentiam? & ecce gratiæ Christi, & orationis, & vitæ universæ, & potentiæ, operi vel unico in gratiam defunctorum præstito, vis & pondus transfunditur: quare caritas, quæ exhibet illud opus, omnes Christi actiones eorumdem causâ repræsentare Deo Patri censenda est, quoniam illud repræsentat, ad quod efficiendum, ornandumque tota ejusdem Servatoris vita desudavit: quanto igitur in pretio esse debet?

641. *Maximè quòd præter Christi merita etiam ejus satisfactiones ad idem opus cõcurrant.* Nihil dico de universis ejusdem Christi satisfactionibus, quæ eidem operi applicantur. Par enim est earum ac meritorum ratio. Illud tantùm assero, qui satisfactionem vel unici operis defunctis transcribit, simul omnes Christi satisfactiones applicare, atque adeò immenso amplius jus largiri, quàm si omnium Apostolorum sudores, Martyrum cruciatus, Confessorum pœnas voluntarias, Virginum severam castimoniam, Deo in eorumdem gratiam offerret. Charitas igitur, quæ non unius satisfactionem operis, sed plures offert, ac toties universas Christi satisfactiones Deo Patri repræsentat, quanti demum facienda est! Quanta (si omnes illis condonat) donationis excellentia! quanta charitatis?

ARTICULUS III.

Expenditur ejusdem charitatis præstantia ex beneficio liberationis à pœna damni, & sensûs.

PRÆFATIO.

642. *Beneficii magnitudo charitatis mensura est.* PERSPECTUM est ex magnitudine beneficii ac doni, quod vel charitas, vel misericordia calamitosis procurat, æstimandam esse utriusque laudem. Nec enim ambigi potest, quin cæteris quidem paribus, laudabilior sit ea charitas, quæ plus perficit amici causâ, quàm quæ minus. Quemadmodum etiam exploratum est, si cætera quoque sint paria, pluris faciendam esse misericordiam, ac liberalitatem, quæ

quæ pretiosius aliquid largitur misero, aut eum è graviori miseriâ eripit. Ita Nathan Propheta Davidi exprobraturus Dei nomine adulterii sui, & cædis crimina, atque adeò ingentem in ipsummet Deum ingratitudinem, illius in eum munificentiam, charitatemque, ex beneficiis metitur; *Hæc*, ait, *dicit dominus Deus Israël, ego unxi te in Regem super Israël, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum domini tui, & uxores domini tui in sinu tuo, dedíque tibi domum Israël, & Iudæ, & si parva sunt ista, adiiciam tibi multo maiora, quare ergo contempsisti verbum Domini?* 2. Reg. 12. ubi majorum beneficiorum nomine spiritualia dona intelligi possunt, quæ, & multò excellentiora sunt, & munificentiam Numinis in Davidem magis demonstrant. Et ipse Regius Psaltes, dum divinam misericordiam commendat Ps. 106. cujus hoc initium. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius*, omne genus miseriarum humanarum exponit, quas in quatuor divídit, nempe famem, sitimve, item captivitatem, mortem ac naufragium: dumque singularum à Deo depulsionem commemorat, quater repetit illud suum intercalare: *Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum*, ut indicet misericordiam eò magis prædicandam, quò plures, majoresque miseriæ sunt ab ea depulsæ.

Cùm igitur miseriæ, quas nostra in defunctos charitas depellit, omnes hujus vitæ longissimo intervallo superet, & beneficium, quod eis confert, omnia hujus vitæ beneficia; consequitur, ut ex eo quoque capite summa ac nobilissima sit. Quod ut more nostro latiùs demonstremus; primò de animarum à pœna damni, tum à pœna sensûs liberatione, postremò de beatitudinis cælestis acceleratione erit agendum.

§. 1.

De pœna Damni.

643. *Confertur liberatio à pœna damni cum liberatione Hebræorum ab Ægypto.*

IGITUR asserere vel unicam animam à miserabili illa lustralis ergastuli captivitate non potest non esse eximium. Etenim non dubium est, quin omni aliâ captivitate ac servitute longè sit funestior. Itaque rectè quidem Ecclesiasticus Moysen populi Hebræorum Salvatorem celebans, *Dilectus*, inquit Ecc. 14. *Deo, & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est, similem illum fecit Deus in gloria Sanctorum, & magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placavit.* Nempe dum eum ob plagas decem Ægypto immissas, Pharao & Ægyptii velut fulmen, & velut Jovem suum tonantem timerent. Sic enim factum, ut Moyses tandem extorserit ab illis libertatem Hebræorum, quos Pharao beneficiorum Josephi immemor, & regno suo metuens à nimiâ gentis illius multiplicatione, opprimere conatus erat, partim gravissimorum onerum impositione, partim infantium recens natorum suffocatione per obstetrices, partim eorumdem in Nilum demersione. Quibus omnibus ex voto minimè succedentibus, Moyses Ægypti victor, Hebrææque Gentis Dux præclarissimus, immensam hominum vim, id est sexcenta tria armatorum millia quingentos quinquaginta, excepta Leviticâ tribu, & imbelli plebe, istâ servitute vindicavit.

644. *Et præfertur.*

Sed bona ejusdem Siracidis pace dicam, qui suas satisfactiones piis manibus addicit, is plus aliquid, & laudabilius hoc in genere liberationis perpetrat. Etenim eâ suâ caritate, etsi non per quadraginta annos, instar Moysis continuatâ, omnibus illis benefacit, atque adeò omnium mœrorem ex infandâ illâ captivitate perceptum mitigat, ac proinde pœnam damni aliquam extinguit; Et tamen authore Angelico Doctore, pœna damni minima maximam hujus vitæ pœnam acerbitate vincit: & aliunde numerus piorum manium immensa illa Hebræorum ex Ægypto migrantium multitudine minor esse non potest; imo major sit necesse est, quandoquidem pauciissimi ex justis mortalibus in purgantia illa loca non descendant, & plurimi perdiu in illis commorentur: Certè Christus pios manes tanto numero esse asseruit B. Margaritæ de Fortona tertii ordinis S. Francisci, ut vix cogitatione capi possit. Itaque tantum, & amplius defunctorum gratiâ facit, quantum si Moysis instar multudinem populo Israëlitico majorem libertate donaret, quia pœna, mœrorque, quo defunctos liberat, gravior est pœnâ, qua Moyses Gentem Israëliticam ex Ægypto educendo liberavit. Quibus adde, quod eadem caritate licet non diuturna subinde aliqui è piis manibus, quibus prope nihil luendum supererat, carcere lustrali eripiantur, quod tanti est, quanti Hebræos omnes Ægyptiacâ servitute eximi: præsertim, cùm minimus gloriæ gradus nihil in bonis hujus vitæ par, aut secundum habeat.

645. *Hinc defunctorum*

Quamobrem quicumque Christianus homo pios manes levare consuevit, unà

amator similis Moysi.

cum Moyse *dilectus Deo, & hominibus* dici potest, ejusque *memoria* apud inferos illos, & Cœlites *in benedictione est.* Et sanè Deus *similem illum fecit in gloriâ Sanctorum*, nempe Patriarcharum, cùm patriæ illius ac gentis purgandæ verè pater sit: *& magnificavit eum in timore inimicorum*, videlicet dæmonum, quibus tantò est horrori, quantò defunctis solatio. Illud exploratum, concini in Purgatorio canticum novum ad nova ejusmodi hominis subsidia, & Deo quidem imprimis gratias agi à singulis ita fortè dicentibus, *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus, & consolatus es me*, Isaiæ 12. Verumtamen, & secundùm Deum homini auxiliatori grates laudesque ab universis decantari certum est, hoc forsitan Davidis Regis encomio. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die malâ liberabit eum Dominus. Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terrâ, & non tradat eum in animam inimicorum eius.* Psalm. 40.

646. *Confertur cum liberatione à captivitate Babylonis.*

Sed ea beatitudo postea Deo juvante latiùs est à nobis exponenda. Nunc Cyri Persarum Regis Judaicum populum ex captivitate Babylonicâ liberantis figura, amplissimam nobis segetem submINISTRABIT laudum ejus, quam tractamus, charitatis. Atquè illa sanè captivitas gravissima fuit. Testantur id Judæi ipsi apud Prophetam Ps. 130. ubi *super flumina Babylonis sedentes amarè flent, & plangunt.* Cur enim super flumina sedere dicuntur? Quia ut censet Chrysostomus, non in ipsâ civitate, sed in agris degebant, quippe ad vilia opera destinati, ut servi ac mancipia, deinde sannas & ludibria Babyloniotum indicant hisce verbis: *Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum.* Quid enim importunius, quid gravius captivo, quàm cogi cantare: (quod animi lætitiâ gestientis esse solet) ubi lacrimandi ac lugendi causa multiplex occurrit? Præterea illa vel imprecatio, vel prædictio, *Filia Babylonis misera. beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram*: satis indicat Hebræorum parvulos à Babyloniis pari crudelitate illisos, & necatos fuisse, ex quo reliqua in reliquos atrocitas intelligitur. Adde captivitatis illius diuturnitatem; nam integris septuaginta duravit annis, donec Cyrus Babylone devictâ edoctus à Judæis Isaiæ de se vaticinium aliquot ante seculis editum, libertatem illis, copiamque Jerosolymam, & in alias patriæ suæ plagas remigrandi liberaliter concessit.

647. *Cyri magna humanitas.*

Porrò illius ex eâ humanitate laus singularis exorta est. nam ideò divino numine, & faustissimo omine Cyrus vocatus est: unde illa Isaiæ, *vocavi te nomine tuo*, Id enim nominis Persicâ linguâ solem significat, ut ait Plutarchus in vita Artaxersis Mnemonis. Et verò solis instar Hebræis fuit in tenebris captivitatis jacentibus. In quo ipso vicem instrumenti Deo præbuit. Quare idem Isaias, *Hæc*, inquit, *dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram*, nempe ut eâ tamquam instrumento uterer ad Babyloniam expugnandam, at eo præsertim fine, ut Israëlem liberarem. Quo factum ut subdat, *Propter servum meum Iacob, & Israel electum meum, accinxi te, & non cognovisti me.* Et pleniùs, luculentiusque postmodum; *post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & adorabunt, téque deprecabuntur, tantum in te Deus est, & non est absque te Deus*, ut ostendat Cyrum à Deo motum, & velut ad ea quæ patravit actum fuisse; nempe ut Judæos è captivitate vindicaret: Propterea hæc de Cyro intelligunt D. Thomas, Lyranus, Forerius, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet salvatorem*, voluntque suspiria fuisse Judæorum Babylone captivorum ad Cyrum aspirantium, quem scilicet ex Isaiâ sciebant fore suum salvatorem, & tamquam rorem cœlestem in summâ solatii inopiâ desiderabant.

648. *Cui præfertur misericordia in defunctos.*

Quæ omnia humanitatem hominis suas satisfactiones defunctis transcribentis mirificè illustrant. Cùm enim lustralis captivitas Babylonicâ longè calamitosior sit (nam ab ea differt, ut veritas à figurâ, & homo verus à picto) Christianus ille, qui pios manes suâ captivitate solvit, multò sublimiore ratione Cyrum illis sive solem se præstat. Enimverò & carceris, & mœroris purgandarum animarum tenebræ longè densiores sunt ac molestiores, ac proinde dies liberationis sereniùs illis micat. Deinde amator ille defunctorum præclarissimum est Numinis instrumentum. Ejus enim Deus *apprehendit dexteram*, eaque pios manes carcere educit. Et verius de eodem dicitur: *Tantum in te est Deus*, quia tam pretiosa divinaque eorum redemptio non nisi ope divinâ, eaque singulari, perfici potest. Denique multò potiùs ad Amatorem illum suum anhelent animæ, clamentque; *Rorate cæli desuper, & nubes pluant Iustum, aperiatur terra, & germinet salvatorem*: quando & illius satisfactio, roris & pluviæ cujusdam cælestis instar

instar illis est *in terrâ* illâ *desertâ*, *& invia*, *& inaquosa*: & ipse verè hoc pacto justus est, quippe qui Justitiæ divinæ propiis manibus faciat satis: & re verissimâ *salvator* est ac redemptor, cùm lytro sanguinis Christi persoluto illos servitute eximat. favet autem huic expositioni Syrus interpres, cujus est hæc versio: *Jucundamini cœli desuper*: *& nubes rorent iustitiam*, intellige satisfactionem, quæ Justitiæ divinæ solvitur, *aperiatur terra*, *& multiplicetur salus*, quia salvator ille, non unius, aut paucorum, sed plurimorum veram ac divinam, immortalemque salutem, vel parit, vel parturit, maximè si per plures annos, ac potissimum vitæ spatium satisfactiones suas illis addicit. Cæterùm aspirare animas ad ortum hujusmodi salvatorum vel inde patet, quòd iis natis summis incedant lætitiis, ut satis constat testimonio Cantipratani referentis gestiisse gaudio quempiam è piis manibus, audito divinitus eum in auras editum, à quo olim erat liberandus. Cui affine aliud Viennæ in Austriâ ab aliquot annis accidisse accepimus.

649. *Item liberationi Ludovici Pii Galliæ Regis.*

Sed libet alterius captivitatis Babylonicâ longè deterioris solutione rem hanc illustrare. Ludovicus Pius Caroli Magni digna soboles, infanda filiorum, Lotharii, Pepini ac Ludovici conjuratione, Galliarum regno exturbatus est. Junxerat se secundis nuptiis Judithæ, ex eaque parvulum Carolum susceperat. Hanc adorti illi pugione intentato ad velum capessendum adegerant: & ad juramentum insuper viro persuadendi renuntiationem Regni. Sub hæc Ludovicus exercitum suum unicâ nocte totum à se diffluere animadvertens, pauculos fideliores, ut fugâ saluti consulerent, hortatus, ipse cum conjuge ac filiolo velut victima neci destinata ad filiorum inimica castra se contulit: Exceptus est in speciem ut pater, at revera ut hostis impiè à filiis habitus. Et illicò perfidorum concilio coacto innocens & Dominus à subjectis bipedum nequissimis regno privatus, cogitur heu! in æde sacrâ positis humi genibus affictas sibi noxas, & impiam à filiis condemnationem legere, baltheum deponere, rei vestem induere, postque velut captivus Lotharium sequitur. En miserrimam, & patris, & Regis servitutem. Si quis ex eâ utramque dignitatem illam eximat, quantis præconiis dignus! Et fuere qui eximerent; ac propterea gratissimam totius posteritatis memoriam merentur. Quis igitur non maximi æstimet charitatem hominis animas è captivitate Purgatoriâ vindicantis, cùm hæc quoque Ludovici, etsi indignissima, libertatis nomine digna sit, si cum eâ componatur? Constet itaque charitatem, de qua agimus, vel eo solo respectu pœnæ damni redemptæ esse præclarissimam.

§ 2.

De pœna sensûs.

650. *Laus misericordiæ corporalis.*

VERUM enimvero incredibilis quoque illius laus, & gloria Numinis efflorescit ex solutione pœnæ sensûs, quæ satisfactionum in defunctos largitione etiam continetur. Nam si Deus ipse eximiis præconiis celebret eleëmosynam in pauperes, aliaque vulgaria misericordiæ opera, quibus humanorum corporum mala propelluntur, quid de hac ingentium animæ malorum propulsatione dicet? Audi igitur illum de priori misericordia sic loquentem: *Dimitte eos, qui confracti sunt liberos*, *& omne onus dirumpe*, *frange esurienti panem tuum*, *& egenos*, *vagosque induc in domum tuam*, *cùm videris nudum operi eum*, *& carnem tuam ne despexeris*: *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum*, *& sanitas tua citius orietur*, *& anteibit faciem tuam iustitia tua*, *& gloria Domini colliget te.* Et postea: *Si effuderis esurienti animam tuam*, *& animam afflictam repleveris*, *orietur in tenebris lux tua*, *& tenebræ tuæ erũt sicut meridies*, *& requiem tibi dabit Dominus semper*, *& implebit splendoribus animam tuam*, *& ossa tua liberabit*, *& eris quasi hortus irriguus*, *& sicut fons aquarum*, *cuius non deficient aquæ.* Hactenus ipse Deus. Ubi luminis, ac matutini jubaris nominibus, charitatis splendorem ac decus intelligit, additque illam à *gloriâ Domini colligi*, sive circumdari, ex mente Septuaginta, id est vera & divina gloria illustrem esse, tum requiem, ac sanitatem ei spondet, ac denique horto irriguo, ac fonti perenni eam confert, ut ejus iterum lætam faciem, & insuper fructuum omnium fœcunditatem significet.

651. *Maximè propria caritati in defunctos.*

Si ergo de misericordiâ in mortales hæc vera sint, quantò potiùs de eâ, quæ ad defunctos se exportigit? Quid enim onus illud æris, quid esuries, quid cubatio sub dio, quid nuditas ad ignis purgantis supplicium? Quid igitur exemptio ab ejusmodi miseriis, si cum liberatione ab illo igne comparetur? Quantum itaque beneficium, quàm illustre charitatis genus est, quo vel unica anima tormento flammarum purgantium eripitur? Atqui fieri potest, ut unius preculæ, vel modicæ stipis beneficio eripiatur aliqua, cui perparum

luendum restabat, Et numquam non occidit, ut eorum, quibus ea destinas, vel certè aliorum, si fortè divino judicio priores subinde iis privandi censeantur, pœna saltem aliqua extinguatur. Quamobrem quis satis æstimet artem illam charitatis, qua quis prece, stipe, aliisque suffragiis cumulatis, facili negotio plurimos è piis manibus plurimum levat, aut etiam omninò liberat?

652. *Cujus vis demonstratur.* Sed rem hanc latiùs fundamus. Author est Angelicus Doctor cum scholâ suâ universâ, plurimisque aliis, minimam pœnam lustralem etiam sensûs, graviorem esse maximâ hujus vitæ: Igitur eo quidem authore plus boni ac solatii confert miserrimis illis animis, qui pro iisdem vel preces fundit, vel bolo genium fraudat, vel teruncium pauperi largitur, quàm qui ex charitate perfecisset, ut vel Chrysostomus aliquis aut Silverius ab infami ac calamitoso exilio revocaretur, vel Jobus quispiam omni morborum atque ulcerum genere liberaretur, vel alius ad triremes damnatus non modò libertate, sed etiam maximo honore donaretur, vel prædo insignis exquisitis suppliciis eximeretur. Testis est S. Polycarpus Presbyter in vitâ S. Sebastiani, ignem hujus vitæ, picturam quandam esse ignis tartarei, qui cum lustrali idem est: atque adeò visionem ab igne nostrate umbram esse visionis à purgante. Qui ergo prodigium illud fortitudinis, Joannam ab Arcu, vulgo virginem Aurelianensem, è rogo, in quo ab Anglis consumpta fuit, vivam eripuisset: aut qui Christianos Romanos postibus extraxisset, in quibus pice accensi crudelibus Neronis oculis jucundam lucem dedere; is illius viri sententiâ non nisi umbram, seu imaginem exhibuisset illis solatii, quo defunctum reficit, qui vovendo ut requiescat in pace, expiatoriam illius flammam mitigat: Demum asserit Cæsarius Arelatensis, & ante illum S. Augustinus, Purgatorium ignem *duriorem esse, quàm, quod possit pœnarum in hoc sæculo aut accidere, aut sentiri, aut cogitari*: ergo pariter asserit eum, qui pro parente, aut consanguineo psalmo de profundis ex germanâ caritate recitato, eos ab acerbissimo illo purgantium ignium supplicio eximit; eosdem levare graviori malo, quàm Diocletiani, Maximini, Valeriani, Licinii, Maxentii, aliique omnes tyranni potuerint excogitare. Quàm nobilis igitur ex eorum mente, quàm potens, quàm divina charitas in defunctos, quatenus vel solâ pœnâ sensûs eos eximit!

653. *Etiã quòd Purgatorii* Sed vix quidquam adhuc de illâ dixi. Nam diuturnitas tormentorum hujus vitæ prope punctum est ad diuturnitatem lustralium. Quippe hæc ad centenos, ac centenos annos, imò ad millenos sese extendunt, cùm tormenta Martyrum pleraque, ut summum ad paucas horas duraverint: morborum autem acerbitas, si diu duret, nec continua, nec maxima esse possit, atque ut sit, ad longiorem vitâ moram non possit se porrigere. At purgantis ignis cruciatus ab Animâ semper ad sensum æquè vegeta excipiuntur: numquam intermittuntur: ad plures annos sæpè, subinde ad centenos, ac millenos, ut dixi, imò ad diem usque judicii protrahuntur. Ea igitur Charitas, quæ saltem ad annos aliquot illos contrahit par illi charitati est, quæ mille, ac mille homines ab horario incendio vindicaret, cùm mille, ac mille horæ complurium annorum spatio comprehendantur. Sed fac quempiam è defunctis ab unius solummodo diei pœnis tuâ vel prece, vel stipe asseri, quot in die numerãtur horæ? quot in horâ minuta? quot in minutis partes, etiam notabiles, illis præsertim quibus præ tormentorum acerbitate dies pro anno est? Quàm illustris, amabo, ea caritas, quæ patrem, matremve vel ad unicum diem tantis malis quolibet hujus vitæ supplicio majoribus liberat!

tormenta sint diuturniora.

654. *Collatio hujus caritatis cum aliis.* Quare si Princeps ille medicorum Galenus omnium laudibus celebratur, quòd in ægros omnes, etiam pauperes & abjectos, esset humanissimus, & quà consiliis, quà scriptis de genere humano benè mereri studeret. Si populus Genuensis ab Andreâ Auria Gallis ejectis in libertatem Anno 1528. assertus, præclaram, atque adeò perenni gratissimorum animorum testificatione illustrem legem rogavit, quam Decuriones cunctis suffragiis sanxere, ut Auriæ statua Colossææ magnitudinis è Lucensi marmore decerneretur, cujus basi inscriberetur hic titulus, Andreæ Auriæ civi optimo, fælicissimoque vindici, atque authori publicæ libertatis Senatus, populusque Genuensis posuit. Si denique Divi Sospitatores, ut Sebastianus, Rochus, Drogo, aliique permulti, tanto apud mortales in pretio sunt, quantis laudibus digni erunt amatores ac vindices piorum manium, quàm celebres apud Cælites, quàm cari ipsis defunctis!

655. *Gratissimus piorum manium animus.* Pone tibi ante oculos Abrahamum ex igne (in quem à Chaldæis injectum fuisse tradunt Hebræi, nec improbat Hieronymus, & sentire videtur Ecclesia) prodigio, & ministerio Angelico eductum. Pone Lothum ab Angelis cum domo sua è Sodomæis flammis ereptum. Pone demum ante oculos tres illos pueros Sidrach, Misach,

sach, & Abdenago, in igne Babylonico illæsos. Tum in mentem subeat, Angelum cum iis postremis in fornacem vultu radiante descendisse, in eaque afflasse ventum roscidum, quo vis ignis à pueris depulsa, & ii mirè recreati sunt. Deinde eos ipsos Spiritu Sancto afflatos hymnum inter flammas divinissimum Deo decantasse: Sic enim Scriptura. *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit. Tunc hi tres, quasi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace dicentes. Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula, quia eruit nos de inferno, & salvos fecit de manu mortis, & liberavit nos de medio ardentis flammæ, & de medio ignis eruit nos. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius*: Pone, inquam, hæc tibi ante oculos, & mihi crede, ita concinit anima, quam Purgatorii Amator vel levat, vel liberat. Nempe gaudio simul & igne perfusa liberatorem suum summis laudibus in cœlum extollit, eum pro Angelo habet, charitatem ejus satis prædicare nequit. Denique illius primarium authorem, incentoremque, quantum fas est celebrat: Et iterum mihi crede, longè plus gratiæ acceptum refert suo vindici, quàm & Abrahamus, & Lothi familia Angelis eductoribus, & tres illi pueri liberatori Genio retulere: quia profectò multo majus beneficium est amatoris piorum manium animam longo præsertim Purgatorio asserentis, quàm omnium istorum Angelorum in suos clientes extiterit.

656. *Quorum liberator Christo similis.*

Quare non jam Angelo comparem nostrum Amatorem: sed Christo Redemptori, cujus speciem præferebat ille, qui tres pueros servavit: de quo Nabuchodonosor, *Ecce video*, inquit, *quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est: & species quarti similis filio Dei*, id est, Christi, quem quatenus est Verbum Patris, etiam ante assumptam Humanitatem apparuisse specie humanâ qualem post gessit, locutumque censent Tertullianus, Hilarius, Augustinus, Rupertus, & alii: Et sanè aptissimè quadrant nostro defunctorum Amatori illa Christi de seipso apud Isaiam c. 6. *Spiritus Domini super me. Eo quòd unxerit Dominus me: Ad annuntiandum mansuetis, misit me: ut mederer contritis corde: & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem: ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo: ut consolarer omnes lugentes.* Etenim dubium esse non potest, quin studium illud piis manibus opitulandi, à Spiritu Sancto afflatum sit, atque à Patre misericordiarum, & totius consolationis inditum. Deinde mansueti illi, sive, ut græca ferunt, pauperes, rectè defunctos fideles significant, quippe quibus nihil est vel mansuetius in cruciatibus derferendis, vel egentius. Quid verò excogitari potest iis tristius, cùm criminum dolore magis, quàm flammis urantur? Aut quibus captivi nomen melius convenit, quàm iisdem? Quare cùm illis Amator noster secundùm Christum libertatem procuret, meritò encomia illa Servatoris illi accommodes, ut & defunctis pacem annuntiet, & eorum dolori medeatur, & veniam obtineat, & jubilæum impertiatur, & supremum ultionis diem, ineuntemque solatii & gloriæ æternitatem prædicet. Ex quibus demum conficies amatorem piorum manium ob liberationem à minimâ damni, aut sensûs pœnâ, quam præculâ, aût exiguâ stipe consequitur, omni laude superiorem esse.

ARTICULUS IV.

Ejusdem charitatis excellentia ex dignitate gloriæ cœlestis, quæ defunctis procuratur.

657. *Misericordia quid divinum est.*

DE misericordiæ præstantia optimè philosophati sunt duo Græciæ Catholicæ lumina Gregorius Nazianzenus ac Nyssenus. Ille quidem orat. de pauperum cura, *Nihil*, inquit, *tam divinum habet homo, quàm de aliis benè mereri, tametsi ille*, Deus scilicet, *maiora, hic minora beneficia conferat, uterque nimirum pro suis viribus. Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.* Nyssenus verò l. de Beatitudinibus. *Si misericordis*, ait, *appellatio, Deum decet, ad quid aliud te sermo Dei hortatur, nisi ut Deus fias, tamquam insignitus propria nota Deitatis?* Ita ipse. Causa porrò hujus pronunciati est, quòd ea potissimùm virtus essentiam, ac velut definitionem Dei designet; quam divinam essentiam in independentia Theologi constituunt. Hoc enim ipso quo quid intelligitur non pendere ab alio, intelligetur quoque nihil esse à quo limitetur, atque adeò

essentiâ ac naturâ esse infinitum, ac propterea cætera intelliguntur ab eo pendere: Atqui misericordia & sufficientiam ac copiam denotat (cùm habeat, quo aliis benè faciat) & aliorum, nempe miserorum, à se dependentiam. Nisi fortè malis, nihil melius Deum repræsentare misericordiâ, quòd ipse nullum è divinis attributis, unde cognosci posset, crebrius ac luculentius hac in vitâ ostenderit, quàm benignitatem, ac misericordiam. Quo factum ut Ecclesia sic illum oret: *Deus cui proprium est misereri semper, & parcere.*

658. *Præsertim misericordia in defunctos.*

Quod si verò quævis misericordia quid divinum est, si misericors homo est Deus, is maximè hoc nomine dignus est, qui in pios manes exercet misericordiam. Nec enim majus beneficium illis conferri à quoquam potest, quàm gloria cœlestis: quæ perfecta infiniti Numinis possessio est. Complectitur enim tum visionem ejus beatificam, tum amorem gaudiumque beatificum, tum alia quæ simul cum his ex visione illa quadam velut naturæ necessitate feliciter erumpunt. In quorum aggregatione quis non videt unam & expressissimam imaginem Divinitatis? Quis deinde non intelligit ab Amatore illo defunctos effici Deos? Etenim ille ipse est, qui satisfactionum suarum tanquam alis illos in cœlum subvehit; ille est, qui earundem velut clavibus illud eis sic aperit, ut ingressum prohibere ne Deus quidem possit, aut sui conspectum negare, cùm promissum eis fructum nequeat non præstare. Ex quibus patet ipsummet Amatorem quendã Deum esse. Et certè quod Jerosolymæ cælesti facturum se Deus ipse pollicetur, dum ait Isaiæ 66. *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium: quam sugetis: ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis:* ubi summis gaudiis, summaque gloria afficiendam cælectem solymam indicat, ejusque cives tenerrimorum instar filiorum à Deo ipso habendos: hoc, inquam, & ejusmodi alia defunctis præstat Amator ille, quia horum omnium vera causa est. Accidit, quod eosdem velut dominos Numinis efficiat. Nam Christus Lucæ 12. *Præcinget se*, ait, *& faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis*, nempe beatis cœli incolis: atque adeò illis, quos noster Amator ope sua cœlo inseruerit.

659. *Cum faciat illos cœli Reges, aut Regina.*

Itaque non mirum si Apocal. 5. Reges se pronuntient (nam *Fecit nos*, inquiunt, *Deo nostro Regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram*) cùm *Regi ipsi sæculorum immortali, & invisibili* velut dominentur, quando eum habent ad obsequium suum semper paratum. Et minus admirabile est, quod Chrysostomus Homil. 33. ad populum tradit, *melius esse hanc artem dandi eleëmosynam nosse, quàm Regem esse, & diademate coronari*: cùm eleëmosyna, si defunctis detur, eos ipsos cœli Reges efficiat. Præsertim cùm regium palatium illis aperiri curet, ad eumque spectent illa Davidis; *Attollite portas, Principes, vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Sanè qui patrem, aut matrem, aut amicum, aut alium quemvis suis satisfactionibus impertit, dicere illis videtur, quod Isaias c. 53. *Oculi tui videbunt Jerusalem civitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur, Quia solummodò ibi magnificus est Dominus noster, Locus fluviorum, rivi latissimi, & patentes.* Quasi dicat: Eia benè spera: ope divinâ, precibus meis impetratâ spectabis brevi Cælestem illam Jerusalem, imò & tabernaculum, seu palatium perenne, quod tibi paratum est: Quod quidem adeò magnificum, ut Deus omnium conditor præ illo nihil magnificum fecisse videatur. Quin eadem ope *intrabis in gaudium Domini tui.* Cùm igitur Amator noster hanc cœlestem ac infinitam excellentiam piis manibus, & multis quidem conferat, ingentem inde dignitatem sortiatur, necesse est. Nam si apud mortales quicumque nonnullâ affinitate vel Regem, vel eam attingunt quæ in Regis Sponsam assumitur, dignitatem inde non vulgarem accipiunt; quantâ piorum manium Amator florebit apud Deum dignitate, quem charitas sua animis à se ad cœlum, atque adeò ad regnum sive ad divinas nuptias provectis, intimè conjungit. Esther quidem Regina ab avunculo Mardochæo ad regnum provecta, eum adeò coluit, ut sine illius nutu ac consilio nihil ageret, tandemque Amano in crucem sublato ad proximam Regi Assuero celsitudinem promoveri curaret. An verò nos amantissimis illis cœli Reginis imparem grati animi sensum inesse arbitrabimur? An non immenso amplius exspectabimus à divino Assuero, qui Estheri, seu Sponsæ suæ non dimidium regni sui, quemadmodum ille Assuerus, sed totum ipsum cœleste regnum *ex nimiâ*, ut loquitur Paulus, *charitate* promisit, & impertit?

660. *Unde amor Christi, & defunctorũ in liberatorem.*

Nam si adeò Sponsam adamat, illum quoque qui eam carceris squallore, flammisque ereptam, sospitem, ac fulgentem ei sistit,

ei sistit, & quodammodò donat, vehementer adamet, oportet. At quanto amore? Siquidem Amatoris piorum manium ope perficitur, ut divinus Sponsus his sacri Epithalamii carminibus Sponsam cœlum subeuntem salutare possit: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te. Veni de Libano Sponsa mea, Veni de Libano, coronaberis de capite Amana, de vertice Samur, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Cant. 4. Enimverò maculæ, quibus Sponsa prius notabatur, per illum Amatorem deletæ sunt: Per eumdem habet illa, quod venire possit *de Libano*, qui candidum sonat, apteque Purgatorium denotat, in quo animæ dealbantur; per eumdem habet, quod veniat *de capite Amana*, quod vocabulum nutricem significat, propterea que etiam Purgatorium indicat, quippe in quo flamma perennis, & spes piorum manium continenter alitur. Ejusdem subsidio venit *de vertice Samur*, quod mutationem lucernæ innuit, quia in Purgatorio longè alia lux animis affulget, cùm divina æternaque multò pluris, quàm in vivis æstiment: quamquam quia ea lux adhuc obscura, ideò è lucernâ prodire dicitur. Ejusdem ope venit *de Hermon*, quod vocabulum anathema significat, quia in Purgatorio animæ velut anathemate percussæ, & à Sponsi conspectu alienæ detinentur. Neque ratio *montis* Purgatorio malè convenit, etsi deorsum sito: quia ex eo pii manes proximè cœlum conscendunt. Denique per eumdem habet Sponsa ut *veniat de cubilibus leonum, de montibus pardorum*: Quippe quòd dæmones, veri sanè leones ac pardi, sævitiâ ac voracitate, subinde in Purgatorio ftabulari, & aliquos sibi olim nimis obsecutos punire dicantur. Postremò habet per illum, *ut gloria, & honore* in oculis omnium cœlitum *coronetur*. Quamobrem qui divino Sponso, ac Sponsæ tot gaudiorum fons est, non potest non utrisque in summo esse amore. Cùm igitur amantissimus ille Sponsus, ubi dixit Proverb. 7. *Ego diligentes me diligo*, statim addat, *mecum sunt divitiæ, & gloria, opes superbæ, ac iustitia*: ac paulò post, *in viis iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicii, ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam*, quanta gloria, quàm superbæ opes, quanta celsitudo manent Amatorem illum, quippe Sponsum & Sponsam ita diligentem? Accedit quod idem patrem, matremque Sponsæ se exhibeat, quia vitæ meliori ac cælesti eam generat: fratrem quoque, quia illi ferè alterum reipsa se demonstrat; sororem insuper, quia teneritudine commiserationis ac benevolentiæ in illam suæ completur. Qui ergo tot nominibus ac modis illas cœli Reginas sibi obstringit, quo apud eas loco futurus est, quantâ gratiâ apud Deum ac Cœlites valiturus?

661. *Qui iisdem confert perfectam filii Dei dignitatem.*

Quibus addo, quod eadem charitas eâdem operâ pios manes ornet perfectâ filiorum Dei dignitate, (quæ in perfectâ cum ipso Deo similitudine sita est,) & insuper paternâ hæreditate Regnoque donet. De hac dignitate agit in suo Evangelio Joannes, authoribus Dionysio, & Caietano, dum ait, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. De eadem apertè loquitur Paulus cùm ait Rom. 8. *Adoptionem filiorum Dei exspectantes*. De eadem intelligenda Ecclesia, dum sic orat: *Deus qui fidei sacramenta in Unigeniti tui gloriosâ transfiguratione, Patrum testimonio roborasti, & adoptionem filiorum perfectam voce delapsâ in nube lucidâ mirabiliter præsignasti*. Etenim adoptio ejusmodi duplex est, Imperfecta altera, & occulta, qualis in terris; altera perfecta, quæ in cœlo obtingit: ubi per lumen gloriæ, ac visionem beatificam multò similiores Patri æterno reddimur. Quare Joannes Ep. 1. c. 3. *Carissimi*, inquit, *nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus autem quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. Hanc igitur perfectam filii Dei adoptionem piis manibus procurat eorum Amator. Quare cùm D. Leo Serm. 6. de Nativitate de priore adoptione hæc intelligat, *Omnia excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet patrem*: Cùm de eadem agens Gregorius Homilia 6. in Ezechielem, sic exclamet, *Quid hac potestate altius? Quid hac altitudine sublimius dici potest*; Quid ipsi de Amatoris animarum eo, quod tractamus, dono; quid, inquam, de perfectâ illâ adoptione dicerent? nos verò quanti beneficium illud æstimare, quibusvè laudibus satis celebrare poterimus authorem illius charitatem? Etsi enim Christo Redemptori ea laus primariò debeatur, voluit tamen ut & benevolis in pios manes mortalibus communicaretur, cùm re ac veritate cælestem gloriam illis procurent.

662. *Etsi tantum accelerari videatur.*

Neque verò dicas non tam impertiri defunctis cælestem gloriam, quàm iis aliquando debitam accelerari, nam si accelleretur, ergo illius possessio tribuitur, vel ad annum, vel ad biennium, triennium, plus, minusvè. Porrò possessio tanti boni, vel brevissima, digna est, ut superiùs

periùs dicebamus, quæ perpessione omnium hujus vitæ malorum, & traditione omnium ejusdem bonorum ematur. Quid annua, quid biennalis, quid triennalis possessio? nonne amplitudo mundi hujus, seu Pontificia, seu Imperatoria, seu Regia, quæ tanti fieri solet, frequenter non tam diu durat? Deinde minus grave est supplicium, quod animæ in Purgatorio perferunt, quàm sit læta, fælix, atque expetenda cœli beatitudo, quam mortalium ope consequuntur: quis verò non plurimi æstimet lustrales rogos, ad annuum, aut biennale spatium tolerare, vel evadere, cùm tanti sit apud mortales, rogum prope momentaneum aut pati, aut evitare? Quid dicam nonnullas animas ad cœleste Regnum ope piorum mortalium promoveri, decennio, vicennio, trecennio, & amplius, priusquam per se illud adeptæ fuissent; quanto tempore vix imperia humana tenentur? His adde gaudium, & gloriam quandam æternam ex eâ acceleratione in eos, qui eâ fruuntur, derivari. Cùm enim toto eo tempore, & intimè Deum ament, & dilaudent, & ad omne illius obsequium sint paratissimi, nemo dubitare potest, quin & à Deo redamentur, & ideò totâ æternitate redamandi sint, & ipsi propterea eadem æternitate totâ lætaturi, & gratias pro acceleratione maximas acturi, non Deo dumtaxat, sed & nominatim vindicibus suis, ac redemptoribus. Ergo ex hoc quoque capite ingens gloria manat hujus charitatis, & Amatoris piorum manium decus incomparabile refulget.

663. *Illa charitas torques est aurea.*

Quamobrem ô quisquis hæc legis, quisquis veræ apud Deum & Cælites gloriæ es studiosus, moneo te Verbis Sapientis Proverb. c. 3. *Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat; longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi.* Quænam siquidem ea lex, nisi amoris, ac misericordiæ? subdit enim proximè, *misericordia, & veritas non te deserant:* quæ sic Vatablus vertit: *beneficentia, & fides*, seu fidelitas *non deserant te*: Et nos eam fidem accipere possumus: quæ utplurimum piis manibus debetur, quibus utique à superstitibus solet subsidium sponderi, quæve per se omnium est illustrissima. Quamobrem sic prosequitur, *circumda eas gutturi tuo*, nempe ad insigne divinæ nobilitatis. Ita enim Chrisostomus in Epistolam ad Philippenses; *Adapta*, inquit, *eas collo tuo, sicuti divitum liberi circa collum bullam habent auream, illámque numquam deponunt, utpote quam tamquam nobilitatis suæ insigne gestant: ita & nos eleemosynâ semper amicindi sumus, ut ostendamus nos benigni, & misericordis patris esse filios, qui solem suum exoriri facit super bonos, & malos*: Et inferius, *Circumdemus*, ait, *nobis istum ornatum. Torquem faciamus auream: eleemosynam dico, dum hic fuerimus; quamprimum enim hæc ætas transierit, nullus amplius eius erit usus.* Hæc Chrysostomus. quæ de misericordia in defunctos potissimum rata sunt: cùm torques principatus sit indicium, & hæc misericordia non modò ad Regnum evehat pios manes; sed & misericordes. Quare sequitur in Sapiente: *Describe ea in tabulis cordis tui, & invenies gratiam, & disciplinam bonam coram Deo, & hominibus*: quæ demum gratia parens est gloriæ, & disciplina docet regium in hac vitâ induere animum, & parat in cœlo solium, regnumque amplissimum.

ARTICULUS V.

Excellentia ejusdem charitatis quatenus in cœlum præmittit animas Deum suo loco ac nomine laudaturas.

664. *Sumus causa cur defuncti Deum laudent in cœlum.*

CHARITAS, quam prædicamus, partim animas purgandas respicit (de quo respectu hactenus egimus) partim Deum, cujus in gloriam omnis illa acceleratio beatitudinis defunctorum redundat, partim denique nos ipsos, qui eam exercemus, quippe quorum etiam maximo bono eadem acceleratio cedit. Enimverò nostra eorumdem operâ, Deum opt. Max. summopere amant, celebrantque, atque adeò summam illi gloriam tribuunt. Atqui si verum est, ut est, Philosophorum scitum, quod est causa causæ, nempe necessariæ, est etiam causati causa. Cùm igitur causa simus acceleratæ beatitudinis, consequitur ut simus pariter causa omnium amoris ac laudis actuum, quos toto illo spatio eliciunt, quandoquidem necessitate quadam eos eliciant, quia bonum immensum intimè cognitum non potest non summopere adamari ac laudari: Adde orationem pro piis manibus, & transcriptionem nostræ satisfactionis eò destinari, ac tendere, ut beatitudine brevi fruantur, atque adeò ut simul amori beatifico, simul divinis laudibus continenter incumbant. Quamobrem id omne & amoris, & laudum divinarum, verè dici potest à nobis proficisci,

proficiſci, & noſtro nomine ac loco Numini reddi. Quibus adjunge pios manes, & mentem illam noſtram ſcire, & approbare: Deum item ipſum, cùm ex caſto ejus amore profluat, eam amare & admittere. Quemadmodum ergo, qui muſicos in ædem aliquam mittit, ut ſuo nomine Deum concinant, is eorum vocibus illum canit; maximè ſi & ipſi muſici ejuſdem ſint mentis: Sic quoque tota eorum muſica nobis aſcribetur, non modò merito noſtro, ac procuratione, ſed maximâ quoque eorum voluntate: nequeunt enim non eſſe gratiſſimi ac benevolentiſſimi.

665. *Et ut tepoſtrum ſuppleant.* Id verò caritatem illam in vitâ functos nimium quantum commendat. Primùm enim quàm dulce ac jucundum nobis, alioqui tepidis, ac frigidis potius Numinis ſervis eſſe debet, plures habere, qui operâ noſtrâ ipſum idem Numen ferventiſſimè ament, laudentque amantiſſimè; Nam numeremus ſi libet cum noſtro Jacobo Alvarez de Paz lib. 5. P. 3. c. 31. detrimenta operum tepidorum. *Primum Deum non placant*: 2. *Angelorum, & Sanctorum iram merentur*: 3. *dæmones ad riſum, & contemptum provocant*: 4. *minimè ipſum operantem perficiunt*: 5. *maiorem in dies perfectionis aſſequendæ difficultatem inducunt*: 6. *tempus ferè ſine fructu conſumunt*, Ita ipſe. Quorum omnium cauſas non ægrè poteſt quiſque invenire. Sed his adjiciamus inſuper jacturam temporis, & velut vitæ noſtræ interruptionem à ſomno neceſſario ac ſuperfluo exortam. Addamus impedimenta Deo vacandi, ex negotiis curisque forenſibus; quantulum reſtabit quod ad Numinis gloriam cedat? Nonne de nobis ratum eſt illud Sapientis Proverb. 10. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa*? Revera enim plerique noſtrum utique cæleſtium egeni, Deo perparum reddimus, cui tamen omnia plurimis nominibus debemus. Itaque juvat nos in cœlum animas legare, quæ nomina noſtra diſſolvant, & Deum nobis placent, & Cælitum gratiam demereantur, & pudore dæmones ſuffundant, & nos ad perfectionem favore ſuo provehant, ac denique noſtram laudis divinæ inopiam abundè ſuppleant.

666. *Efficacius quam ſi locaremus muſicos.* Vide porrò quàm id egregiè noſtra in defunctos charitas præſtare poſſit. Perſpectum eſt enim imprimis efficaciùs ab eâ perfici ut laudetur Deus, quàm ſi grandi ære muſicos ac cantores conducas, ut tua cauſâ Deum concinant. Nec enim quantiſlibet impenſis tuis eorum libertatem ſic emes, ut non integrum eis ſit, & fortè deliberatum, non tam Deum cantu ſuo, quàm artem ſuam celebrare, imò nequaquam Dei, ſed nominis ſui captare gloriam.

667. *Aut qui cœnobia exſtruunt.* Jam qui cœnobia exſtruxere ad cantum perennem Numinis, quique ea legibus ſuis ac cerimoniis inſtruxere, ut Auguſtini, Benedicti, Bernardi, ſecuriores quidem ſunt de piâ cantorum ſuorum, utpote religioſorum, voluntate; ſed tamen & ipſa inconſtans eſt, & in vitium curva, pronaque: & licet eorum laus Eccleſiæ, quæ Deo, ac Sponſo ſuo Chriſto ſemper gratiſſima eſt, nomine numquam non placeat, tamen plurimum ornamenti ex illâ decerpit, multorum vanitas, oſcitantia, mentis evagatio, curioſus aſpectus, prava cogitatio, & hujuſmodi. At ea Numinis laus, quam procurat charitas in defunctos, certa prorſus & integra eſt, nec umquam ullo vel vitio deformis, vel tempore interrupta: hoc igitur reſpectu clariſſima eſt.

668. *Aut qui Angelos ad Deum laudandum invitant.* Denique dum tres illi pueri Babylonici cum reliquis rebus conditis Angelos invitant ad grates Numini, laudesque decătandas: dum Vates Regius multis locis eoſdem ad idem munus provocat, certi quidem ſunt Sanctos illos Genios propter prolixiſſimam in Deum voluntatem partibus ſuis non defuturos, (& eadem ratio eſt cæterorum Cœlitum idem volentium ac petentium) ſed illud non tam eſt cauſam eſſe efficacem laudum Angelicarum, quàm precario eas obtinere. At charitas illa, quam pertractamus, cùm pios manes in odæum cæleſte introducat, ubi non poſſunt non velle Deum prolixiſſimè laudare, ipſa verè efficit ut laudent.

669. *Laudant Deum defuncti excellenter.* Sed puſilla ſunt iſta ſi cum dicendis conferantur; licet enim in Cœnobiis certò, ac ſemper, & optimè celebraretur Deus, tamen eadem caritas procurat Deo laudes præcellentiores quàm in Cœnobiis tam Monachorum, quàm Monialium concini poſſint: nam etiam in Purgatorio animæ Deo gratiſſimæ ſuo propterea grates ex amore rependent: porrò earum amor, ac lætitia ex amore manans, excellentior eſt amore mortalium, cæteris paribus, & numerus piorum manium longè frequentior eſt numero Monachorum, & Monialium. Ex quibus conficitur ejuſmodi in purgantes animas beneficentiâ provocari pios manes ad plures ac gratiores Dei laudes, quàm in Cœnobiis à perfectiſſimis quibuſque viris ac fœminis proficiſci poſſint.

670. *Vno adjuto cæteri omnes Deum laudant.* Illuſtrantur hæc ex Joanne de Lugo quem eminentiſſima ſapientia ad ſacram purpuram è Soc. Jesu evexit. Is enim diſp. 26. de pœnit. Sect. 20. poſtquam quæſiit, an ſuffragium, quod pro uno defuncto

offertur, prosit indirectè aliis defunctis, affirmat. *Quia*, inquit, *animæ illæ habent invicem maximam unionem charitatis, & dilectionis mutuæ: quare necesse est, quod omnes gaudeant de sublevatione alterius, & de remissione ei concessa: ergo habent omnes lætitiam aliquam accidentalem de illo suffragio, ergo aliquod solatium, & per consequens aliquam pœnæ diminutionẽ. In quo sensu non video inconveniens, quod hoc solatium accidentale concedatur in aliis, ita ut per accidens habeant aliquod accidentale levamentum perseverante pœna essentiali, ut ita dicam, in eodem rigore. Nam sicut non omnia gaudia accidentalia, quæ beati habent in cœlo, necesse est, quod oriantur ex mensura meritorum, & beatitudinis essentialis, sed possunt provenire aliunde, imo & possumus nostris orationibus ea illis impetrare*, ut fatetur Suarez Tom. de Rel. 1. de orat. cap. 14. *possumus etiam eos nostra conversione lætificare, sic possumus dare occasionem alicuius solatii accidentalis animabus.* Hæc de Lugo. unde conficias uno è piis manibus adjuto, cæteros omnes in Dei laudes gratesque exilire.

671. *Laus, & amor patriæ essentiâ præstãtior quàm viæ.*

Sed ecce paradoxum profero longè etiam illustrius: istud mihi suggerunt Theologi, qui ut diximus num. 151. amorem patriæ essentiâ perfectiorem esse volunt amore viæ. Quoniam sicut colorum notitia quam cœcus accipit ex auditu, planè dissimilis est, & supra quàm dici potest cedit eorumdem notitiæ quam percipit oculatus ex visu: ita Numinis notitia per fidem nimium quamtum cedit ejusdem notitiæ per beatificam visionem perceptæ: atque adeò divina bonitas per visionem clarissimè repræsentata prorsus alia est à seipsa obscurè cognitâ per fidem; & quod hinc consequens est, planè diversum atque excellentem parit sui amorem, ac proinde essentiâ superiorem. Ex quâ plurimorum, nominatimque Angelici Doctoris sententia concludit noster Lessius, *Amorem Dei in patriâ esse incomparabiliter perfectiorem, quàm possit esse ullus in viâ, neque hunc amorem etiamsi crescat sine fine, posse umquam exæquari amori patriæ; quitam sublimis, divinus & admirabilis est quàm ipsa visio, & tantum superat omnem amorem viæ, quantum visio omnem cognitionem.* Hæc Lessius. Ex quibus facilè est prope immensam ejus, quam prædicamus, caritatis laudem colligere. Cùm enim perficiat ut plurimi è piis manibus, celeriùs emigrent in cœlum, ibique Deum divino ejusmodi amore complectantur, pariter efficit, ut divina illa bonitas supra quàm dici, aut concipi potest, puriùs, excellentiusque ametur à plurimis, quàm amari à mortalibus possit. Quare cùm actuum illius amoris singuli illâ incomparabili præstantiâ polleant, & cùm singulis momentis multiplicentur, idque ab aliquibus decennio, ab aliquibus octennio, ab aliis fortè diutiùs, cùm denique absque eâ caritate fuisset, tam præclaris, tamque multis amoribus Deus in æternum privatus esset; quæ lingua, quæ mens vel Angelica, caritatis nostræ excellentiam pro meritis possit extollere? Et si amoris beatifici tam augustum sit decus, tam incomparabilis claritudo, & aliunde par amori laus Cœlitum singulis pariter momentis iteretur, & utraque conjuncta sit non impari gaudio beatifico; quis eamdem nostram caritatem eorum fontem satis æstimare queat?

Sed licet hoc adeò eximium videatur, tamen alio respectu longè apparebit sublimius: nam fac religiosum de vulgo hominem, id est, ex mediocriter dumtaxat bonis, qui non timore pœnæ, sed cœli, aut virtutis, aut etiam subinde Numinis amore ducitur, è Purgatorio tuâ ope, ut fieri pro num est, liberum cœlo inseri. fac eum septuaginta vixisse annis, & à vigesimo ætatis anno, quo religionis habitum induit, centenos in singulos dies actus virtutis elicuisse; Agè quis numerus futurus est actuum virtutis ab ipso toto spatio religionis editorum, & quod ei consequens est, quis numerus graduum gratiæ gloriæque ab eo acquisitorum? cognoscere aves? aio futurum millionem, & octinginta viginti septem millia actuum, & ducentos; ergo cœlum ingrediens Deum perfectiùs laudabit, & amabit, quàm millio & octingenta viginti septem millia infantium statim à baptismo mortuorum, quia eorum singulorum gratia gloriaque non æquat primum gratiæ gloriæque augmentum, cùm sit prima, primusque ejus gradus, qui ex sententia D. Thomæ posterioribus essentiæ perfectione cedit: atque ut sic non cedat: tamen minimus gradus sufficit ad animam originali culpâ purgandam, filiamque Dei creandam, cùm ex cœli, aut Dei amore major gratia proficisci debeat. Ac proinde universorum gloria cedit gloriæ viri istius Religiosi. Quare qui hunc precibus suis aliisve pietatis exercitiis celeriùs promoverit ad gloriam cælestem, vera fuerit causa licet partialis illius tantæ gloriæ, atque adeò (absit verbo invidia, & verum liberè eloqui liceat) procuraverit pro eo tempore quo ejus ingressum cœli acceleraverit laudes Numinis præstantiores, quàm millio, & octingenta viginti septem Cœlitum mil-

672. *Laus evehentis virum probum in cœlum.*

lia toto

lia toto eo tempore, puta anno, aut biennio, possint Deo concinere, qua laude charitatis in defunctos quid dici potest admirabilius, quid ad solatium nostrum, & veram gloriam Amatoris defunctorum præstabilius? est tamen aliquid:

673. *Quid si vir sanctus liberetur?* Vis illud nosse? en subjicio oculis. Age pone ab eo Amatore flammis eximi virum è perfectis aliquem; is quippe & facilius eximetur, quòd parum debeat, & Amatori piorum manium longè amplius gloriæ tribuet. fac enim & illum ad quinquagenos ab ingressu Religionis annos vitam produxisse, fac millenos in singulos dies purissimi amoris actus concepisse. Post exactos ætatis quinquagenos, cumularit amoris actuum circiter undecim milliones, sive centies & decies centena millia: ac proinde singulis momentis tantum Deum amabit, laudabitque, quantum centies, & decies centena millia infantium cœli incolarum. Sed parum illud. Cùm enim unicus amoris Dei actus innumeris aliarum virtutum actibus æquivaleat, tantum insuper singulis momentis ab eo viro perfecto laudabitur divina bonitas, quantum ab innumeris imperfectis, de quibus prius egi. Et quod ex his consectarium est, Amator defunctorum, cujus beneficio lustralibus flammis exemptus fuerit, totidem per eum tam eximium divinæ laudis præconem momentis Deum laudabit, quot fælicitatem ejus accelerarit; quid si ad unum, duosvè dies? quid si amplius? Quantum hinc emerget gloriæ nostri Amatoris?

674. *Quid si pro omnibus oretur?* Verùm enimverò etiam sublimiora eloqui nobis licet. Nam qui preces, aut satisfactionem ex jejunio, eleëmosyna, sacrificio manantem omnibus Purgatorii carceris captivis applicat: is certè, si præsertim non parvo spatio, nec vulgari amore id faciat, illis omnibus, ac singulis tempus contrahit Purgatorii. minuit enim aliquantulum pœnam damni simul cum pœnâ sensûs, ergo visionem beatificam, & cæterea eam consequentia omnibus & singulis accelerat. Porrò in eâ multitudine multi probissimi, multi, qui Numinis olim amantissimi quotidie gratiam per plures annos auxere in millecuplum & amplius, nulli autem infantibus non sunt perfectiores, cùm simul cum baptismi gratiâ, pœnitentiæ ad minimum sacramentum participarint, atque adeò gratiam ex eo manantem. Quamobrem qui pro omnibus defunctis preces fundit, aut aliud opus potens satisfaciendi exercet, tantam per illa pariet Deo gloriam, quantam parare nequeunt tot millia Innocentium, & imperfectorum cœlo per tot ætates transmissorum, quibus potissimè cœlum impletur; & si plurium annorum intervallo hanc pietatem continuat, sensu statim proposito fons & origo erit tot & tantarum Numinis laudum: quot & quantas cœli bona pars tribuere ipsi valeat, quandoquidem semper novos ac novos in cœlum sit expediturus.

675. *Noster patronus cœlum gaudio implet.* Postremò altius adhuc ascendo, & dico hujus hominis charitatem in defunctos, quamdiu durat, singulis prope momentis beatos omnes provocare ad novas Numinis laudes, novamque gratulationem. Quippe, quia omnibus prope momentis è Purgatorio carcere animæ in cœlum migrant, ipsæque omnes, charitatis illius ope liberæ, universos ac singulos cœli incolas ingressu suo, novoque consortio, gaudiis complent, ac laudibus divinæ bonitatis. Quare cùm unus ille Amator defunctorum ingressus illius vera sit causa, est etiam singulis momentis vera causa laudis divinæ, gloriæque ab universis cœlitibus profectæ; Quo præconio quid possit excellentius excogitari?

676. *Epilogus ad tepidum.* Nunc igitur, mi frigide Numinis Amator, ad te redeo, & quæro, si emergere ex veterno non libet, an non saltem juvet per hosce Numinis cantores, ac præcones divinæ gloriæ excellentissimas ac ferventissimas laudes eidem Numini decantare? Nam si difficultatem metuis, fugisque, quid promptius, quàm eadem gratiâ modicam stipem egentibus impertire, aut desiderium aliquod rei non necessariæ frangere? Quod si facias, recordare quantum operæ pretium facturus sis, quantum amoris, vel in piis illis animis, vel in Cœlitibus excitaturus; quantum gloriæ SS. Triadi semper in omnibus laudandæ redditurus, utcumque animo frigeas, utcumque jejunus ac sterilis piarum cogitationum tibi videare: Certè quidem hæc optima, nec tamen uspiam usurpata ratio est solandi spiritualem suam inopiam, mœoremque ex noxis toties iteratis conceptum levandi, defunctis opitulari; quoniam idem ipsum est innumeros ad supplendam inopiam tuam laudis divinæ invitare, & vicarios oratoresque tuos fidelissimos habere. Etenim si vir quispiam sanctus certo tibi sponderet tua causa gratias Deo quàm propensissimas rependere: animum item suum ad omne obsequium ipsi devovere, & interea nocte dieque laudibus celebrare ejus majestatem, an non ea promissio te solaretur, tristemque & egenum recrearet? Atqui si defunctis auxiliaris, etiam facili ac vulgari stipe ac prece si vel id quod agis, & agere opus est, eorum satisfactioni adscribas, non modò promissum certum,

sed & rem tenes, eos inquam nactus es, quos necessitate quadam obstrictos habes, obnoxiosque divinis laudibus longè, quàm Divi mortales celebrarint, sanctiùs celebrandis. Hanccine igitur charitatem, hanc rationem facillimè egestatem tuam supplendi non studiosè complecti poteris?

677. *Epilogus ad Religiosos.* Sed vos hîc maximè compello, ô Numinis fervidi Amatores. Quanti enim vobis esse debet hoc studium pias defunctorum animas adjuvandi, cùm tantæ Numinis gloriæ ferax sit? nonne vel pro ea solâ gloriæ accessione studiosè ac diligenter diu noctuque mittendæ in purgatorium preces, & transmittendæ animis satisfactiones essent, etsi minimè cruciarentur? nonne pro eâ solâ idoneo rerum æstimatori multa graviaque supplicia essent perferenda? Quid eâ causâ non designavere viri sancti, ac fœminæ? quid non sunt moliti? Enimverò ad amplificandam Numinis gloriam spectabat, quidquid in eorum actis generosè susceptum legimus, vel ad frangendas animi affectiones, vel ad intestinas corporis inimicitias extinguendas. Quid? offendisse aliquando apud Deum opt. Max. ejusque honori ac gloriæ detraxisse tam acerbum visum fuit S. Catharinæ Genuensi, ut amore Numinis, & odio sui velut ebria justitiam divinam adversum crimina sua invocaret, indulgentiam Pontificiam sibi lucrari cunctaretur, aliorum preces non requireret, veniam pœnæ noxis suis debitæ non rogaret, eo dumtaxat consilio, ut pro meritis lueret. Tanta honoris divini per se recuperandi cupiditate ardebat! Vos igitur, qui illius amplificandi tam facilem & efficacem modum nacti estis, an negligere poteritis? Cur, quæso, tam flagrantibus votis ad cœlum aspiratis, nisi ut majestatem illam, bonitatemque immensam castiùs & ferventiùs ametis, ac prædicetis sinceriùs? At quando id nondum licet, en licet efficere transmissis in Purgatorium precibus, ut eam ipsam, & eæ vestro nomine, & Cœlites omnes vestro beneficio, multo, quàm vos ipsi, vehementiùs adament. Ergo transmittite preces, transcribite satisfactiones, sacrificia cumulate: vel unius animæ acceleratus in cœlum ingressus operam omnem vestram plus nimio compensabit gloriæ divinæ amplificatione; quantò amplius complurium liberatio, quas haud dubiè ad eamdem fælicitatem provehetis, si charitatem in defunctos colere pergatis?

ARTICULUS VI.

Magnitudo caritatis in pios manes orta ex periculo subeundi pœnas Purgatorii, cui se Defunctorum Amator exponit.

PARS PRIMA.

Confertur cum misericordia corporali ac spirituali.

678. *Occasio illius periculi.* HÆc una est è præcipuis hujus charitatis laudibus. Cùm enim mortalium quilibet ferè exploratum habeat pœnas expiatrices sibi purgando subeundas esse, easque eò fore acerbiores ac diuturniores, quò minus pro noxis in vitâ fecerit satis. Cùm etiam constet eam satisfactionem, quam defunctis, aut vivis assignavimus, nostram amplius non esse, nec pœnas nobis, sed aliis quibus eam assignaverimus, debitas, posse diluere, consequitur ex hac in defunctos charitate manaturum ut purgantes pœnæ Amatori defunctorum luendæ sint, & quidem graves, ac diuturnæ, quas dissolveret, si satisfactionem suam precumque impetrationem sibi reservaret. Et ea ferè persuasio, vel etiam, ut postea videbimus, formido, multos ab hac caritate deterret, eatenus saltem, ut piis manibus vel omnes, vel præcipuas satisfactiones suas donare prorsus recusent, licet preces, & subinde indulgentiam aliquam & nonnihil operum satisfacere potentium charitatis impulsu ac præcepto concedere consueverint.

679. *Pios non deterret.* Ex quo excellentia fluit pietatis, ac misericordiæ eorum, qui eo metu, ac periculo neglecto pios manes omni, quâ licet, ope juvare contendunt, parati eorum causâ expiatricibus illis flammis cremari, quando Deo ita visum fuerit. Quare omnem, aut prope omnem suam satisfactionem iis transcribunt, aut eam saltem, quam sibi olim necessariam fore existimant. Quorum numerus, jam (quæ Dei gratia est) non mediocris est, crescitque in dies vehementer, atque ut magis, magisque crescat, ejusmodi charitatis decus ex hoc capite demonstrare nunc conabor.

680. *Quod cha-* Imprimis hoc perspectum est, & aliàs diximus, huic caritati nobilitate cedere omne

ritas hæc corporalem misericordiam superat.

omne genus misericordiæ corporalis. Enimverò satis liquet famem, sitim, frigus, & alia corporis mala, quibus hac misericordia mederi solet, cum unicâ corporis conflagratione conferri non posse: tantum abest, ut animæ purgandæ incendium valeant æquare. Nec multum refert, quod charitas in defunctos nullum jam dolorem inferat, nulli, aut fere nulli labori Amatorem illorum obnoxium reddat, uti misericordia corporalis, quæ semper cum labore ac difficultate conjuncta est. Nam eo omni labore gravius est exponere se periculo tam gravis incendii. Et verò quis non malit stipem largiri, ægros solari, peregrinos excipere, quàm certo ac publico patibuli, aut ignis supplicio expositus vivere? Quid verò patibuli ac crucis periculum ad illud Purgatorii? atqui singulis momentis, quemadmodum mortis, ita Purgatorii propè abest periculum: & licet mortem ac Purgatorium procul distare facias, tamen aliquando eventura non ignoras. Neque iterum objicias id periculi non magnopere expendi solere, atque adeò minimè grave esse illud vel sic adire. Nam imprimis tu ipse dum hæc legis, illud discrimen attendis, siquè postea pro defunctis ores, aut stipem eroges, facilè recurret ea cogitatio; & si non multum feriat, forsan inde fit, quòd caritas metum abigat, propter futuræ patientiæ securitatem. Deinde agimus de naturâ charitatis eam attentionem ciere, & tantorum cruciatuum metum fortiter abigere natæ, deque iis, qui eam adhibent. præterea ut absit tantus metus ac difficultas, tamen Caritas generatim, & nominatim hæc Caritas longè nobilius objectum sortita est. Rursum igitur rectè pronuntiamus illam omne genus misericordiæ corporalis naturâ ac nobilitate superare.

Et Spiritualem.

Jam si eamdem caritatem cum operibus misericordiæ spiritualis componere placet, hæc enumerari solent. Peccantes corrigere, Ignorantes docere, Dubitãtibus rectè consulere, Pro salute proximi Deum orare, Consolari mœstos, Ferre patienter injurias, Offensam remittere: quæ quidem singula plurimum laudis merentur, tendunt enim ad procurandum animarum salutem, de quâ Chrysost. Hom. 3. in Genes. *Nihil*, inquit, *ita gratum est Deo, & ita curæ, ut animarum salus; Sicut clamat Paulus dicens, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* ita Chrysost. qui paulo post sic pergit, *ut sciatis quantum bonum sit, cum salute nostrâ alienam lucrari, audi Prophetam ex persona Dei loquentem, Qui educit pretiosum à vili, quasi os meum erit. Quid est hoc? qui ab errore ad veritatem, aut, manuduxerit pro virili humano me imitatur.* Hæc & alia Doctor Aureus, & alii Patres. Et fateor equidem longè pluris esse debere cæteris paribus si quis author sit salutis alterius, quàm si ejusdem, imò & plurimorum liberationem è carcere lustrali obtineat. Sed tamen nonnulla sunt, quæ charitatem in defunctos supra hoc genus misericordiæ extollunt. Etenim tendit quidem ea misericordia ad gratiam Dei proximo conciliandam, sed quàm frequenter fine suo frustratur! At numquam suumnon assequitur charitas in defunctos: semper enim illis prodest, si non quibus beneficium destinavit, certè aliis, quibus Deo fuerit placitum. Deinde esto, gratiam misericordia illa suis miseris comparet, an propterea gloriam? An si Thessalonicenses hoc Pauli consilium cap. 5. secuti sunt, *Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini invicem, & ad omnes*: An, inquam, si ea præstiterint, vel Paulus vel alii omnibus illis miseris gloriam compararunt? Forsitan ne gratiam quidem, & fortè, ut fit, remedio deteriores evasere. Denique id potissimùm observa, nec primam hominis gratiam, nec perseverantiam cadere sub meritum de condigno. At multorum, graviumque Theologorum sententiâ satisfactionem alterius, alteri prodesse ex condigno. Deinde etsi dixeris ex congruo dumtaxat illi suffragari, tamen longè certiùs eidem prodest, quàm oratio, aut aliud opus Deo pro aliis oblatum valeat ad obtinendam iis gratiam primam, aut perseverantiam, cùm satisfactio lytrum contineat æquale pœnæ illi, quam redimit. Qui ergo illam exhibet, certior est pœnam etiam alterius redimendi, quàm alter alteri gratiam primam aut perseverantiam obtinendi, pro quo vel orat, vel quidpiam aliud facit. Maximè cùm receptum sit quempiam pro se ex condigno satisfacere, & pariter ratum neminem sibi gratiam primam, aut perseverantiam mereri posse. Ex quibus efficitur caritatem in pios manes non paucis ex captivibus antistare misericordiæ spirituali, esto ponatur hujus ope non paucos salutem consequi.

Pars secunda.

Comparatur cum Martyrio.

681. *Martyrii prærogativa.*

Venio nunc ad martyrium, id est ad summum caritatis, & Christianæ fortitudinis pignus, & cum eo caritatem nostram comparo. Et Christus quidem, *Maiorem*, inquit, *charitatem nemo habet, quàm ut animam suam*, id est, vitam, *ponat quis pro amicis suis*; Et aliàs Matth. 5. cùm cæteras beatitudines recensuit, extremam hanc ponit, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Ubi Augustinus, *Octava*, inquit, nempe beatitudo, *consummatum perfectúmque hominem ostendit, & probat.* Disertissimè verò Bernardus hanc martyrum prærogativam vocat. *Octava*, ait, *beatitudo, Martyrum est prærogativa, nempe ut Regnum cœlorum certò assequantur propter Christi promissionẽ* & hic & in Mattheo expressam, cùm ait, *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, unde existit sententia Theologorum omnium, munita totius Ecclesiæ consensu, Martyrium baptismum sanguinis esse, rectaque in cœlum Martyres transmittere, sive id fiat ex opere operato, ac propter Christi promissionem præcisè, sive etiam propter summam in eum charitatem Martyrio conjunctam, qua Martyr vitam suam, omni videlicet bono temporali cariorem ejus gratiâ contemnendo, cætera quoque eadem causâ contemnere censetur, & corpus animamque Deigloriæ prorsus impendendo, (ita ut plus dare non possit) omnem pœnam extinguere ac plenissimè pro noxis satisfacere existimandus est.

682. *Charitas in defunctos est Martyrium flaminis.*

Ut igitur contentionem charitatis in defunctos cum Martyrio ineamus, observo primùm baptismum quoque flaminis Theologis receptum esse, eumque non alium dici, quàm actum perfectæ charitatis, quo velut baptismi sacramento culpa simul ac pœna omnis remittitur. Quærendum ergo, qualis esse debeat ea charitas, cui vis illa remittendi tribuenda videtur. Et constat profectò eam vim illi tribui oportere, cujus impulsu, Dei causâ, vita, si necesse sit, profundatur. Hinc verò consectarium est charitati in defunctos idem prærogativæ assignandum esse; si quidem, ut dixi, hominem eo usque impellat, ut pro piis manibus propter Deum dilectis, si opus foret, mors libenter oppeteretur. Jam demonstro ejusmodi impulsum illius naturæ competere. Nam qui revera ita animo comparatus est, ut supplicia Purgatorii, morte multò acerbiora, eâ causâ perferret; morti, credo, eadem causa caput offerret, si res postularet: Ergo vera illa charitas in defunctos, quæ satisfactiones suas, fortiter contempto Purgatorii periculo, piis manibus addicit, addiceretque, etsi necessitatem suam futuram velut præsentem certò prævideret, Martyrium flaminis dici meretur.

683. *Potest superare Martyrium sanguinis.*

Nunc itaque iterum quæro, an Martyrium flaminis præstare possit Martyrio sanguinis. Nec dubito quin affirmandum sit. Perspectum est enim multos Confessores in cœlo Martyribus præcellere; nimirùm ob præstantiorem charitatem majoris gloriæ feracem. Igitur si ostendam nostram in defunctos charitatem identidem plus posse ab Amatore piorum manium obtinere, quàm sua charitas à Martyre; confecero charitatem illam in defunctos posse Martyrio sanguinis præcellere. Et id apertè, ni fallor, ostendo. Ad Martyrium etenim sufficit, ut ex charitate Christi, vita profundatur. At charitas in defunctos impellere potest, ut plus aliquid fiat, nempe ut lustralis ignis ad aliquod temporis spatium perferatur. Si igitur hæc charitas talis sit, qualis esse deberet, & esse nata est, Martyrio sanguinis non cedet, verùm illud superabit, & ad illustriorem in cœlo gloriam Amatorem piorum manium extollet.

684. *Rarius superat.*

Utrùm autem identidem talis, & tanta sit, videtur ambigendum. Tametsi enim multi ejus cultores satis intelligant, pro noxis vitæ anteactæ sibi manere Purgatorios cruciatus, eoque fore longiores, atrociores que, quò minus satisfactionum sibi reservarint; tametsi nihilonimus ex verâ in Deum, ac Sponsas ejus, animas, charitate, satisfactionibus quotidianis sese exuât, ut eas in cœlum expediant: tamen futura mala multò languidiùs feriunt animum, quàm præsentia, potissimùm ubi fides, ut in multis assolet, languidior est: & aliunde spes illa evadendi semper blanditur: atque ut de fortitudine animi nonnihil decerpit: ita minuit meritum. Quod si quis pari malis robore virtutis, aut etiam suppari, iis se ultrò exponat, (ut qui sub vitæ finem, dum mors instat, & velut è vicino lustralium flammarum crepitus audiri videtur) quid abest, quin hunc talem & Martyrem caritatis, & pluribus Martyrum excellentiorem existimemus? præsertim cùm charitatis hujus Martyrium sæpe iteretur; toties nimirùm, quoties in mentem recurrit sibi ab iis demi, quo maximè opus habebunt;

bebunt; lytrum in alios dividi, quo carcerem illum redimerent; in pios manes velut effundi sanguinem Christi, quo ignem suum aliquando extinguerent. Quod si Martyrum fastis 28. Februarii ascribuntur, qui anno Christi 255. Alexandriæ in subsidio peste infectorum, cui se sponte addixerant, mortui sunt; nonne pari jure frui potest Amator animarum, qui eo, quo diximus, modo earum causâ exponit se tormentis Purgatoriis? Certè & hic abundè præstat quod Joannes monuit, *ut animam suam ponat pro fratribus suis*; nec enim solùm vitam, sed revera animam cruciatibus exponit, præ quibus mortis supplicium delicium nuncupari possit.

Pars tertia.

Comparatur cum Devotione Mosis, & Pauli.

685. *Moysis charitas.*

Quamobrem conferamus ad extremum charitatem nostram cum eâ, quam meritò omnes SS. Patres vehementer prædicant, Moysis, & Pauli charitate, qua ille *de libro vitæ deleri*, hic *anathema esse* à Christo pro Judæis fratribus suis optabat. Porrò variæ sunt hujusmodi voti interpretationes. Cùm enim Moyses Exod. 32. Deum deprecans veniam, sic ait; *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Caietanus accipit librum, seu decretum principatus, quasi dicat Moses, *Ne me principem alterius gentis crea, si hanc gentem perdis.* Hieronymus verò intelligit librum vitæ mortalis: quasi dicat: *me quoque interfice.* Quæ quidem interpretationes parum aliis placent, quòd liber Dei decretum prædestinationis, vel inchoatæ, vel perfectæ in sacris litteris significet. Sed ut placerent, quis nescit principatûs aut vitæ privationem nihil esse ad Purgatorias pœnas?

686. *Interpretationes congruæ.*

Divus Thomas, ut priùs diximus, vult hîc quidem de jacturâ beatitudinis agi, sed dumtaxat temporariâ. Verùm neque id est deleri de libro vitæ, seu beatitudinis, sed in eo scriptum relinqui, differriqúe ad tempus aliquod; & præterea votum hoc temporalis jacturæ beatitudinis in gratiam aliorum, etiam cedit charitati nostræ, quæ præterquam quòd pœnæ damni, etiam pœnæ sensûs se subjicit. Adhæc D. Augustinus q. 147. cum aliis censet Moysen hyperbolicè loqui, tantumque significare ingens desiderium salutis Judæorum, perinde ac si filius cernens à parente servum sibi charissimum domo ejici, parenti dicat, quæso noli eum domo ejicere, aut si velis, me quoque cum ipso ejice. Quæ quidem interpretatio moralis, & congrua est: sed si vera est, non inerat Moysi desiderium, nec absolutum, nec conditionatum patiendi jacturam beatitudinis, aut temporalem, aut perennem; cùm tamen Amator animarum absolutè jacturam illam temporalem, simulque flammas atrocissimas perpeti velit, dummodo vel sic defunctis auxilietur.

687. *Interpretatio Cornelii.*

Cornelius denique in eum locum, sic Mosen explicat, quasi dicat: *Malo deleri de libro tuo, quàm populo culpam non dimitti; aut ergo dimitte, aut dele me; nam intolerabile mihi est scribi in libro tuo, & populum ex eo deleri: populum enim pluris facio, plus diligo, quàm meipsum, cùm præstet me unicum, quàm tot milliones deleri.* Quem explicatum probat ex Hebræo, ubi sic habes, *Si dimittis, & si non; dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Quæ verba ob vehemens pathos abrupta & concisa sic expleri possunt: *Si dimittis, dele me de libro tuo,* quasi dicat, *opto deleri, ut iis parcas: & rursum si non dimittis, etiam oro ut me deleas.* Hæc Cornelius: qui post objectioni respondens, significat Mosen comparasse conscriptionem suam in libro vitæ, suamque ipsius gloriam, cum gloriâ Dei, & salute populi; maluisseque se sua carere, quàm Dei gloriam periclitari. Verum enimverò illud *dele, ut dimittas*: si quidem votum absolutum significet, errabat Moyses, ratus gloriæ suæ jacturam conducere ad veniam populo impetrandam: si autem significet mixtum huic conditioni votum: *dele me, si id possit conducere*, ignorabat non posse conducere: quod utrumque à tanto viro removendum est: Cæterùm si id tantum in ea interpretatione attendatur, ut dicat Moses, malle se suâ ipsius, quàm Deum eâ gloriâ carere, quam ex populi Judaici salute emergere oportebat, id votum est Amatoris piorum manium, mavult enim jacturam aliquam pati beatitudinis suæ, quàm Deum tantâ gloriâ, tantisque laudibus, quas ex acceleratione beatitudinis defunctorum percipiet, privari. At insuper eâdem causâ atrocissimis rogi expiatorii flammis animam exponit.

688. *Confertur cum caritate Pauli cùm ait: optabam anathema esse.*

Quod ad Pauli dictum attinet, censet Suarius esse conditionatum, quod, ut ratum sit, sic explicandum, ut non modo tempus præteritum, sed & præsens designet, sumaturque verbum, *optabam*, pro *optarim* nempe si conduceret. Quomodo Paulus aliàs, *utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ*, ubi Græce ὄφελον ἀνείχεσθε,

ἀνέχεσθε, id est, *utinam sustinebatis*. Et Augustinus tract. 5. in Joan. *Quando Lazaro inferebatis necem, numquid Domino auferebatis potestatem?* pro si *inferretis, auferetis*. Vide etiam Estium in hunc locum. Cæterùm si hæc eadem conditio Moysis imprecationi subintelligatur, quasi sic diceret, *velim, si hoc conduceret, deleri de libro vitæ*, & ingentis caritatis specimen erit, & eum ab erroris, aut ignorantiæ suspicione liberabit.

Et fateor equidem ejusmodi caritate & Moysis & Pauli, inferiorem esse nostram in pios manes charitatem. Et hoc sensu accipio, quod Chrysostomus in cap. 9. ad Romanos docet; *Mosen, & Paulum transcendisse cogitatione non tantùm omnes præsentis vitæ agones, & mortes, sed etiam pro Deo, quem magis, quàm seipsos diligebant, cœlos, & Angelos prætergredientes, omnia invisibilia spreviſſe, & pro Dei amore ab ipsâ Dei fruitione, beatitudine, & ineffabili gloriâ, (hanc enim significat liber vitæ, vel liber Dei) excidere non tam petiisse, sed revera, & seriò optasse. Quasi dicat Moses, dele de libro tuo, ut scilicet non perveniam ad æternam beatitudinem, ad quam me conscripsisti. Inde, inquam, dele me potius, quàm populum hunc tuum, ac meum deleas ac perdas.* Ita Chrysostomus. Quem sequuntur Theophilactus, Oecumenius, Cassianus, Bernardus.

689. *Ad quam accedit.* Verumtamen pronuncio Amatorem piorum manium ad hanc Mosis, & Pauli charitatem prope accedere. Licet enim sua illum charitas non impellat ad ejusmodi votum æternæ suæ beatitudinis, potius quàm salutis alienæ amittendæ, tamen temporali excidere non recusat. Deinde conditionata vota non tantopere animum afficere solita sunt, quantopere absoluta, si præsertim conditio impleri non potest, ut in votis Mosis, & Pauli. Præterea Amator defunctorum certò statuit, & beatitudinis suæ jacturam, & pœnam insuper lustralium flammarum sibi esse subeundam.

COROLLARIUM.

Caritas hæc, brevis est ad perfectionem via.

690. *Potest ad perfectio-* Cæterum ex his sat patet magnitudo atque excellentia ejusmodi in defunctos charitatis. Cùm enim nobilissimis charitatis generibus, vel superior, vel par, vel certè suppar sit, conficitur hujus decus esse præstantissimum, maximè si quis ejus impulsu, plerasque aut omnes suas satisfactiones à se abdicet, ut in usus piorum manium convertat. Quare existimo hanc ipsam charitatem posse homines Religiosos ac Christianos ad excelsum perfectionis ac sanctimoniæ gradum brevi promovere, atque eo nomine omnibus commendandam esse. Etsi enim non paucorum criminum sunt rei, atque adeò & pœnæ diuturnæ: tamen criminum maculas satius est eluere, quàm dissolvere pœnarum vinculum & obligationem: charitas autem in pios manes, ut heroica, sic crimina faciliùs & pleniùs eluet. Quod si pietatis ac sanctimoniæ studiosi sint, atque ad Numinis, ac summi boni visionem ex ejus ardenti amore aspirent, ut Pauli, Ignatii, Theresiæ, Carafæ, aliique, facilè solabuntur vota sua spe majoris Dei gloriæ, cui si syncerè Deum adament, beatitudinem suam gloriamque omnem sine controversiâ postponent. Quod si divina charitas Alphonsum Rodriguez Soc. Jesu fratrem Laicum, at in eo humili gradu illustrissimum virtute, sublimemque rerum divinarum cognitione virum, eò usque impulit, ut pro infimo orbis mancipio pœnis tartari præripiendo, ipse tartari pœnas æternas perpeti paratus esset; an non vera charitas viris, quantumcumque conspectûs diuini studiosis persuadere poterit, ut levamenti tot piorum manium, & tantæ Numinis gloriæ ex eo manaturæ causâ, ipsi se bono suo ac felicitate tantisper privent?

nem brevi perducere.

Si rursum hîc objicias doceri nos à Christo ut sic Patrem æternum precemur, *Adveniat regnum tuum*; respondebo & prius, doceri, ut sic comprecemur, *Sanctificetur nomen tuum*: Et verò sanctificationem, seu gloriam æterni Patris omni nostræ felicitati, regiæque in cœlo dignitati, anteferri oportere. Adde eò magis in nobis regnaturum Deum, quò major ac generosior charitas nos reget, ac nobis dominabitur: neque verò futurum, ut si pios manes satisfactione nostrâ donemus, regnum Dei nobis minimè adveniat: sed ut certiùs, majorique nostro merito ac felicitate veniat, licet fortè tantisper ejus ingressus differatur. Constet igitur & summum esse charitatis in defunctos decus, & eam omnibus singulariter esse commendandam.

691. *Non pugnat cum petitione: Adveniat regnum tuum.*

CAPVT.

CAPUT QVARTVM.

Ad subsidium Defunctorum ipsius Numinis ac Cœlitum misericordiâ provocamur.

ARTICULUS I.

Divina in pios manes misericordia.

692. *Misericordia, Dei anima.*

ADeò Numini propria intimaque est misericordia, ut, si humano more de eo loqui fas est, misericordiam, ejus animam dicere possimus. Quemadmodum enim in homine, ab animâ fluit motus omnis, vigorque, ac pulchritudo; ita quidquid sponte suâ inter homines agit Deus, ad id agitur moveturque impulsibus misericordiæ, & cùm iis urgetur, vigere ac florere videtur. Et verò notum est Theologis, quæcumque extra Deum fiunt, per Spiritum Sanctum, sive per Amorem, atque ex amore fieri: Cùm autem amor ille in mortales feratur, atque adeò in miseros, ac inopes, misericordia dici potest, & hæc ipsa principium ac fons omnium circa homines actionum Dei. Cui quidem administra additur Sapientia divina, nempe ut rationes, artemque inveniat, qua misericordia suaviùs, abundantiusque exerceatur. Jam misericordia à misero corde nomen derivat, quippe tacto miseria ejus, cujus vicem dolemus. Cùm igitur ex misericordiâ divinâ cuncta promanent, scilicet ex corde Patris æterni miseriis nostris tacto, & velut misero promanant, & misericordia cor Dei, sive anima nuncupari potest. Quod certè indicare videtur Salomon Sap. 2. quando de divina bonitate sic exclamat, *O! quàm suavis est Domine spiritus tuus!* ubi bonitatem, ac misericordiam Deo innatam Spiritum appellat, quod ejus afflatu atque impulsu cuncta Deus moliatur, quod nihil aliud, quàm miserationem spiret, quod denique animæ instar, fons ac principium sit omnium divinarum actionum.

693. *Maximè misericordia in decere functos.*

Quod si misericordia Deo tantopere cordi est, dubitari nequit, quin maximam exhibeat defunctis: Etenim ut crebrò dicere oportuit, eorum miseria alias omnes maximopere superat, & dignitas filiorum, amicorum, Sponsarum Numinis, maximam iis apud ipsum gratiam conciliat, & indubitata spes, jusque inviolabile cœlo potiendi, cælestis regni non modò candidatos efficit: sed & propè Principes ac Reges. Quid dicam omnes illas causas beatitudinis, quas Christus proposuit, ad pios manes pertinere? Nam & pauperes spiritu sunt, id est, humiles, & rerum temporalium despectores: item mites, & misericordes, & pacis studiosi, & præterea lugent, ac propter justitiam æquissimo animo patiuntur: quamobrem abesse non potest, quin tot nominibus beatitudinis ac divinitatis hæredes, sint illi acceptissimi.

694. *Patet ex Christi in eos amore.*

Itaque statim ab opere redemptionis, Christi morte peracto, ipse Christus ad inferos descendit, ut & Sanctos Patres è limbo, & animas, saltem maximam partem, Purgatorio educeret. Illustrat hoc duplici ac venustâ similitudine S. Vincentius Ferrerius Serm. de Sabbato Sancto. *Prima est*, ait, *de Rege noviter coronato, intrante civitatem, qui liberat omnes captos, nisi sint capti pro interesse partis. Sic Rex gloriæ Christus noviter coronatus corona spinarum intrans Purgatorium.* Et post pauca; *Secunda similitudo*, inquit, *est de Papa noviter creato, qui tunc concedit largas indulgentias, & gratias quàm plurimas; quanto magis Papa IESVS, qui est dominus gratiarum, & indulgentiarum, quia Papa eius vicarius non est dominus Ecclesiæ, sed dispensator, & procurator. Cùm ergo Papa sit tam liberalis, quantò magis Christus, qui est Dominus.* Ita ipse, qui etiam docet ab ipsâ conceptione Christo à Patre æterno propositam animarum purgandarum libertatem ut mortem promptiùs admitteret. Hæc enim est illius oratio Serm. de S. Thoma Cantuariensi. *In puncto conceptionis Deus Pater aperuit sibi,*

id est Christo, *librum prædestinationis dicens, Fili ecce quot Sancti in Limbo, & quot animæ in Purgatorio; & numquam poterunt cœlum intrare nisi per tuam passionem, & mortem dolorosam: Vis eam sustinere? respondit, placet mihi.* Hactenus vir Sanctus. Nec verò studium pios manes juvandi toto vitæ spatio remisit: Siquidem Caietanus illud Joannis de Christo; *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, sic intelligit, ut mundi nomine, etiam Purgatorium accipiat; quippe in quo Christus haberet suos: cùm igitur eos toto vitæ tempore dilexisset, in finem, id est, usque ad benevolentiæ summam perfectionem, dilexit eos. Porrò ex eâ fluxit insita illa Christianis jam inde à temporibus Apostolorum sollicitudo illis opitulandi, quam ex S. Jacobi Liturgiâ superiùs prolatâ, atque SS. Dionysi, ac Clementis testimoniis confirmare licet. Inde sepultura, & exequiæ Christiano ritu semper per consequentes ætates institutæ, inde antiquissimæ preces pro iis fundi solitæ, inde annua defunctorum commemoratio, sacrificia piacularia, Indulgentiæ, & hujusmodi, quæ Spiritu divino velut animata Ecclesia jam inde à longissimis temporibus instituit.

695. *Et revelationibus.* Neque eam suam voluntatem in pios manes propensissimam Deus amicis suis patefacere prætermisit. Nam æternus Pater D. Catharinæ Senensi Dialog. cap. 148. *Sanctæ Catharinæ Sen.* *Animabus*, inquit, *in Purgatorio provisi, quod vos, qui nunc estis in corpore viventes eos adiuvare potestis eleëmosynis, ieiuniis, orationibus, & aliis piis operibus in statu gratiæ factis.* Et Christus pluribus locis D. Birgittam docet modò carceris lustralis cruciatus, modò rationes iis sese, & alios eximendi, nempe ut eam & nos ad miseras animas adjuvandas excitaret.

696. *S. Gertrudis.* Sed eamdem in pios manes benevolentiam ita quondam S. Gertrudi facto ipso, atque insigni beneficio aperuit. Sic enim, vitæ illius author. In nocte beatissimâ „ gloriosissimæ Resurrectionis, dum ante „ matutinas devotæ orationi incumberet, „ apparuit ei Dominus Jesus, florens, & „ amœnus in gloria divinæ Majestatis, & „ decore perpetuæ immortalitatis: Ad cu„ jus pedes ista procidens eum humiliter, ac „ devotissimè adoravit, dicens; Cùm tu „ Sponse, flos ac decus Angelorum, & glo„ ria, me omnium creaturarum extremam „ tibi eligere dignatus sis in sponsam, & ego „ solius tui laudem & gloriam ex intimis cor„ dis & animæ medullis desiderem, & sitiam, „ & tuos amicos meos propinquissimos re„ putem, ergo peto, Jesu amantissime, ut hac horâ ob reverentiam jucundissimæ „ Resurrectionis tuæ absolvere digneris ani„ mas omnium spiritualium tuorum: ad „ quod citiùs obtinendum in unione inno„ centissimæ Passionis tuæ offero tibi om„ nem tolerantiam cordis, & corporis mei, „ quam pertuli in continuis infirmitatibus „ meis. Tunc Dominus cum mira blandi„ tate ostendit multitudinem animarum à „ pœnis absolutam: dicens quia æternaliter „ apparebit in cœlis, quod tuis sint preci„ bus liberatæ, & hoc coram omnibus San„ ctis meis cedet tibi jugiter in honorem. „ Tunc illa, Et quantus est earum nume„ rus? Respondit Dominus, Numerum ea„ rum solius divinitatis meæ scientia com„ plectitur: cumque ista intelligeret animas „ illas, quamvis à pœnis liberatas, nondum „ tamen æternis gaudiis sociatas, præbuit se „ totam divinæ pietati ad tolerandum in cor„ de & corpore quæcumque sibi placerent, „ pro eo, ut animabus illis plenam beatitu„ dinem conferre dignaretur; Tunc placa„ tus Dominus omnes eadem horâ suble„ vavit ad gaudia cœli. Hinc post horam „ dum gravem sentiret laterum dolorem, & „ coram quadam imagine Crucis genua fle„ cteret, Dominus laborem, & dolorem ejus „ cõtulit in augmentum gaudiorum suorum „ dicens: Hoc munus devotionis mihi ex „ tanto affectu à Sponsa mea oblatum, exhi„ beo vobis in cumulum beatitudinis sempi„ ternæ, vosque ipsam propterea honore „ condigno rehonorare studete, precum ipsi „ xenia remittentes. Ita narrat Gertrudis Insinuat. l. 3. c. 27. unde intelligis propensam Redemptoris in pios manes voluntatem: cùm vix rogatus tantam eorum multitudinem ei donatam cœlo statim intulerit.

Simile est, quod in actis Catharinæ cognomento pulchræ propter singularem venustatem, legere est. Fuerat hæc Romæ, ubi palmari lasciviâ juventam depravaverat, à S. Dominico ad vitam meliorem traducta, ope Magnæ Virginis, cujus rosarium sertum frequens legebat. Addiderat serto ejusdem Mariæ consilio, piam in se crudelitatem, quâ flagellis, ac virgis, quâ unguibus, quâ tormentis aliis in corpus sæviendo. Cùm hæc in defunctorum gratiam actitaret, visa sunt è puelli cujusdam membris, Jesum intellige, dimanare 55. flumina, atque in purgantes flammas defluere: quæ scilicet lustrandas animas mirificè recrearunt. Enimverò horum affluxu aliæ mitigato igne Catharinæ gratias, ac laudes Christo concinebant, aliæ illo extincto fæliciter emergebant è lacu flammeo, omnes suo, vel aliarum bono gaudebant. Sed 697. *Catharina pulchra.*

nulli

nulli ea charitas Numinis adeò luculenter oſtenſa eſt, ut Chriſtinæ mirabili, quam libro ſuperiore diximus à Chriſto velut rogatam, ut beatitudine tantiſper dilata ad vitam redux, piis manibus ſuppetias ferret. Quem in finem vires, animumque ſupra indolem ac naturam illi impertiit, & miracula tamquam prodegit, ut defunctis efficaciùs poſſet adeſſe.

698. *Patet ex minis in adverſarios defunctorum.* Quamobrem haud mirum eſt minas non rarò in defunctorum adverſarios eſſe divinitus, intentatas. Quidam Sacerdos ſacrum non aliud, quàm pro defunctis faciebat. Defertur ad Epiſcopum, & propterea facere vetatur, atque ut aiunt, ſuſpenditur. Non tulere hanc pœnam pii manes, & viâ ſibi à Numine factâ, Epiſcopo per cæmeterium ad matutinas preces vadenti ſeſe obvios obtulere, quiſque cum artis olim ſuæ inſtrumentis: & minaciter in eum inſurgentes, *Ecce*, inquiebant, *præſulem qui nec pro nobis operatur ſacris, & inſuper vetat operari: væ tibi, ni ſecus faxis, brevi moriere*: Exhorruit, & veniâ Sacerdoti ſuſpenſo factâ, & ipſe piorum manium causâ preces & ſacrificia cumulavit. Vide Vinc. Belvac. Spec. mor. l. 2. diſt. 13. p. 1.

699. *Aliud exemplum.* Alius quidam Sacerdos egens, ſolitus erat Miſſam defunctorum quolibet die patrare; Epiſcopus accerſitum ſpondere jubet emendationem, & requirit ſponſionis vadem. Ille, quia pauper, hîc hærere. Sed en vades è Purgatorio. Nam Epiſcopus dehinc plus mille manus ſibi tendi ſupplices conſpicit, & ſtatim mandatum revocat, & facultatem dat, quoties vellet eamdem de defunctis Miſſam faciendi: ita Cantipratanus l. Apum. 2. c. 53.

Aliud. Religioſus vir ſacrificia, officiaque ferè omnia de defunctis obibat; ea res Priori diſplicuit, qui & eum ideò corripuit. Sed cùm nocte inſequenti cæmeterio propior factus eſſet, voces audivit querentium, minantiumque illi mortem, niſi ſuum, ut defuncti vocabant, advocatum, ſubſidiumque illis redderet. Lagghi. tract. 7. de Miſſâ diſt. 3. c. 27.

Aliud. Narrat etiam Durantus lib. 7. de officio mortuorum, & Lagghi ibidem Abbatem quempiam, quòd vetuiſſet fratres Dominicis diebus facere de defunctis, peſſimè ab his habitum ac percuſſum, incunctanter legem refixiſſe. Adeò in Deum pugnat, qui in defunctos.

700. *Non tamen hæc jam imitanda.* Cæterùm ſi hæc accidêre, cùm Eccleſiæ lex lata eſſet de Miſſarum ordine, præter ordinem accidêre, ideoque majorem Numinis in defunctos benevolentiam denotant. Si ante Eccleſiæ legem, nihil mirum accidiſſe. Nunc tamen circa Miſſas, & ejuſmodi, ordo, ritusque ab Eccleſiâ præſcripti ſervandi ſunt; maximè cùm Miſſæ quælibet propè æqualiter defunctis poſſint prodeſſe. Cæterùm ex his & ejuſmodi ſat manifeſtum eſt Deum præcipuo quodam ſtudio in defunctorum levamen ferri, & eorum amicos defendere.

ARTICULUS II.

Immaculata Deipara exemplo ſuo ad pietatem in defunctos nos excitat.

701. *Miſericordia D. Virginis filia.* Cum de Immaculatæ Mariæ charitate, ac miſericordia in pios manes agendum ſit, eia tantiſper ludum ſacri amoris ludamus. Dico igitur, & audacter dico, Deiparam partu unico prolem edidiſſe geminam, maſculam alteram, Jesum Christum, orbis Redemptorem; alteram muliebrem, miſericordiam ejuſdem orbis ſervatricem. Eo enim pacto Mater miſericordiæ nuncupatur. Ac filium quidem illum unicum genuit, quia unicus valebat omnes, & pluſquam omnes. Et filiam illam etiam unicam generavit, quia tam amica virgo, quidquid agat, amor, & miſericordia ſit, neceſſe eſt; ac maximè, cùm Deum ex amore & miſericordia factum hominem parit. Porrò filium illum Deum, hominemque ſemel tantum nec ſæpius generavit, quia ſemel eum mundo dare ſufficit, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, ac totius SS. Trinitatis. At miſericordiam, Patrem æternum in filii generatione imitata, ſemper concipit, & ſemper gignit; nec enim eſſe, aut vivere poteſt, niſi *cogitet cogitationes pacis*, niſi concipiat, pariterque miſericordiam enitatur. Certè ex quo mater Dei facta eſt, nullus dies, nulla horula, nullum temporis momentum abiit, quo miſericordiam orbi non ederet, quia numquam ceſſavit, aut ceſſabit orbis parere miſeriam.

702. *Emicat in defunctos.* Sed hactenus ſanctè luſum ſit; ſi verò Immaculata Deipara numquam non miſericors in mortales, an ſuam in vitâ functos miſericordiam deſiderati patietur? minimè gentium: ſive, quia hi, ut Chriſto, ita & Chriſtiparæ chariores, ſive quia cùm miſerrimi ſint, quod miſeriæ caput eſt, miſerias ſuas levare nequeunt. Quare præcipuâ quadam ratione Matris miſericordiæ intereſt eos ſolari, atque adjuvare: nam quemadmodum matrum pietas tenellis

maximè infantibus debetur ac redditur, quòd maximè sint infirmi: ita matris illius piissimæ misericordia piis manibus, cùm & infantes sint, sive impotes pro se apud Deum fandi, ipsumque exorandi, & virtute se juvandi planè destituti. Sed mihi ne crede, crede ipsi veritati. Etenim l. 1. Revel. S. Birgittæ, amantissimæ Matri filius ait, *Tu es mater mea, tu Regina cœli, tu mater misericordiæ, tu consolatrix eorum, qui sunt in Purgatorio, tu lætitia eorum, qui peregrinantur in mundo, tu es Regina Angelorum, Tu cum Deo excellentissima.* Ita ipse. Et observa, mentionem de Purgatorio nullam eo capite aliam fieri, neque agi de animarum ex eo liberatione, ut intelligas ultrò, & ex ingenti filii studio Matrem recreandi, dici illam consolatricem piorum manium, quòd id nominis noverit illi esse gratissimum. Quare aliàs eamdem Matris Misericordiam vehementer commendat. Cùm enim cujusdam defuncti causâ, audiente S. Birgitta ita dixisset B. Virgo. *Benedictus sis, tu fili mi, pro iustitia tua, quæ est in omni misericordia; licèt enim nos omnia videamus, & sciamus in te: attamen ad aliorum cognitionem, dic, quale remedium adhiberi debeat, quod minuat tam longum tempus pœnæ, & quale ad hoc, quod extinguatur tam sævus ignis, & quomodo etiam liberari possit ista anima à manibus dæmonum. Respondit. Tibi nihil potest negari, quia tu es Mater misericordiæ, & misericordiam, & consolationem omnibus procuras, & inquiris.* Hactenus Christus; qui statim Matris quæstioni satisfacit: ac postea, cùm satisfecisset, & illa gratiam aliquam animæ illi purgandæ petiisset, Respondit filius, *Benedicta sis, tu Mater charissima, tibi nihil potest negari, fiat voluntas tua, ut petisti, sic fiat; Respondit Mater, Benedictus sis tu dulcissime fili mi, pro omni charitate, & misericordiâ tuâ.* Hæc filius. hæc Mater l. 6. Revel. c. 39.

703. *Teste B. V. & SS.* Sed audi & hujus de sua charitate in pios manes alterum, & sanè luculentum testimonium. *Ego*, ait, *sum mater omnium, qui sunt in Purgatorio, quia omnes pœnæ, quæ debentur purgandis pro peccatis suis in qualibet horâ, per preces meas quodammodo mitigantur.* Audi rursum ipsam apud Carthusianum l. 3. de laudibus Virginis ita loquentem: *Qui in Purgatorio sunt, gaudent nomine meo audito, quemadmodum æger iacens in lecto, cùm audit verbum solatii.* Eamdem audi lib. 8. Revel. c. 10. S. Birgittæ hoc de se testantem. *Nulla est pœna in Purgatorio, quæ propter me non remissior erit, & lenior ad ferendam, quàm aliter esset.*

Audisti ipsam Virginem, audisti perennem ejus in vitâ functos, & efficaciissimam misericordiam. Quare ne mireris mellifluum, & Marianum Doctorem sic illam affantem Serm. 4. de Assumpt. *Quis ergo misericordiæ tuæ, O Benedicta, longitudinem, & latitudinem, & sublimitatem, & profundum queat investigare? Nam longitudo eius usque in diem novissimum invocantibus eam, subvenit universis: latitudo eius replet orbem terrarum, ut tuâ quoque misericordiâ plena sit omnis terra. Sic & sublimitas eius supernæ civitatis invenit restaurationẽ, & profundum eius sedentibus in tenebris, & in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum repletur, infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ Ierusalem cælestis, exspectantibus miseris vita perdita data.* Hæc Bernardus, in quibus per inferni vocabulum haud dubiè lustralis carcer accipiendus est, cùm tartareus nequeat evacuari. 704. *Teste S. Bernardo.*

Bernardo alter Virginis egregius præco, Gerson addendus est, qui Serm. 1. de defunctis sic Divam alloquitur: *Postquam ergo ita est, quod sancta, & salubris cogitatio, ut pro mortuis fiat oratio, & Virgo, & Mater es dignissima, es & sancta sanctorum, in qua sunt cogitationes sanctæ, & salutares ultra omnes alios homines, congruit te pro mortuis exorare.* Ita Gerson, qui plus innuit, quàm exprimat. Nam si congruit Immaculatæ Mariæ, ergo necessum est. Quî enim præterire posset, quod sibi congruit, quam Sanctam sanctorum verissimè nominavit, & sanctissimarum plenam cogitationum? Denique Bernardinus Serm. 3. de nomine Mariæ art. 2. c. 3. disertissimè, & uberrimè, *Beata virgo*, inquit, *in regno Purgatorii dominium tenet, propterea inquit Ecclesiastici 24. & in fluctibus maris ambulavi. Pœna siquidem Purgatorii ideò dicitur fluctus, quia transitoria est, sed additur, maris, quia nimium est amara: ab his tormentis liberat B. Virgo, maximè devotos suos, & hoc est, quod ait, Et in fluctibus ambulavi, scilicet visitans, & subveniens necessitatibus & tormentis devotorum suorum: imò, & omnium, qui ibi existunt: qui filii eius sunt, cùm sint filii gratiæ.* Ita ipse: qui enim Purgatorium mare vocat, pariter innuit illam esse illius stellam, & ad felicitatis portum benigna luce miseros illos nautas conducere. 705. *Gersone item, ac Bernardino.*

Porrò licet hoc genus benevolentiæ Marianæ illustribus exemplis confirmare. Petrus Damiani l. 3. Epist. 10. scribit mulierem quamdam Romanam amicæ suæ per visum oblatam, illi confirmasse sese ab Immaculatâ Virgine Purgatorio ereptam festa 706. *Et confirmatur exemplis. D. V. diæ Assumptionis patrocinatur defunctis.*

festa luce Assumptionis illius, idque cum aliis tanto numero, ut Romæ incolarum tunc temporis numerum excederet, in cujus nuncii certum testimonium amicæ illi suæ mortem prædixit, in exitu istius anni obeundam. Quod & contigit, cùm hæc sese ritu Christiano ad mortem comparasset. Similis ejusdem Virginis favor legitur c. 10. vitæ B. Veronicæ de Binasco, hisce verbis. *Hac die*, nempe Marianæ Assumptionis, Ubi primùm Veronica Sacramentum Eucharistiæ desumpsit, mox inter Missarum solemnia abiit mens ejus, in Purgatorii fines concedens. Inspexit autem divini cujusplam aspectus virum, miræque pulchritudinis veste contectum, cujus nomen Veronica numquam scivit, quem Angelorum ingens numerus sequebatur. Ingressa itaque est ea multitudo, cui mixta erat Veronica, Purgatorii sedes. Tum coram viro tot animæ adductæ fuerunt, quot non capit homines urbis Mediolanensis media pars; singulas verò, singuli Angeli captarunt, & eas, quas apud mortales custodiere. Videbantur quidem animæ incendio rubricatæ, cùm ignem exibant Purgatorium, quæ mox ignibus erutæ nive candidiores efficiebantur. Coronatæ itaque viridi fronde ante thronum Dei immortalis ab Angelis statuuntur; at animæ coronas ante sedem Dei posuerunt, quas idem Deus immortalis sereno vultu, placidis & blandis oculis benedicens beatissimæ Mariæ offerebat. Hæc ubi vidit, ad corpus Veronicæ mens regreditur, tantis affecta gaudiis, ut carne viyere diu se non posse arbitraretur; Asseruit Veronica plurima se conspexisse ea celebritate Assumptionis, gaudiis vehementissimis per singulos raptus affecta, verùm jucundissimus fuit, cùm è Purgatorio erui animas attendit. Hactenus author ille.

707. *Item die nativitatis Christi, ac resurrectionis.* Et colligi potest ex Dionysio Richelio, quem Carthusianum vocant, ex eo quòd professus est, instituto, eamdem Ecclesiæ patientis æquè ac militantis, Triumphantisque Reginam aliis quoque diebus jus illud suum perquàm favorabile exercere. Sic enim ille refert Serm. 2. de Assump. Mariæ. Duo Socii erant, quorum unus circa festum Sanctorum omnium defunctus est; Alius verò continuis se fletibus affligens, nihil pro defuncto omisit. Cui post festum Nativitatis Christi defunctus apparuit, dicens, nihil mihi profecisti, & quasi improperans ei fletum. Ecce, ait, Beatissima Virgo Maria singulis annis in festo Nativitatis Christi ad Purgatorii loca descendit, & multas inde animas eripit. Quoniam in nocte solennitatis illius Regem gloriæ peperit. Cumque in proximâ Nativitatis Christi solemnitate descenderet, & multas eriperet animas, sperabam quod precibus tuis fuisset me etiam reductura, sed non fecit. Verùm quia proxima nocte Resurrectionis Dominicæ solet descendere ad Purgatorium pro reductione animarum, eo quòd Christus nocte illâ Sanctos de Limbo reduxit, quæso, ne cesses pro me cum lacrymis orare, ut me nocte illa dignetur eripere. Hactenus Carthusianus. Ubi quod dicitur dedescensu B. Virginis in Purgatorium intellige juxta hoc Pauli V. decretum in gratiam Carmelitarum datum Anno 1613. *Itaque imagines quæ à devotis de hac solent fieri vel depingi cum descensione B. Virginis ad animas in Purgatorio liberandas, minimè fiant, sed per intercessionem sanctæ Virginis à tanto periculo per manus Angelorum in tuto collocari*: ubi Pontifex significat Reginam cœli non per seipsam sed per Angelos ministros animas è purgantibus flammis educere.

Hæc igitur tempora Nativitatis, ac Resurrectionis Dominicæ, itemque Virgineæ Assumptionis, quædam sunt tempora Mariani Jubilæi, neque tamen aliàs piis manibus deesse potest, cùm superius apud Blosium dixerit, se qualibet horâ iis auxiliari. Quare arbitror iis quidem celebribus temporibus legatione sua solari mœstos, & ex illis complures educere, aliàs autem non solere legatione suâ, sed saltem auxilio eisdem adesse. Quod verò ait ipsa de se *qualibet horâ* omnes pœnas mitigare, id intellige de quolibet temporis momento. Cur ita? Primùm, quia, cùm sit misericordiæ etiam increatæ Mater, non minus quàm filius, *semper interpellat*, pro hominibus tam mortuis, quàm vivis, cùm quolibet momento mortui gravissimas patiantur pœnas, neque possit misericordiæ Mater tam miseros magis obliviscì, quàm seipsam. Deinde quia quolibet temporis momento ab aliquibus saltem Ecclesiæ nomine oratur Deipara: interdiu enim, noctuque Ecclesiæ preces ad Christum quidem præcipuè, & ferè omnes, tamen & ad Immaculatam Mariam, aliosque Cœlites referuntur, saltem, ut aiunt, implicitè, ac virtualiter. Quia cùm Ecclesia cupiat preces suas exauditi, & tot in cœlo Oratores habeat quot cœli incolas, sanè cupit eos precibus suis, pondus, quòd queunt, addere, ac maximè Deiparam, quam novit plurimum apud Deum posse. Si autem cupit eam pro se supplicare semper: ergo illa semper supplicat: & quidem pro omnibus fidelibus, ac proinde etiam pro mortuis.

708. *D. V. quolibet momento adest defunctis.*

709. *Et omnibus.* Accedit quod nominatim Deum frequenter precetur Ecclesia, ut Virginis causâ ac meritis salutem fideles omnes consequantur, ergo petit, ut ejusdem ope omnia salutis impedimenta ab omnibus removeantur, inter quæ pœnæ Purgatorii jure recensentur. Præterea quolibet momento sunt in Purgatorio nonnulli olim D. Virgini devoti, quis ambigat eam omni momento ab iis orari, & aliquid solatii referre? neque ab iis tantùm, sed à vivis eorum amicis, aut amicis D. Virginis, & pariter ab aliis Sanctis, & maximè ab Angelis Custodibus? Si autem oretur, ergo & ipsa orare non desinit: ergo omnes alii manes inde solatium accipiunt, ut superiùs probavimus. Denique ut priùs argumentabatur S. Bernardinus, omnes pii manes, cùm sint gratiæ ac misericordiæ filii, ergo & Mariæ; quare numquid oblivisci potest Mater filii uteri sui; numquid Maria eos aliquando derelinquere, quos sub cruce utero concepit, quando de eorum unoquoque Christus ei dixit, *Ecce filius tuus*? Ego verò existimo tantam esse Redemptoris in suos benignitatem, ut quoties quis in gratiâ moritur, Christus iteret hæc Matri suæ, *Ecce filius tuus*, eamque aio rursus mortuum accipere in suum, neque deinceps aliter, quàm mater solet filium accipere, atque adjuvare.

710. *Vel palam vel quasi occultè.* Cæterùm non per se ipsam dumtaxat, sed & per devotos sibi, ac familiares mortales eadem Immaculata Maria id officii præstare solita est. Sic oranti ante imaginem Conceptæ sine maculâ Virginis Joanni Ximenio è Societate Jesu Laico rarè admodum virtutis, clarâ voce Diva, *Ximeni*, ait, *memor esto purgandarum animarum. Qua ille voce permotus, reliqua vitæ omnia* (vixit autem dehinc annis octo) *opera satisfactionis potentia piis manibus transcripsit.* Ita Pater de Ponte vitæ Balthasaris Alvarez cap. 45. Denique confirmantur, illustranturque hæc omnia hoc illustri exemplo. Hieronymus Carvallius Soc. Jesu, regiam Virgini servitutem diu servivit, homo si quis alius ejusdem amans ac diligens. Nihil ille omittere, quod Virgini acceptum esse intelligeret, constantissimè satagebat. Sed alacrem suo impetu quæcumque ad pietatis officia animum, insitus pœnarum, arcanique, atque peccatorum reliquias excoquentis ignis timor ingens, mœstum subinde, atque sollicitum habebat, quod eum miris modis exhorresceret. Remedium fuit eadem in Virginem pietas, quæ suæ non immemor pietatis, hominem ad spem, alacritatemque erexit, fide datâ, se tum illi affuturam, sibi eorum animorum propriam esse procurationem, cui enim justius credi potuit, quàm quæ nihil habuit purgandum? Ita narrat noster Joannes Rho exempl. l. 3. c. 3. n. 24. Quamobrem in tam sedulâ procuratrice, tamque potenti defunctorum advocatâ, quid illi devoti satiùs imitentur, quam id, quo maximè ipsa gloriatur, officium misericordiæ? Præsertim cùm & ipsi subsidium singulare in tempus illud ab ea sperare possint, vel eo nomine, quòd carissimum illi misericordiæ genus fuerint æmulati.

ARTICULUS III.

Angelorum officia in pios manes ad idem munus nos provocant.

PARS PRIMA.

Proponuntur.

711. *Munus custodiæ angelos ad levamen defunctorum obligat.* REGINAM Angelorum sequuntur Angeli, non obsequio dumtaxat, sed & imitatione charitatis in defunctos. Et multa sunt, quæ ad frequentandâ illius officia eos invitent. Enimverò *omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Igitur tamdiu illis adsunt auxilio, consilio, solatio, dum illam adeant hæreditatem. Nec enim decet fideles ab iis desori, quando à cœlo propè absunt, cùm ab ipso in vitam ingressu continenter deinceps eos comitentur. Nam licet ad terminum viæ ac vitæ mortalis pii manes pervenerint: tamen Angelorum curâ adhuc, & vehementer egent, ut carcere lustrali eripiantur. Quare necdum Angeli ad terminum custodiæ pervenerunt, neque commissum sibi munus expleſse sunt censendi. Quemadmodum enim ille ductoris munere non esset perfunctus, qui jussus Regis filiam in Germaniam deducere ad nuptias cum Imperatore, atque in viâ custodire ab hostibus, illam in extremo itinere ab iis captam desereret, licèt nosset post aliquod temporis spatium sponte reddendam: quemadmodum suâ interesse crederet curare, ut primo quoque tempore exilio ac careere soluta nuptum iret: sic Angeli Custodes partibus suis deesset, si animas Christi Sponsas in itinere cælesti captas, atque ergastulo flammeo detentas, quàm possent ocyssimè, non eximerent, atque

atque ad nuptias Agni non adducerent.

712. *Et insita caritas.* Sed quamquam ad id officii nulla Genios illos humanissimos ratio obstringeret, charitas certè impelleret, sive quia pias animas ut sorores adamant, quippe eodem Patre in vitam etiam gratiæ editas; sive quia ut Christi Sponsas cœliquè principes venerantur, sive quia sempiterno, beatissimoque earum consortio sciunt se fruituros. Nam si viri Religiosi captum in viâ, dum tyrocinium petit, Instituti sui candidatum recipere studerent: Si S. Thomam Aquinatem à fratribus interceptum, vestibusque sacris exutum, ac castro inclusum sibi restitui curarunt Patres Dominicani, etiam interpositâ Summi Pontificis authoritate; credisne Angelos humanitate ac benevolentia illis cedere, & ita cedere, ut æternæ vitæ socias, ejusdemque fælicitatis consortes animas, ac sempiternas Numinis concentrices, vestibus gloriæ exutas, neque castro, sed igneo carcere inclusas, suo auxilio solatioque destitutas abjiciant? non est ille genius horum nobilissimorum Geniorum. Quin imò si per Numinis justitiam ac providentiam liceret, volentes, lubentes earum culpas suppliciis suis castigarent, atque suo incendio redimerent incendium. Et ratio est obvia, quoniam pro eâ portione, qua Deum amant, amant illas animas, utpote Deo charissimas; quare si inveniantur in mortalibus, qui Dei, & animarum causâ id præstarent, nemo dubitare potest quin multò propensiùs idem ipsum Angeli exequerentur. Quod si quædam aquila apud Sestion urbem à Virgine educata, primùm aves, mox venatus aggerendo gratiam illi retulit: cùm verò hæc vitâ defuncta esset, in rogum ardentis, nescio quo amore capta, injecit sese, simulque conflagravit: ego quidem non ambigo, quin amantissimi illi genii, qui dum benè nobis fecere, beneficio se affectos arbitrantur, libenter causâ nostrâ conflagrarent, si vel sic Purgatorii supplicii partem possent persolvere.

713. *Cur missæ de Angelis 2. feria.* Cæterùm ex hoc Angelorum in pios manes amore fluxit mos priscus feriâ secundâ, qua defunctorum memoria agi solet, etiam Angelorum memoriam in Ecclesiâ celebrandi. Cujus causam reddens Petrus Damiani lib. 2. Epist. 14. sic habet: *Animæ defunctorum diebus Dominicis requiescunt, atque à supplciis feriantur; Secundâ verò feriâ ad ea, quibus assignatæ sunt, pœnarum ergastula revertuntur. Idcircò isto potissimum die Angelis Missarum honor impenditur, ut & mortuis, & morituris patrocinalis eorum defensio procuretur.* Ubi, quod ait de quiete piorum manium diebus Dominicis pium illud quidem, sed commentum est. Neque verò illi id sibi favori ac gratiæ ducerent, quippe qui pervelint brevi debitas culpis suis pœnas perpeti, ut quantocyus Deo perfruantur.

714. *Gaudent felici suarum morte.* Itaque redeo ad Angelos, qui custodiæ suæ munere tota vitâ nostra optimè perfuncti, statim atque animam egimus, de victoriâ nostra ipsorum ope patta velut triumphant. Vidit hoc quondam B. Veronica de Binasco, de qua hæc vitæ illius author c. 14. *Morienti Seraphinæ interfuit Veronica intuens corporeis oculis sæva bella hostis antiqui, quibus animam exhalantem vexabat. Angelus siquidem lucis adstabat præsto decedenti affuturus. Obiiciebat è regione dæmon Seraphinæ gravia quæpiam, nedum verba levia, silentii non observationem, ac ea quæ mortales nullius momenti arbitrantur, memorabat verò eadem improperans: At lucis Angelus confessam fuisse omnia Seraphinam respondebat. Tum impius Sathan alia in medium deducebat, qui confessionis accepto responso confusus abibat. Seraphinâ itaque ultimum dante spiritum, Angelum Domini lætantem apprimè Veronica conspexit. Quamobrem animam Seraphinâ æternæ damnationi minimè addictam intellexit. Quod itidem sequenti nocte cælestia regna perlustrans certiùs dignovit: Domino significante ignibus Purgatoriis Seraphinæ spiritum alligatum.* Ita Isidorus de Isolanis Ordinis Prædicatorum apud Bollandum Jan. 13.

715. *Migranti animæ occurrunt.* Porrò migrantem è corpore, velut è domicilio animam excipiunt Angeli. Id quod considerans Sancta Mater Ecclesia occursum illi Angelicum precatur: modò sermone ad filios converso, his verbis: *Egredienti itaque animæ tuæ de corpore, splendidus Angelorum chorus occurrat:* modò ad ipsos Genios; *Occurrite Angeli Domini, suscipientes animam eius: offerentes eam in conspectu Altissimi.* Et evenit, ut eo ipso tempore, quo à fratribus Religiosis S. Dominico morienti adstantibus ad ea perventum erat, *Subvenite Sancti, Occurrite Angeli*; Divus ille sanctissimam animam in sinum eorum ac complexum effuderit. Cæterùm & id officii aliis minoris notæ, ac sanctimoniæ exhiberi, patet ex historia cujusdam à morte suscitati ope D. Virginis, quem sic loquutum scribit Petrus Damiani lib. 2. Epist. 14. *Egredienti mihi de corpore duo protinus Angeli splendidæ claritatis occurrunt, qui me secum ducere in superiora cœperunt. Sed ecce me nigrantes dæmonum turmæ, velut phalanges Æthiopum,*

Æthiopum, undique circumfundunt, me tamquam sui iuris hominem acri nimis, & importunâ vehementer exactione reposcunt. Tum pergit dæmonum litem, ac Geniorum defensionem describere, qui tamdem Virginis Immaculatæ præsidio fulti, victores evasere, eumque vitæ ad emendationem reddidere, alioqui æterno supplicio cruciandum.

716. *Adsunt judicandæ.* Sed pergamus: susceptam enim sinu, ac complexu suo animam, Angeli ad tribunal Judicis devehunt, vel potius, quia judicium in ipso morientis loco peragitur, adsunt judicandæ. Ita extat in Revel. S. Birgittæ lib. 4. cap. 7. 8. & 9. visio mirabilis, qua Divæ illi objecta est anima judicanda, accusante dæmone, Angelo defendente. In eâ cœlum per palatium, Christus per solem, Virgo per mulierem, Angelus per militem designatur. Qui quidem Angelus militis specie videndum se præbuit, ut appareret eum revera tum temporis militem strenuum agere, fortiterque contra ducem illum superbiæ militare, Id quod variis exemplis confirmare liceret. Sed audiamus Catenam Græcam, quæ altercationem S. Michaëlis cum diabolo de Moysis corpore, figuram facit hujus litis de animâ obtinendâ. Sic ergo illa in Deuter. 34: *Ex Michaëlis congressione cum dæmone palam Deus facere voluit, quantopere conetur hostis humani generis, ne animæ à corpore hoc egredientes cursu suo ad superiora contendant, contra quem tempestivè Angeli Domini occurrentes iustos à faucibus orci eripiunt.* Ita Catena.

717. *Cum Michaele Archangelo.* Præterea S. Michaelem Ecclesiæ Catholicæ patronum tunc præsertim patrocinari, & cuique judicandæ animæ adesse, communis est Ecclesiæ sensus. Et vide benevolentiæ illius Archangeli velut imaginem sanè jucundam. Incessit aliquando senem quemdam monachum cupido videndi improbi, & probi hominis varios è vitâ exitus. Annuentibus superis, dat se in iter urbem versus, cujus in adjacente agro Cœnobium animadvertit, auditque animam illic agere virum opinione sanctitatis celebrem, post vitam in eremo peractam: Et ecce, mirum dictu! dum morienti adstat dæmonem conspicatur, tamquam ex orco prodeuntem cum igneo tridente, quem audit, nescio unde, juberi animam illius extrahere, & secum avehere. His visis utbi fit propior, & ecce iterum, mirum dictu! pauperem, ac peregrinum, hominem ab omnibus derelictum in extremis vitæ angustiis, jam jamque animam exhalantem videt. Tum verò comparuere Divi Michaël, & Gabriel, alter ad dexteram, alter ad ægri sinistram, animam invitantes ad fælicem exitum. Cunctante illâ, vox audita ejusmodi: mitto Davidem cum citharâ, cælestibusque choraulis, ut musicâ sua hanc animam corpore pellectam in cœlum deducant. Egressa igitur anima in manus S. Michaëlis Archangeli sese tradidit, qui eam comitante concinenteque illâ musicorum coronâ in cœli regiam induxit. Invitis Patrum de exempl. & doctrin. n. 17.

Sed è cœlo in Purgatorium veniendum est. Huc enim pleraque animas cœlo necdum idoneas, deducunt genii. Docet id Angelicus Doctor in 4. distinct. 21. q. 1. a. 1. & cum eo plerique omnes. Et Suarius quidem comitatum illum non modo solatio, sed etiam honori animarum tribuit, & ratio ex superius dictis de Custodum, ac Ducum munere satis colligitur. Colligitur item ex viso S. Vincentii Ferrerii cui soror ab obitu videndam se præbens, precesque postulans, dixit se ab Angelo adversus dæmonem propugnatam; ac venia donatam, in eum, ubi tunc apparebat, locum ab eodem Angelo deferri jussam, scelerum pœnas ad diem usque judicii decretorii istic luituram, nisi Ferrerius precibus, ac Missis spatium illud contraheret, quod & fecit. Colligitur præterea ex historiâ Petri Damiani supra allatâ, & ex aliis, ubi Angeli animas à morte suscipiunt, utique ad locum sibi destinatum deducendas. 718. *Deducunt in Purgatorium.*

Non est autem dubium, quin easdem in Purgatorio crebriùs solentur. Enimverò solabantur olim Patres in Limbo, ut innuit S. Cyrillus in illud Joannis c. 8. *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gavisus est.* Sic enim ipse: *Abraham vidit diem Domini, quando iam in placidâ Sanctorum Patrum requie positus cognovit filium Dei esse incarnatum: erat enim ille dies Domini, quo carnis nostræ substantiam pro nobis assumpsit. Et id quidem cognovit Abraham completum esse per testificationem iusti Simeonis, qui post Dominum susceptum in ulnas requievit in pace, & intimavit SS. Patribus eum natum: aut per denuntiationem Angelorum Sanctos Patres visitantium sæpius, & quæ consolationem eis afferrent, spemque propinquæ liberationis præstarent benignè significantium.* Hæc Cyrillus. Quæ, si vera sunt, ut sunt, conficitur Angelos etiam Purgatorium sæpiùs invisere, ac ibi solari animas, cùm hæ solatio magis quàm Sancti Patres indigeant. Et verò Carthusianus, dum exponit hunc Apocalypseos locum, c. 5. *Et omnem creaturam, quæ in cœlo, & super* 719. *Vbi eam solantur.*

super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audivi dicentes, sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum, sic habet: *Per eos qui sub terrâ sunt potius designari videntur defuncti salvandi, qui in locis Purgatoriis sunt, vel Angeli boni, qui ad eorum consolationem descendunt. Quin etiam* Bernardinus Serm. 65. hic accommodat illud Judicum 2. *Ascendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium. Nam locus flentium*, inquit, *Purgatorium dici potest, ad quem ascendunt Angeli sancti, ut consolentur eos, & hæc potissima consolatio, quam habent purgandi.* Ita ipse.

720. *Illustrantur hæc.* Denique huc quoque potest allici illud Isaiæ cap. 18. *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem exspectantem, & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius.* Etsi enim per Angelos illos priùs dixerimus mortales piorum manium patronos intelligi, tamen ipsosmet naturâ Angelos, magis genuinè accipere licet, & dicere, eos à Christo animarum Sponso, mitti ad solatium, auxiliumque *gentis illius convulsæ, ac dilaceratæ* ingentibus tormentis; vel convulsæ, quia per vim summam divulsæ à Deo, summo bono, atque optatissimo earum fine, ac propterea *dilaceratæ*, cùm votis, atque animo Deo adhæreant, & tamen ab eo separentur. Neque mirare, *si populus terribilis* nominetur, propterea quod nulla umquam gens tanto terrori aliis fuit, quantum nobis parere debet, paritque accuratè contemplantibus unica anima flammis undique cincta, præsertim cùm idem supplicii nobis ob noxas subeundum esse perpendimus. Certè quidem unica plus terroris incuteret, si sub visum, ut est, caderet, quid si totus carcer Purgatorius? nec vacat mysterio, quod *gens exspectans* dicitur, non tantùm, quia revera visionem Dei vehementer desiderat, & exspectat, sed etiam quòd Hebraice sonet *gentem lineæ*, Unde Vatablus, Forerius, Pagninus, legunt, *ad gentem lineæ*, lineæ, id est ad gentem, cui quasi ad lineam, quasi ad amussim pro noxis admensa est à Deo Judice pœna, & propterea *gens conculcata* vocatur, ut quæ peccatis præcepta Dei quondam proculcavit, proculcetur ipsa; prosternaturque in purgante ergastulo, quod ergastulum *terra* defunctorum vocatur, nempe à terendo, quia diuturnitate supplicii velut atterit miseros, & insuper ab ipsis teritur, ac frequentatur. Terram autem illam *flumina diripuerunt*, quia diræ flammæ ex sulphure, & bitumine colliquato, ac fluente totum Purgatorii locum inundantes devorant. Adhanc igitur gentem adeò ærumnosam Angeli veloces eunt, id est ad pios manes juvandos, solandosque celeriter, ac frequenter convolant.

Pars secunda.

Eius Angelicæ curæ exempla.

721. *Patet idem promisso Christi, vitáque S. Liduinæ.* Atque idgenus consolationis Christus D. Virgini apud Birgittam lib. 6. c. 21. pro aliquo è suis amicis pollicetur hisce verbis: *Consolabuntur eum Angeli sancti*: & præbuisse constat ex historiis: sic enim de S. Liduina narrat Surius: conspexit etiam puteum quemdam, & ei insidentem Angelum facie mœstum, quem ubi cognovit Custodem esse Sacerdotis pro quo oraverat, & causas mœroris ex certis ejus demeritis percepit; mox ab Angelo docta est speciali illic eum Purgatorio castigari, statimque apertus est puteus, & erupit inde flamma aterrima, atque fumosa, simulque ejulatus altissimus. Interroganti Angelo, an vocem illam nosset, respondit Liduina se probè illam cognitam habere. Confestim autem ascendit anima illa specie ferri ignitissimi, voce confusâ dicens, O Charissima Liduina, ô speculum purissimum, quis mihi det, ut quandoque Dominum in te, & te in Domino contemplari queam! Ita Surius. Et post pauca, Paucis, ait, post diebus, Angelum illum, quem mœrentem conspexerat, jucundum, & hilaremvidit, tandemque anima illa ad communem expiationis locum translata est, adjutaque pœnis, quas Virgo sanctissima ex amore patiebatur, ad cœlos evolavit. Audisti Angelum in Purgatorio mœstum hærere calamitate clientis, & postmodum hilarem ejus levamento? ne quæso arbitrere frustra, & otiosè istic commorari; sed ad ejusdem solatium.

722. *Et ex V. Catharinæ Rissiæ viso.* Cujus certo argumento est, quod in vita non vulgaris virtute feminæ Catharinæ Rissiæ Ordinis S. Dominici legitur. Illa in quadam ecstasi divinâ è paradiso, quò rapta fuerat, mente descendit in Limbum, Purgatorium, ac tartarum. In Limbo ingentem vim puerorum conspexit tam veteris, quàm novi testamenti propter originalem culpam Dei visione carentium, & ingenti grati animi sensu, quòd culpam illam divino beneficio baptismate eluisset, affecta est. Inde in orcum delapsa ne modicum quidem miserationis sensit, quòd ejus incolæ misericordiâ Numinis repudiatâ, justitiæ sese ultrò subjecissent. Tum verò pur-

gantem carcerem ingressa, quo etiam per singulas noctes Dominicis diebus prævias descendebat, vidit Tutelares Angelos, quemque animarum sibi commissarum ærumnosum statum indicantem, ac levamen commendantem. Id quod eam ad voluntarias, nec mediocres pœnas pro iis solvendas velut obstringebat: Hæc Joannes à Sanctâ Mariâ in ejus actis. Ex quibus sic argumentari licet: Si Angeli animas clientes aliis in Purgatorio commendent ad solatium, auxiliumque, igitur solatium illis suum deesse non patiuntur. Joan à S. Maria in vita.

723. *Sed magis ex aliis S. Liduinæ visis.*

Sed ad Liduinæ vitam revertamur: Illic enim illustriora ejus generis exempla sumus contemplaturi. De illa iterum ita » Surius vitæ: 3. parte. cap. 2. Nocturno » tempore rapta in spiritu ad loca pœnarum, » videbat non absque summâ commisera- » tione torqueri animas, & ingentes ignium » globos in sublime efferri: roganti autem » quandoque Angelo, num animam, quam » digito monstrabat juvare vellet, se per- » quàm velle respondit; Tum Angelus, » Oportet igitur, inquit, per medias transi- » re flammas. Ego verò, ait, libens id fa- » ciam. Transiens igitur per flammas vidit » illic tortores sese contrahentes, indigne- » que ferentes humanitatem ejus, quà cu- » piebat subvenire animabus. Cumque jam » pertransisset, vidit animam ab Angelo in- » dicatam è pœnis eripi, & postea exulta- » bundam ad cœlum proficisci. Rogavit » eam quædam, ut pro patre suo recens de- » functo oraret. Ducta est autem in spiritu » ad regionem illam, ubi ejus anima crucia- » batur, aitque illi Angelus; hic est ille vir, » pro quo te deprecaturam spopondisti. ut » autem vidit illam vir ille, ait ad socios, Ab » eo tempore quo purgandus hunc intravi » locum, spiritum in carne degentem non » vidi, nisi spiritum Virginis hujus. Sit be- » nedictus Deus qui misericordiam suam » mirificavit mihi in hac horâ. Paulo post » orante, & patiente pro eo sanctâ Virgine » in corpore suo; liberatus est, sicut postmo- » dum uxori ejus revelatum est.

724. *Aliud ejusdem visum.*

» Vidit aliquando Liduina spiritum cujus- » dam defuncti specialibus pœnis excruciari, » ferreis stipitibus confixum, audivitque ab » Angelo suo eum esse fratrem illius femi- » næ, quæ si petiisset, ut oraret pro eo, se » quoque impetraturam, si quid piè pro eo » peteret. Oravit igitur, ut ab illis ferreis » stipitibus extraheretur. Illicò à pœnis illis » specialibus absolutus, ductus est ad com- » munem purgandorum locum. Sorore au- » tem ejus importunè scire cupiente ex Li- » duina de statu illius, tandem ea tetulit, quid vidisset, jussitque certas præstari eleëmo- » synas, & in iis caponem, qui pauperibus » ægrotis pararetur. fecit illa ut jussa erat, & » ecce nocte intempestâ adest turba dæmo- » num, è quibus unus caponem manibus te- » nebat, similem illi, qui fuerat datus pau- » peribus, quo gravissimè cecidit facies utri- » usque, id est, & Liduinæ, & sororis defun- » cti illius, & hæc quidem postea in quosdam » incidit morbos propter fratrem suum, quos » cùm præ dolorum atrocitate ferre non pos- » set, oravit Liduina pro ea, & quamprimùm » liberata est. Quod autem reliquum fuit » pœnarum, in Liduinam translatum est, sic- » que tandem è pœnis erepta est anima illa. » Interserit deinde Surius pauca de sola Li- duina, quæ ob præstantiam non videntur silenda.

Ob zelum animarum sæpè cruentos ab » 725. oculis fudit imbres, dicebatque Domino, » *Mira Li-* O si possem, Deus meus, carnem & sangui- » *duinæ in* nem meum dare pro animabus illis, quas » *defunctos* tu castigas! Pro his ergo orabat, vigilabat, » *caritas.* suspirabat, sacrificia offerenda curabat, se » totam in holocaustum offerebat. In vita. »

Balduinus quidam de Campo cùm à cor- » 726. pore migrasset, Liduina rapta in spiritu vi- » *Aliud ejusdem* dit hominem facie ipsi ignotum stare ad » *visum.* pedem montis, & volentem quidem as- » cendere, sed minimè valentem; Audivit » etiam dicentem sibi, Miserere mei Liduina, miserere mei, & in montem hunc me » deportato. Illa accipiens eum in humeros » suos tulit in montem. sed difficulter sanè; » Ait autem ad eum, Quis vocaris? & ille, » Balduinus à Campo inquit. Mane con- » fessarius Virginis venit ad eam, viditque, » ceu labore gravi defessam, & ægrè respi- » rantem. Itaque ait ad eam: Ecquid habes » filia? cur præter morem tam difficulter res- » piras? illa respondit, Ego Pater à monte » venio, in quem Balduinum à Campo tran- » stuli, sudore pariter, & labore jam afflicta. » Ille nomen viri jam ante crebrò audierat; » sed virum ignorabat: Triduo post, nescius » eò venit sacrificaturus ubi Balduinus de- » cesserat, didicitque è templi Custode eâ- » dem nocte eum obiisse, qua Liduinæ appa- » ruerat. »

Sacerdos quidam carnis illecebris dedi- » 727. tus statuerat corrigere mores suos: sed » *Aliud.* morte præventus, etsi valde contritus, ta- » men pro peccatis, ita ut par erat, satisface- » re non potuit. Orans autem pro eo Lidui- » na, ducta est ab Angelo in eam regionem: » audivitque vocem lugubrem ceu è puteo » abyssi, quam Angelus dixit esse Sacerdotis » illius. Cumque miraretur eum duodecim » annis tam horribili loco detentum, Ange- » lus eam intuens, ait, Visne pro ejus libera- »

tione

» tione aliquid perpeti? volo, inquit, & qui-
» dem libenti animo. Mox ei ostendit An-
» gelus locum, ubi vorago quædam cerne-
» batur, & gurges ater ac horribilis, tamquam
» torrentium multorum magno impetu ma-
» nantium. Hunc gurgitem, inquit idem,
» transmittas, oportet, si vis hanc liberare
» animam. Illa verò cùm in aquas illas ter-
» ribilem edentes sonitum ingredi timeret,
» Angelus admonuit, ut infracto animo
» transiret. Itaque virtute induta cœlitus,
» & ardentissimâ charitate incensa, ingressa
» est in tumultuantes undas illas, & summo
» labore eas superans victrix obtinuit quod
» optavit, viditque repentè Sacerdotis illius
» animam nive candidiorem è pœnis evo-
» lantem, ac deinde in nitidissimo se rivulo
» abluentem, & cum jubilo abeuntem in cœ-
» los. Illâ autem horâ Liduina ad se rever-
» sa tanto sudore madere reperta est à do-
» mesticis, ut nemo ambigeret, spiritu eam
» valde defatigatam alicunde revertisse.
Hæc de Liduinâ, deque ejus Angelo Su-
rius, quæ Angelicam in defunctos chari-
tatem abundè demonstrant.

728. *Patet idem ex actis B. Joannæ à Cruce.*

Denique eadem charitas ex actis B. Jo-
annæ à Cruce tertii ordinis S. Francisci
etiam comperta est. Etenim solebat illa
Sanctimoniales suas hortari ad contem-
plationem crebram intolerabilium Purga-
torii tormentorum, pariterque ad singula-
rem in S. Michaëlem pietatis sensum.
Quippe quem in ecstasi vidisset de animis
in obitu decretoriam ferre sententiam, ex
quibus cùm aliquam condemnaret, An-
geli concinentes. *O Deus Maiestatis*, in-
quiebant, *quantâ cum misericordiâ con-
iuncta est iustitia tua: nos te in illis adora-
mus*. Tum verò animas damnatas diris
devovebant: At quando aliæ ex animis
Purgatorio carceri adjudicabantur, tum
Custodes eas excipientes, & ad carcerem
illum deducentes hac spe consolabantur,
quòd brevi beatas, ac cœli secum incolas
denuo essent visuri. Daen in vita.

729. *Alios ad idem officium excitant Angeli.*

Neque tamen eâ caritate contenti sunt
optimi Genii; nam extra hujusmodi vi-
siones, & ecstases, omnes promiscuè ad
suppetias iis ferendas excitant, idque aut
sensibilem in modum, aut spiritualem. Ni-
mirùm injectis menti, vel parentum, vel
amicorum, vel aliorum idoneis piorum
manium imaginibus, commotaque ad eo-
rum commiserationem voluntate. De qui-
bus quoniam libro de Angelo Custode sa-
tis à me disputatum est, ad eum Lectorem
remitto. Tantum hic addo ad id genus
subsidii Angelici referendas esse subitas il-
las cogitationes de hoc, & isto mortuo;
subitas item expergefactiones nocturnas
cum recordatione alicujus recens defun-
cti, de cujus morte nihil alioqui audivimus:
& alia ejusdem generis. Ita cùm Venera-
bilis Sanctimonialis Catharina de la Croix
ordinis S. Dominici Duaci quondam som-
num nocturnum caperet, excitavit eam
suus Custos, & clarâ voce significavit aliam
Sanctimonialem, quam nominabat, in
Cœnobio de la Thieuloye juxta Atreba-
tum, recens obiisse. Quare illa strato exi-
liens, diductis in crucis formam manibus,
quinies orationem Dominicam, Angeli-
camque Salutationem, ad illius solatium
pronuntiavit. Cuius mortis nuncius cùm
postero mane Duacum perveniisset; intel-
lectum est eodem tempore, quo Catharina
Dominicana à Tutelari expergefacta fue-
rat, animam exhalasse. Ita Joannes à S.
Maria in eius vitâ. Huc quoque pertinet,
quod memorat Noster Allegambe in Bi-
bliotheca Scriptorum Societatis, de Paulo
Josepho Arriagâ, rarissimâ virtute viro;
*Hic enim inter cætera pietatis insignia, no-
stris graviter decumbentibus semper advi-
gilabat per noctem, demortuos autem suis
manibus componebat, & piacularibus suf-
fragiis prosequebatur, idque tam providè,
ut quò citiùs eo illius beneficio potirentur,
statim à nocte media lustricas preces exhi-
beret, solitus ad id officii ab Angelo, si
forte altius obdormisset, excitari.*

730. *S. Monulphum. Episc.*

Huc quoque referendum quod contigit
S. Monulpho Episcopo, cui prima debet
fundamenta civitas, imò & Episcopatus
Leodiensis: quippe qui ex ingentibus opi-
bus, quas à maioribus acceperat, Episco-
pio suo Dionantum urbem attribuerit.
Quam munificentiam à Deo compensa-
tam asserit Ægidius Historicus, Principe
quodam è flammis Purgatorii liberato.
Ad eum terræ mandandum accersitus in
viam se dederat, cùm fortè per umbrosum
lucum infælicibus olim geniis impietate
gentilitia dicatum iter faciens, subitò inter
opaca nemoris, & horrendas ferarum vo-
ces, pueruli gemitus & clamores audit
lacrymabiliter opem implorantis. sistit
ipse gradum, & pro Christianorum more
in repentinis casibus, efformaturus cru-
cem, dextram attollit; sed horror insolitus
omina percellit membra, manumque, ac
linguam ita constringit, ut nec vocem for-
mare posset, nec crucem. Comitum etiam
plerique in gradu consistere non poterant,
horrore attoniti, cùm ecce pulcherrimus
iuvenis Episcopo se videndum offert, mo-
netque posito metu in urbem se referat,
ubi cum Clero populique multitudine, to-
tum triduum precibus, ieiuniis, eleëmo-
synis, Deum demortuo Principi propitiet,

quem sepultum ibat : acerbissimis illum propter peccata cruciari suppliciis, cruciandumque diutiùs, nisi subveniret ipse. Exacto denique triduo cæptum iter repeteret, & si eodem nemore quieta reperiret omnia, tum denique certum haberet, illius Principis animam cruciatibus ereptam esse. Unum è superis aliquem hæc nunciasse non dubitavit Monulphus, & revertens in urbem, post tres dies Christianæ pietatis officiis, ex Angeli præscripto transactos, priorem viam relegit, & emensus est magnâ tranquillitate. Atque ita demum Principis corpus terrâ condidit, eò lætior quòd animam cœlo receptam sciret. Quæ omnia quisquis expenderit, intelliget profectò, propensissimam Angelorum in pios manes voluntatem, & nobilissimos illos spiritus in tam pio sanctoque studio studebit imitari.

CAPUT QVINTVM.

Ingens utilitas caritatis in Defunctos.

ARTICULUS I.

Gratiæ, gloriaque augmentum ex ea profectum.

§. 1.

Munificentia Divina in misericordes expenditur.

731. *Misericordia Dei divina.*

HÆc est postrema causarum, quibus ad opem piis manibus ferendam impelli nos oportet, utilitas ferentis. Quæ profectò tanta est, tamque multiplex, ut licet sola foret, mortales omnes ad id officii pertrahere deberet ; agitur enim hîc primùm de præmio illius charitatis divino, quod quia ab immenso Numine donandum est, non potest non esse summum : ut enim Reges regia, id est præcipua quædam liberalitas decet, ita & Deum longè excellentissima, ac divina.

732. *Ostenditur ex Ecclesiastico.*

Audi igitur Siraciden c. 17. sic eleëmosynam prædicantem. *Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit, & postea resurget, & retribuet illi retributionem unicuique in caput ipsorum, & convertetur in inferiores partes terræ.* Ingens omnino præconium. Cur enim eleëmosyna, seu misericordia, signaculum ? Quia misericors hoc ipso, quo misericordiam exercet, donatur signaculo, seu sigillo Dei, ut scribat quidquid in votis est, sigilloque eius scripta imprimat, & obsignet, nempe ut scriptis etiam in curiâ cœli propositis quod petit denegari non possit. Quare misericordia omnipotens dici potest, & sanè id invenitur apud Jobum c. 22. Ibi namque dicitur, *erit omnipotens contra hostes tuos*, Vatablus vertit : *aurum tuum erit omnipotens*, Caietanus autem, *Saddai erit in thesauros tuos* : id est, omnipotens, seu omnipotentia, utrumque enim notat nomen illud Dei, erit in thesauris liberaliter ex misericordia distributis, adeò ut Deum ipsum ad quidvis impellere, & velut adigere queant. Sed pergamus, nam loco signaculi Syranus, & alii sacculum reponunt, voluntque misericordiam sacculum vocari. Cur quæso ? An quia bursa est plena monetæ cælestis, ad coemendos cœli honores præcipuos ? Cur iterum sacculus ? An quia eadem misericordia fideliter custodit, quod pauperibus quidem gratis, at Christo fœnori datur, ut illo in die decretorii Judicii repræsentato recipiatur centuplum ? Sed quid illud, quod dicatur eleëmosyna *gratiam hominis, quasi pupillam conservare* ? opinor, quòd gratiam habitualem misericordia quasi pupillam, id est, studiosissimè conservet, scilicet obtentis à Deo gratiis actualibus crebris, & efficacibus. Deinde si Deus misericordiam ut pupillam conservare dicatur, intellige conservare, ut rem charissimam, ac pretiosissimam ; imò intellige conservare illam in mente sua, tamquam pupillam, per quam scilicet videat continenter hominem

meseri-

misericordem, illis approbationis oculis, de quibus Psalmista, *Oculi*, inquit, *Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Quid præterea illud? Et *postea resurget*, nimirùm eleëmosyna tua ac misericordia: an forsitan prius morietur, quæ tamen aliàs dicitur *permanere in æternum*? Planè si moriatur, non Deo, sed hominibus morietur, aut potius mori censebitur, iis nempe; quibus dum vita fluit, neque ex voto fluit, & est fortasse qui objiciat, quod Tobiæ ac Jobo sui amici, Ubi sunt eleemosynæ tuæ quas faciebas, quasi improperaretur emortuas esse: at Deo vivunt, & cum hominibus misericordibus velut resurgent, quando iis, quibus mortuæ videbantur spectantibus, retribuet ipsa misericordia, seu Deus ejus gratiâ, & velut ejus nomine, retributionem unicuique capiti pro meritis, atque adeò amplam regni cœlestis possessionem. Satisne? minime verò. Sequitur enim, *Et convertet in interiores*, vel ut alii legunt *inferiores partes terræ.* Quid illic actura misericordia? nempe quod sibi proprium est, miseros subterranei carceris captivos levatura, & secum sursum evectura misericordes, quia decet filios olei, ac pietatis, cum Patre misericordiarum, & Deo totius consolationis, itemque cum Matre misericordiæ, non cum miseris commorari.

§ 2.

Gloria summa, merces caritatis in Defunctos.

733. *Quia major mercede misericordiæ corporalis.*

QUOD si autem misericordiæ Christianæ tanta, tamque multiplex merces proposita est, quanta demum assignanda est illi, quam prædicamus, in pios manes charitati, satisfactionem vel omnem, vel maximam partem iis assignanti, aut certè opem non levem, quà stipe, quà precibus, quà Synaxi generali, quà sacrificiorum procuratione afferenti? Siquidem, ut jam ante diximus, hoc genus misericordiæ tale est, ut omne quod vocant, corporalis, longo intervallo superet. Quare cùm pauperis famem levantibus Regnum cœleste reddendum sit in præmium: Cùm etiam sitim sedantibus, præterea hospitio excipientibus, denique singulis sigillatim misericordiæ operibus idem mercedis promittatur (Sic enim Judex, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere*, mitto reliqua) Et cùm totidem nominibus, aliisque longè excellentioribus cœlum Amatori piorum manium debitum sit, quàm beata, quàm ampla eum manet illius regni possessio! Vis nosse quid cæteris paribus arbitrandum sit? Confer cum pane corporali cælestem ambrosiam; cum aquâ, Christi sanguinem, & nectar divinum; cum domo, atque hospitio terreno, cœli Regiam, & æterna tabernacula; cum visitatione captivi aut ægri, introitum in gaudium Domini, atque influxum Divinitatis in animam, ejusque bonorum omnium cum hac communicationem, nonne satis intelliges posterioris caritatis mercedem longè præcellere. Quamobrem vel eo solo nomine, mi Christiane Lector, *Misericordia* ista, *& veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo*, nempe *ut torquem auream*, & insigne cælestis nobilitatis, *& describe in tabulis cordis tui, & invenies gratiam coram Deo, & & hominibus.* Prov. 3.

734. *Nec minor mercede spiritualis.*

Sed nihildum dixi. nam genus hoc charitatis in defunctos nonnullis rebus præstare insuper ostendimus misericordiæ spirituali. Si ergo Isaias Vates ita exclamat cap. 42. *Quàm pulchri sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Si Deus ita affirmet apud Jeremiam cap. 15. *Si converteris, convertam te, & ante faciem meam stabis, & si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Si Danielis ore Deus ita vaticinetur. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Si Jacobus Epist. c. 5. sic moneat. *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Si denique Clemente Alexandrino authore l. 1. Stromatum, *prædicandi verbi Dei scientia est quodammodo Angelica*: hæc omnia, pluraque præconia charitati in pios manes ascribi debent. Enimverò & ipsi eorum Amatores pacem illis, & bona evangelizant, dum re ipsâ ostendunt veram, & æternam pacem brevi affuturam. Quàm igitur pulchri sunt eorum pedes Purgatorium animo adeuntium ac perlustrantium! quanta apud Deum gratia, quanta gloria! Deinde pretiosum à vili & ipsi separant, quia pretiosissimas animas à sordibus, ac pœdore ergastuli purgantis eximunt. Sunt igitur quasi *os Dei*, sive quia quod pro seipsis præsertim petent, Christus ratum habebit, tamquam si promisisset ipse, vel Patrem pro iis postulasset; sive quia eorum pro defunctis preces, tamquam ora-

cula sunt eorum libertatis brevi donandæ. Et verò fulgebunt tamquam stellæ firmamenti de majoribus in æternitatem, quia plurimas animas lumine gloriæ, ac visione beatificâ impertierint. Quare & illud velut auctarium fælicitatis illis accedet, ut eo charitatis genere, peccatorum, si quæ antea patrarint, operiant multitudinem, quia ad tam fulgidi jubaris ortum, noxarum omnium tenebras discuti necesse est. Quis igitur ambigat, quin ea charitas, perinde ac prædicandi verbi Dei cura, Angelica possit nuncupari?

735. *Et præmium martyrii æquare potest.* Quod quidem eò securius dico, quòd prius id quoque ostenderimus, charitatem hanc cum Martyrum charitate ac fortitudine comparandam esse. Hinc enim consequitur & paratam huic in cœlo gloriam Martyrum gloriæ non absimilem. Qui igitur dixit, *Quicumque confitebitur me coram hominibus, & filius hominis confitebitur eum coram Angelis Dei*; hic ipse filius hominis JESUS CHRISTUS Amatorem defunctorum in cœlo coram Angelis, ac curiâ cælesti universâ confitebitur, id est, suum agnoscet, ac prædicabit, & singulari caritate complectetur, eximiaque mercede remunerabitur, quoniam & Amator ille filium hominis, Deum suum palam agnoverit, ac fuerit testatus publicis misericordiæ in pios manes exercitiis; nequidquam ingruente metu purgantium tormentorum, imò certus ea subire ipsius Christi causâ, ut ejus amicos ac filios imò & membra illis eriperet. Ac merces quidem ipsi reddenda triplex futura est. Nam primùm quòd Amator noster, jacturæ temporalis visionis beatificæ, periculum subeat, ut animas in cœlum ad divinas laudes præmittat, par est, ut eadem visione multo illustriori impertiatur. Deinde quòd flammis intolerandis animas populantibus, semet eâdem gratiâ exposuerit, congruit, ut amoris beatifici optatissimo igne vehementiùs ardeat, Præterea quòd ingenti tristitiæ ex privatione summi boni sese obnoxium reddiderit, consentaneum est, ut gaudio beatifico pleniùs perfundatur.

736. *Gloria ejus particularis.* Neque verò ignotum esse potest in Purgatorio, si quis illic hæreat, quod ex charitate suffragia, precesque aliis addixerit. Quare, vel ibi summa florebit gloria defunctorum Amator, & hæc ipsa gaudium illi pariet, ac solatium; minimè autem dubitandum est, quin uti Martyres laureola manet, ita nostros illustrissima quædam nota in cœlo maneat, qua fulgeant ipsi, & ab aliis dignoscantur. Quid? quod perpetuus eorum triumphus nescio quid supra veros Martyres eximium sortietur, cùm & ipsi sibi tyranni fuerint & Martyres, & captivos amoris tracturi sint plurimos, quos liberarint, & omnes illi in currum triumphalem iisdem futuri, quippe assertores, suos semper in oculis, atque in medullis laturi.

737. *Et æterna.* Et hæc quidem omnis gloria non aliis quàm æternitas ipsa, finibus circumscribetur: hæc omnis laus, ac celebritas temporariæ satisfactionis donatione & fortè brevi purgantium flammarum perpessione, parabitur. Quanta igitur vel ex hoc capite utilitas hujus caritatis! Exploratum enim est gloriam etiam brevissimam, ac infimam, longè plus fælicitatis in se habere, quàm lustrale supplicium, vel maximum & diuturnissimum, molestiæ & infælicitatis; cùm gloria summi boni possessio sit: supplicium autem perpessio mali finiti: quantulo igitur pretio, charitas hæc in defunctos emit gloriam summam, & sempiternam. Accedit quod æternitas vel bono vel malo ipsi, quod afficit, etsi finito pondus addat infinitum, nempe ex iterandis seu gaudii, seu tristitiæ actibus infinitis, cùm omni fine careat. Denique hoc etiam facit ad præmii, de quo agitur, momentum, quod statim ab initio omnis illa ratio æternitatis cognoscatur, & gaudii diuturnitas propter fruendi securitatem quasi præcipiatur. Quare quod Chrysostomus aliàs à nobis laudatus, de eleëmosynâ pronuntiavit artem esse omnium quæstuosissimam, id de hac potissimùm ratum est.

738. *Genus est contractûs quæstuosissimi.* Quamobrem si te mercatorem esse memineris, Christiane, en proponitur tibi parvò emendus census bonus, ac licitus, quo præter morem omnium, non tantùm post tres, aut plures ab emptione menses, aut annuatim reddantur tibi quinque, sex, septem in centum, sed millies amplius sorte tota, & bis millies, idque in perpetuum, sine ulla facultate censûs redimendi. Si cambium tibi placet, en ecce opportunitas optimi ac maximi ex eo contractu lucri; mitte in Purgatorium ad aliquos è piis manibus litteras cambiales, quibus pretium satisfactionum tuarum illis addicas, Christo illic pendendum, & hic, & ipsi in cœlo monetâ probâ ac regiâ solvent tibi ter quater, imò millies millecuplum, nec solutionem umquam desinent. Si denique fœneratio magis arridet, hæc ipsa & quæstuosissima, & probatissima est, tradere satisfactiones defunctis, ut ex eo mutuo fœnebre lucrum à Deo recipias immensum.

739. *Similis caritati viduæ Sareptanæ.* Sin autem te instar viduæ Sareptanæ pauperem esse recordaris, nec habes *nisi pauxillum olei, quo ungaris, & pugillum farinæ, ex qua subcinericium panem confi-*

cias,

cias, en tibi non unus. Elias in promptu est; cui si panem prius quàm tibi, ex farinâ illâ confeceris, hæc dicit Dominus. *Hydria farinæ non deficiet, & Lechytus olei non minuetur*, sed potius utraque crescent, eo scilicet augente, cujus gratiâ largieris. Denique da hisce Purgatorii pauperibus; ac mendicis nonnihil stipis; & certa est hæc Christi promissio; *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum tuum*, mensuram, Misericordiæ tam corporalis, quàm spiritualis operibus promissam, itemque Martyribus, aliisque generosissimis athletis reddendam.

ARTICULUS II.

Eadem in Defunctos charitas securiores de salute æterna nos efficit.

§. 1.

Misericordia in defunctos vim præcipuam habet impetrandi misericordiam.

740. *Misericordia vim ex se habet misericordiam obtinendi.*

CONSEQUITUR id ex proximè dictis. Nã virtus ea impetrandi, quæ ad salutem obtinendam conferunt, manat ex virtute merendi, atque adeò ex charitate, quæ vel sola, vel præcipua mater est meriti, ac gratiæ, & gloriæ, quippe quæ maximè nos Numini gratos atque amicos efficiat. Cùm igitur hæc, quam tractamus, sit excellentissima, perspectum est præcipua quadam impetrandi virtute pollere. Accedit quod caritas eadem, cùm adversus miseros se prodat, misericordiæ nomen & vim quamdam illi propriam sortiatur. Est enim Deum inter, & misericordem pactum quoddam, quod contractum innominatum vocant, diciturque *do ut des, vel facio ut facias*: Id siquidem insitum est misericordiæ, ut eum, cujus causâ exercetur, imò alium quemvis, ad mutuam misericordiam excitet ac velut obliget; quantò igitur magis Deum, cujus *proprium est misereri semper & parcere*, propter innatam bonitatem? Quare qui piorum manium miseretur Numinis causâ, perinde facit, ac si illi dicat; misereor, ut mei misereatis, atque adeò, ut æternam perniciem, ac calamitatem, cui expositus sum, à capite meo depellas, hæc enim maximè miseriæ nomen meretur, eamque maximè aversaris.

741. *Etiam ex divina promissione.*

Deinde est alia, mutuaque, & ore divino expressa susceptaque Numinis obligatio. Enimverò nec paucis, nec obscuris locis vel misericordia, vel gratia, vel divina beneficia misericordi divinitus promittuntur. Et nemo ambiget summa hæc promitti homini in pios manes misericordi, quandoquidem ejus in illos misericordia multis ex capitibus sit summa. Etenim sat manifestum est mercedem divinam operum nostrorum excellentiæ adæquari. Et verò ipse Dominus apud Isaiam vatem c. 28. ubi sic habemus, *ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensurâ*, ita loquitur apud Interpretes Septuaginta; *ponam misericordiam in stateris.* Quem locum exponens Basilius in Ps. 129. *Misericordibus*, ait, *misericordia pro mensura misericordiæ eorum*, Et Nazianzenus, *Nulli enim*, inquit; *rei misericordia magis rependitur, quàm misericordiæ, ab eo, qui omnia iustè pensat, & rependit.* Quare si Salomone teste Proverb. 17. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei*, sive, ut vertunt Septuaginta; *& secundùm donum eius, retribuet ei*, vel ut Chaldæus, *& retributio bona retribuetur ei*: quàm ampla, liberalisque erit merces misericordiæ tam generosæ in pauperrimos defunctos? Si illius Patre authore Ps. 32. *Beatus* est, *qui intelligit super egenum, & pauperem: in die malâ*, id est periculosa illâ, ac decretoriâ, *liberabit eum Dominus*, quantò beatior Amator piorum manium, qui super pauperrimos illos *intelligit*, id est, pro eorum necessitate attentè, prudenterque consideratâ, iis de lytro sibi tam necessario benefacit? quantò idem securior erit de Numinis protectione? Si Isaiæ voce id promittitur misericordi. *Et eris quasi hortus irriguus, cuius non deficient aquæ*, nempe gratiarum actualium, quibus irrigatus animus fructus efferet dignos beatâ æternitate; an poterunt deficere homini in defunctos benigno, ac liberali, cùm earum gratiarum beneficio purgantes flammas extinguat? Si denique authore Augustino Homil. 29. inter 50. *Ante fores gehennæ stat misericordia, quæ neminem permittit in carcerem intrare*; an permittet optatissima, opportunissimaque illa misericordia in defunctos?

§ 2. *Charitate*

§ 2.

Charitate piorum manium in suos patronos, corroboratur ea vis misericordiam obtinendi.

742. VERUM etsi faceremus, per se frigere misericordiam divinam, & in pios hosce patronos parum esse propensam, ipsæ defunctorum animæ Deum medullitùs tangunt, ac Mæcenatibus suis omnino propitium reddunt: ac proinde æternam eorum salutem asserunt. Quod ut demonstrem, ordine quodam procedo, & primùm de illarum oratione pro nobis, quando adhuc hærent in Purgatorio, tum de earumdem invocatione, etiam id temporis, adhæc de illarum cœlo post receptarum pro nobis deprecatione, ac denique de beneficiis ab iisdem receptis, ac recipiendis pertracto.

743. *Possunt pro nobis orare.* Principio itaque asserendum cum Suario l. 1. de oratione c. 11. purgandas animas *generatim orare posse pro Ecclesia militante, eiúsque rectoribus, aliísque, quos ignorare nequeunt, & vitam agere, & suas preces mereri, ut merentur omnes, qui iis opitulantur*. Deinde id quoque sat compertum, & ex jam dictis consequi pro parentibus, & amicis Deum precari posse, hac saltem lege, si adhuc in vivis sint, dum fortè illud ignorant. Enimvero animæ illæ gratæ sunt ipsi Deo, nec possunt aliis ex charitate, qua præstant, non benè, & optimè velle. Quid igitur obstaret, quo minus valerent pro iisdem orare? Etsi enim in carcere attineantur, etsi à Deo puniantur, quod objiciunt nonnulli, quid tum? cùm nihilominus illi charissimæ sint, pœnamque æquissimo animo perpetiantur: tamquam si filius Patris manum castigantem osculetur, eique pro verberibus gratias agat? Ut enim nos ipsi mortales, etiamtum cùm ab eo justissimo Judice nos afflictari propter crimina non nescimus, pro defunctis preces fundere nihil vetat; ita nihil vetat pro nobis fundere defunctos, etiam quando castigantur. Quid? quod in pœnis humanis, ac quotidianis pater reus, ac supplicio destinatus pro filio, aut amico pariter reo supplicare Judici, & immunitatem à pœnâ petere, subindeque impetrare potest? Cùm ergo animæ non jam culpæ, sed solius pœnæ sint reæ, quantò potiùs ac faciliùs pœnam à nobis amicis, ac patronis suis poterunt deprecari? Itaque pœnæ subeundæ status, precibus pro aliis fundendis nihil officit, cùm nec vim precandi, nec pium in alios affectum vel extinguat, vel diminuat.

744. *Et impetrare.* Neque verò idem status vim impetrandi ullatenus frangit, si ut usuvenit piis defunctis, cum patientiâ est conjunctus. Cùm enim orationi hoc insitum sit, ut quod petit, impetrare possit, si modò conditionibus quibusdam fulciatur, & hæ omnes orationi piorum manium insint, nihil obesse potest, quin impetrent? Etenim id, quod flagitant, bonum, & honestum est, & ad nostram salutem opportunum; & verò spe firmâ, robustaque orationem suam muniunt (cùm apprimè noverint Deũ, & posse & velle benè nobis facere) ac denique orationi adhibent constantiam, diu noctuque idem urgentes, ut patronis suis præsertim, benè sit, & beatè. Et sanè si Patres illi antiqui in Limbo commorantes pro Gente suâ Judaicâ Deum orabant; si Onias Judæ Machabæo apparuit *protendens manus, & orans pro omni populo Iudæorum*: Si Jeremias teste Onia *multum orabat pro* eodem *populo, & universa sancta Civitate. Si idem dexteram extendit, & dedit gladium aureum Iudæ dicens; accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel* 2. Mach. ult. an existimabimus frustra illos orasse, atque adeò perperam: maximè cùm orationis Jeremiæ fructus ex devicto Nicanore Judæorum impiissimo hoste compertus sit: an credemus orationem piorum manium, in quibus multi egregia virtute, ac sanctimoniâ censentur, omnesque sunt Deo chariissimi, hoc etiam gratiæ tempore sterilem esse fructuum, nihilve, aut perparum obtinere posse?

745. *Ergo orant.* Quod si verò obtinere potest, si pii manes pro nobis precari; quis ambigat, quin impensissimè ad precandum incumbant, ut mæcenatibus suis, quam possunt, gratiam rependant? Enimvero Adrianus 6. in 4. de pœniten. *Si quis*, ait, *pro animabus in Purgatorio, quamquam peccator, animo illis proficiendi orationem fecerit, obligat eos ad antidora, sive ad gratitudinem, licet nihil eisdem fortasse impetraverit*: Et hoc fere modo Gerson Serm. de animabus, illas *debitrices* ei facit, nec quisquam potest infitias ire. Atqui primùm constat animarum purgandarum statum omnis vitii immunem esse, nihilque in illis ex vitæ præteritæ noxis restare præter obligationem ad pœnam iis debitam; non ergo habitus pravos, multò minus vitia, aut immoderatas affectiones: neque igitur hærere illis posse ingratitudinem, vitium Deo, hominibusque exosissimum. Contra autem in iis dominari charitatem in Deum, & cæteris

& cæteris imperitare virtutibus. Deinde usu & experientiâ suâ perspectissimam habent lustralium tormentorum acerbitatem, atque adeò levamentum illius à mortalibus profectũ maximi faciunt, præsertim cùm non possit esse tam exiguum, quin majus sit, quàm si eos ingentibus morborum, suppliciorumque humanorum malis, & centenis mortibus liberaret. Prærerea certissimè noverunt, auxilio illo non posse sibi minus accedere boni, quàm si vita beatissimâ per mille, & mille annos donarentur, cùm momentum gloriæ omnem hujus vitæ fælicitatem longissimè superet. Cùm igitur & charitas, & omnes virtutes in eo purgationis statu omnes exerant vires, grati animi in patronos propensio tanta est, quanta ut minimùm in mortalibus responderet enumeratis illis omnibus beneficiis; atque adeò fieri nequit, quin sit maxima. Itaque incredibile dictu est, quantopere ad mutuam opem patronis suis referendam incitentur, & si plurimorum optimorumque mortalium grati animi studia in unum pectus colligerentur, haud scio, an unius animæ purgandæ studio gratificandi mæcenatibus suis, cõparari possint Igitur & hoc necesse est, ut omni quo valent modo illis sive per se, sive per alios gratificentur.

746. *Primum per se.* Et per se quidem, ut experientiâ novere aliquos sibi patrocinari, ita & pro iis generatim orant; id certum. Particulatim autem, nominatimque nosse, & Deo commendare aliquos, saltem patronorum suorum, perquàm probabile est. Etenim Angeli facilè illos condocere possunt, qui ex mortalibus faveant iis nominatim; & verò ad id quodammodo obstricti esse videntur, sive patrocinantium Tutelares, quos ratio custodiæ, & clientum amor, horum bono in omnem partem intentos esse jubent, atque adeò impellunt ad preces defunctorum iis tum præsertim exigendas: sive Tutelares ipsorum manium, ut solatium aliquod illis ex patronorum distinctâ notitiâ pariant, & hæc est magni Suarii sententia lib. 1. de orat. cap. 10. Accedit quod ejusmodi notitiam videatur exigere grati animi virtus, cùm feratur ad gratiam ei qui contulit referendam, atque adeò ad ejus notitiam, quod fieri potest, exquirendam: & quod hoc quoque votum sit patronorum, ab iis cognosci, quos juvant, si maximè sanguine aut amicitiâ sint conjuncti, & quod denique ex historiis, ac visis pateat pios manes de nonnullis nominatim questos, quòd ab iis essent derelicti.

747. *Non novere omnes qui* Cæterùm omnes eos, qui orant, aut quid eorum causâ agunt, piis manibus cognitos esse non arbitror; quia dum ab aliquibus generatim pro omnibus oratur, oporteret illos toti Purgatorio innotescere, & cùm oratio pro uno è defunctis fusa, cæteris lætitiam aliquam & levamen pariat, quotiescumque unus juvaretur, eum qui juvaret, universis manibus significari necessum esset. Verùm parum interesse videtur, sive noti, sive ignoti sint animabus, qui eas levant; sat enim omnes novit Deus, cui animæ illos commendant: neque verò particularis ac distincta eorum notitia ad precum virtutem multum confert, nec magnopere studium accendit precandi: Sat enim ad id per se feruntur solius opis acceptæ respectu; & si quæ alia nomina eos ad precandum invitare possunt (uti parentelæ, amicitiæ, & hujusmodi) sat est, si generatim illis obversentur. *orant pro ipsis.*

748. *Potest Deus orari per merita piorum manium.* Atque ea ratio cognitionis generalis sufficit quoque, ut à piis manibus aliquid postulemus. Et si quidem agatur de postulatione alicujus opis, interpositis eorum meritis, res videtur satis comperta; nam & sic in Veteri Testamento orabatur Numen per merita Patriarcharum Limbo adhuc detentorum. Verùm id non tam est animas orari, quàm Deum, vel certè Christum, ut earum gratiæ amicitiæque respectu fructum meritorum suorum nobis applicet. Si verò de precibus ad ipsas propriè directis sermo est, quia incertum est, an, & quando nos audiant, cognoscantúe distinctè, ac particulatim; non videtur suadendum, ut ipsimet orentur; majus, certiusque operæ prætium erit, si preces vel ad Angelos eorum Tutelares, vel ad Cœlites eorumdem patronos, vel proximè ad Deum destinentur, eo consilio, ut ipsi manes pro nobis supplicent.

749. *Duplex modus eorum opem implorãdi.* Quod duplici ratione fieri utiliter potest. Primùm, si simpliciter preces ad Deum fusas, aut jejunia, aut sacrificia, aliáve subsidiorum genera, ipsis addicamus, quasi anticipata solutione, ut ad mutuum subsidium eos grati animi vinculo obstringamus: qui modus liberalis est, & ingenuo liberalique homine dignus. Alter, si proponamus aliquid eorum causâ perficere, eâ lege, ac conditione, ut priùs eorum precibus ac patrocinio voti compotes simus. Ita quis iter ingrediens in eorum subsidium vovet sacrificium unum, duo, tria, si sospes atque indemnis domum remeet. Alius merces mari committens, simile quid spondet, si salvæ portum teneant. Alius morbo pressus stipem egenis in gratiam illorum destinat, tum primùm, nec secus impertiendam, quàm cùm morbo liber evaserit. Qui posterior modus non est improbabilis, neque

obligat ante positam, quàm præfixeris, conditionem. Tamen à decoro hominis Christiani longiusculè abest, si quidem nihil ante positam conditionem offerre volueris: cùm ad præparcum & illiberalem animum, imò immitem ostendat. Honestissimus erit medius, si & quid subsidii præstes ipse prior ante acceptam opem, & plus spondeas, voveasque reddendum, cùm acceperis. Porrò hujus velut pacti, aut etiam voti summa utilitas hinc patebit, quòd summo desiderio miserabiles animæ feruntur ad libertatem vel ab igne, vel à carcere; quare omnem, ut aiunt, lapidem moturæ sunt, ut conditionem impleant, teque voti compotem reddant, ut & ipsæ compotes suorum reddantur.

750. *In cœlo norunt patronos.* Atque hæc pii manes etiam in Purgatorio carcere. Quid verò post in cœlo? Ego quidem, etsi Suarius dubitanter hic agat, certum arbitror, iis cœlo jam potitis, omnes orationes, Missas, subsidia omnia sibi impensa optimè & sigillatim nota esse. Nimirùm quia status ille beatus omninò perfectus est vel ab initio. Igitur ab initio patronis suis gratissimæ sint, oportet. Et quod hinc consequens est, necessum est, ut beneficia in se collata sigillatim ac distinctè noverint, ut agnoscant ac compensent. Ergo optimè novere quidquid opis sibi collatum est ad liberationem à tanto supplicio, atque ad usuram tantæ fælicitatis. Igitur & distinctissimè cognoscunt illos, à quibus omne illud suum bonum manavit, ut vicem rependant, ut adjuvent, ut omni viâ, ac ratione gratos sese iis exhibeant. Imò verò etsi Deus per sese illis hæc non significaret, Angeli seu eorum, seu patronorum cœlum introëuntibus gratulabundi clamarent; imo clamant, ac prædicant, ut non possint ullatenus ignorare: quoniam & illorum interest beneficia à se impetrata, à clientibus compensari.

751. *Eosque illic recipiunt.* Illustrantur, ac confirmantur hæc ex eo Christi effato Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quænam enim illa mammona? opes, inquam, quæ iniquæ dicuntur, sive quia per fas nefasque quæri solent: sive quia suis possessoribus infidæ, & parum æquæ; sive quia materia sunt fraudum, & illecebræ furtorum. Quinam verò illi amici? plerique egenos interpretantur. Rectè id quidem; sed cùm ex iis, quibus stipem largitus es, aliqui ad orcum damnentur, qui te illi in æterna tabernacula recipient, unde æternùm exulabunt? Respondent etiam ipsos dici recipere, propterea quòd ob eleëmosynam iis collatam Christus, & Immaculata Deipara simul cum Angelis te recepturi sunt: non rejicio explicatum: Sed numquid clariùs ac pleniùs per amicos illos intelliges pios manes, quorum causâ stipem dederis, imò quorum amicitiam erogatâ illâ iniquitatis mammonâ aucupatus fueris? Qui revera te ipsimet in æterna tabernacula recipient, id est, in cœlum, quò illos ope tuâ præmiseris? Si autem recipient, ergo & noverint non modò cùm cœlum subibis, sed antea, *cùm defeceris*, vitâ scilicet defunctus. Imò cùm te vires deficient, imò cùm cespitabis, cùm corrues, non sine periculo viâ cœli excidendi, sustinebunt te ope mutuâ, ut tandem recipiant in domos suas, æternaque tabernacula. Denique unam ex iis audi, & acquiesce. Cùm celebris illa puella Aragonia post centum, & quinquaginta dierum à morte obita spatium S. Dominico spectandam se exhibuisset, inter alia significavit missam se à reliquis defunctis, rogatum eorum nomine, ut sertum virgineum, & virgineum sodalitium frequenter ac publicè prædicaret: suos autem parentes, & amicos, ut illius sodalitii albo inscripti, ipsos efficerent meritorum ac precum suarum participes: utique se cùm cœlo potituri essent, in millecuplum gratiam istam compensaturos. Nieremb. Troph. Mat. c. 29.

752. *Industria pii mercatoris.* Quare rectissimè celebris quidam ætatis nostræ mercator, postquam ejus conjux memorabili Belgis exemplo, partheboni, & ipse Societati Jesu nomen dedit, secum ita ratiocinatus est. Nemo præter Deum, meque novit, quantum debeam Domino meo. Qui vero solvam? nempe cum sequar, quem ipse Dominus laudavit, licet *villicum iniquitatis*, qui nec fodere valens, & mendicare erubescens, singulos ejusdem Domini debitores adiit, & nomina sua in dimidium minuere jussit. Itaque faciam, inquit, & ego mihi amicos, ut cùm defecerim, recipiant me in æterna tabernacula. Quamobrem jam nunc descendam in Purgatorium carcerem, & modò ab hac, modo ab illa animâ quæram, quantum debes? fortè una respondebit, centum supplicii annos; & ego dicam illi: *accipe cautionem tuam, & scribe, quinquaginta*; reliquos ego solvam, imò conabor totum persolvere. Altera forsan respondebit viginti annos se debere, & huic dicam; & tu apocham recipe, & scribe unicum, ego pro reliquis faciam satis. Ita piis manibus addixit ille, quidquid lytri synaxibus, sacrificiis, coronis, cæterisque piis operibus colligere poterat. Deinde quidquid per Indulgentiam Pontificiam

tificiam illis condonandi copia erat, condonabant: verè industrius, verè studiosus lucri sui mercator: cui si multi similes essent, quàm locuples orbis foret! quantus thesaurus existeret nominibus animarum etsi maximis, diluendis?

§ 3.

Animarum Vindicibus cælites securum præstant cœli aditum.

753. *Quia favent Christi servis.*

VERUM etsi piissimi defuncti non possent Patronis suis, vel in lustrali custodia, vel in cœlo patrocinari, multa tamen aliunde auxiliorum copia ad salutem stabiliendam opportunorum suppetit. Christus primùm, ut eorum liberatione maximè delectatur, ita in liberatores perquàm benevolus sit, necesse est. Cùm enim sexcentis nominibus pii manes ad eum perineant, totidem abs eo amantur, nec minoribus, aut paucioribus ad mercedem in cœlo expetuntur; & totidem nominibus eorum vindices, atque assertores gloriam promerentur. Præsertim quòd idem Redemptor naturâ liberalis sit, & vim quamdam sibi facere debeat, ut iis optimè de se meritis servis, & ad mortem usque fidelissimis, mercedem, aut vita functis reddere differat. Quò pertinet, quod ex D. Thomâ liberalis à liberando dicatur, quòd velut onere quodam se liberet, quando mercedem, aut donum confert. Quare cùm nostri Patroni operam ad id suam illi commodent, hac quoque ratione ipsius Christi liberatores nuncupari possunt, & ipsi non dissimili mercede ac dono impertiri sunt digni. Itaque ad illos spectat ea ejusdem sponsio. *Qui mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit.* Carissimum enim, atque optatissimum ministerii genus est, in eâ sui liberatione Christo famulari. Sed nihil hac in parte illustrius, quàm ratio supremæ illius in judicio sententiæ, sive ista responsio: *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Rectissimè namque per *minimos* illos intelligas defunctos, tum quia infimi loco & gradu sunt, quippe captivi & rei supplicio addicti: tum quia tamquam minimi in familiâ Christi seipsos juvare nequeunt: tum quia ab hominibus derelicti; tum denique quia extra misericordiæ regnum, atque in exilio sunt. Ergo qui non modò uni ex minimis hisce servis, sed pluribus opem tulerit, profectò paratum sibi à Patre æterno regnum possidebit: audietque aliquando & ipse hanc Christi invitationem: *Euge serve bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*: quia, inquam, non multas satisfactiones meo Sanguine emptas atque à me tibi in pium usum datas redimendis servis meis ex voto meo, fide bona impendisti: Eia cœli Rex esto, eademque qua ego felicitate potire: & bonis meis cœlestibus gaudiisque æternùm cumulare.

Quod si verò servos lustrali rogo extraxisse, securos cœli efficit, quid eripuisse amantissimos filios? nam quanto filii dignitas servili præstat, tantò filius gratior est patri, quàm servus, illiusque patronus, quàm hujus mecenas. Porrò sat clarum est ex dictis, omnes quidem pios manes Numinis esse filios, sed tamen eos præsertim esse caros, eoque nomine dignos, qui filiorum amorem illi, dum viverent, exhibuere, de quibus utique præsertim potest intelligi illud Jacobi cap. 1. de Patre luminum: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ eius.* Etenim illi nominatim, *voluntariè*, id est, magna Christi voluntate geniti sunt, quia efficaciter ad perfectam ac cælestem Dei filiationem electi; ex qua dignitate excidere nequaquam possunt. *Geniti*, inquam, ac nati Christo Patre, per semen gratiæ peculiaris prævenientis, ejusdemque perseverantiæ; voluntate item humanâ, matre, per semen consensûs illius in gratiam, & vocationem divinam ad gloriam cælestem. *Geniti* insuper *verbo veritatis*, imperio scilicet fideli & efficace Christi, qui quos *præscivit, & prædestinavit, & quos prædestinavit, illos* certò ac proximè *glorificabit, ut sint initium aliquod creaturæ eius*, id est, quemadmodum Vatablus vertit, *ut obtineant principatum inter creaturas eius*, vel quemadmodum Oecumenius *ut sint primi, & honoratissimi*, vel quemadmodum Syrus, ac Hieronymus, *ut sint primitiæ creaturarum eius*, sive filiorum Dei; quia nimirùm iidem maximè inter Dei filios adhuc natu minores, nequedum adeptos hæreditatem paternam, Principes sunt, & primi propter status gratiæ securitatem; & velut primitiæ ex omni filiorum Dei acervo selectæ ab Ecclesia, Deoque consecratæ ad gloriam ejus Majestatis perpetuis laudibus celebrandam.

754. *Quia favent filiis.*

Hos ergo tam eximios, tam Numini charos filios, qui eo tempore, quo adeunt hæreditatem paternam, captos in viâ, atque infami ærumnosoque ergastulo clausos, suo periculo asserat, ac Patri divino sospites reddat, quo præmio compensandum putas? quantis subsidiis, ne gratiâ tam boni

755. *Maximè curæ sunt Deo.*

Patris excidat, muniendum? Cùm Maximilianus necdum Imperator, venando in altissimam rupem evasisset: unde nec referre pedem, nec ulterius ferre, nisi in præcipitium posset, omnibus elapso biduo velut desperatum lugentibus, ignotus quispiam habitu rusticus dimotis grandibus saxis callem paravit, eumque in tutiora deduxit. Tùm verò post immensam omnium gratulationem juvenis ille edicto patris ubique quæsitus est ad dignam mercedem; cumque inventus non esset, Angelus Maximiliani Custos creditus est. Et si Rex quispiam primogenitum suum è Turcarum manibus ab aliquo ereptum sciret, procul dubio servatorem singulari perennique honore, amplisque divitiis compensaret. Quamobrem omnino rationi consentaneum est credere Regem Regum, eos qui filiorum suorum quempiam è flammis, atque è justitiæ divinæ manibus eripuerint, ingenti præmio remuneraturum: Quod si non unum, sed complures vindicarint, quid credendum? An fortassis passurum sempiternis illos suppliciis mactari?

756. *Quia opitulantur Christi sponsis.*

Si denique Christum jam contemplamur, ut animarum quidem omnium, sed præsertim ei dicatarum Sponsum, non potest erga earum liberatores non optimè affici, atque adeò nequit eos non uberrimis benevolentiæ suæ fructibus cumulare. Nam de ipsius in Sponsas amore satis constabit, si audias S. Thomam opusc. 63. c. 7. docentem, ita hominem promiscuè Christo carum esse, *quasi homo Dei Deus esset, & tota salus divina in ipsius inventione dependeret, & quasi sine ipso beatus esse non posset.* Ita Angelicus Doctor. Nomen igitur, & dignitas Sponsæ, & talis Sponsæ, ex hominibus selectæ, quomodo pectus divinum afficit, quomodo ex adverso ejus viscera commovet tam dilectæ Sponsæ detrusio in tenebricosum atque infamem carcerem, vel tum, cùm Divinitatis intimo aspectu, gloriaque cælesti illam perfrui oportebat! quomodo ejusdem conflagratio à teterrimo acerrimoque igne Sponsi divini animam urit, quando beatifico Numinis amore suavissimè ardere deberet! Quomodo ingens illius tristitia eumdem piissimum Christi animum ferit, quando in sinu æternæ Pacis commoratura, & immensis Beatorum gaudiis perfundenda fuisset! nonne, qui aliquando ad mœrorem, ac lacrymas Magdalenæ, ac Marthæ lacrymatus est Jesus, ad gemitum, ac ululatum dulcissimarum hujusmodi sponsarum, si ratio vitæ beatæ id sineret, toto pectore ingemisceret?

Quis igitur tum sensus tàm amantis Sponsi! quis affectus in eum, qui sponsas dilectissimas erutas è flammis illi reddat ad fælices æternosque amplexus! fertur Carolus Quintus cudi jussisse prægrandes nummos aureos pretio 20 Ducatorum, alterâ quidem facie suam, suæque sponsæ Isabellæ effigiem; alterâ verò Cæsarea insignia præferentes; bis mille cusi, & bis mille Marchioni de Vallaral à Cæsare donati. Cur quæso? quòd is eamdem Isabellam voluntate Joannis Lusitaniæ Regis Hispalim usque honoris causa esset comitatus. Ita memorat historia vitæ Cæsaris flandricè scripta. Quod si ita est, Quid fecisset Cæsar, si periculis ereptam idem Marchio suo periculo ad se adduxisset? Quid igitur Christus iis præstabit, qui non unam, sed plures longè nobiliores sponsas tali re, ac tempore, flammis liberatas ad jucundissimas cum eo nuptias cœlo intulerint? summa inquis, & summopere expetenda. At extra salutis securitatem, adeoque extra crebra illius potentiaque præsidia, quidquid reliquum est, parvi faciendum est. Certè Christo nullo in pretio est. *Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*; igitur pro hoc tanto caritatis in Christum officio, animæ salus exspectanda est.

757. *Ideo Christo cordi.*

Quid dicam de Immaculatæ Mariæ singulari studio in eosdem piorum manium liberatores, nam & hæc dicere habet, quod Christus, *quodcumque uni ex his meis minimis feciſtis, mihi feciſtis*, sive quia amoris est ex duobus unum conflare, hæc autem pios manes, ut ostendimus, intimè amat: sive quia de ipsius substantiâ, id est, SS. Eucharistia in qua Mariæ substantia manet, vitam animæ, & jus ad beatam resurrectionem hausere, & retinent; ac proinde velut membra quædam Mariæ, per eam vivunt, viventque æternùm: sive quia ejusdem filii sunt, eò cariores, quò eorum partus graviori constitit dolore, ac labore; mater autem magis in filiis, quàm ipsi, torquetur, & illorum amplius, quàm sua libertate lætatur. Atqui si Deiparam igne Purgatorio eriperes, quod præmium à Christo ejus filio, quod grati animi pignus ab ipsâ exspectares? Nam si statuam, si imaginem illius aut igne, aut iconomachorum manibus rapuisse, si vestium, & rerum illi sacrarum vitium avertisse, plurimis saluti fuit: quid erit eam in membris suis vivis incendio purgante eripuisse? Si *Misericordiæ mater est*, eoque nomine ab ipso conceptionis momento miseros manes piè aspexisse dicitur, an non erit

758. *Diva virgo patronos defunctorum tutatur.*

pia, &

pia, & misericors in eos, qui in eosdē manes pii fuerint, ac misericordes? *Si gratia plena, & gratiæ parens est*, an erit animo tam illiberali ut gratiam iis non referat? Si denique *turris est David, ex qua pendent mille clipei, & omnis armatura fortium*, an illos ad se confugientes non excipiet? non tutabitur, non defendet? Neget ille, & jure perneget misericordiam tuam Diva, qui cùm in defunctorum animas tibi charissimas suarum largus satisfactionum fuerit, sese à te derelictum senserit. Pereat tibi dignitas, & nomen tuum, *sive Civitatis refugii, sive Scalæ Jacob, sive Matris sanctæ Spei, sive Portæ cœli, Consolatricis afflictorum*, & aliud qualecumque, si eumdem ope, ac solatio, dum egebit, destituas. Imò quia fieri nequaquam potest, ut deseras, ac destituas, & necesse est, ut singulari cura ac sollicitudine protegas, ac juves, maneat fixum, ratumque, si quid pietatis pectore geris, id illi nominatim esse exhibendum.

759. *Item Angeli.* Nec dissimilis est hoc in genere Angelorum benevolentia. Ut enim taceam amantissimos servos eodem quo Dominus & Domina studio duci, cùm *omnes sint administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*, mortales suæ socios curæ adamant, atque adeò hoc officio in pios manes mirificè devinciuntur. Adde, quod videant eo pacto, citiùs impleri sedes perduellium spirituum, & pro eorum in Deum maledictis cœlum divinis novorum incolarum laudibus personare. Deinde charitas hæc S. Michaeli maximè jucunda accidit: hic enim patronus quoque est Ecclesiæ patientis, & solutis pœnis animas suscipit, in cœlum cum triumpho provehendas. Præterea Tutelares nostros etiam nobis singulariter eo pacto obstringimus; tum quia ipsi nos ad id officii excitavere, pro suo in defunctos amore; tum quia gaudent custodiæ suæ fructum ad eos quoque pertinere; tum quia norunt Christo, ac Christiparæ charissimum esse, cui se, vel suos placere, summa votorum est; tum denique quia clientibus utilissimum fore agnoscunt. De Tutelaribus animarum, quid attinet loqui? Sunt enim illis parentum instar, sunt Tutores, sunt præsides, sunt magistri, verbo, omnia. Quare quibus gaudiis perfunderentur parentes, tutores præsides, magistri, si quem è suis cernerent incendio lustrali educi; iis ac majoribus implentur animarum Tutelares, & illos, qui educunt, eâdem, quâ omnes illi benevolentiâ prosequuntur. Cùm itaque plurimum apud Christum, ac Mariam possint, quid non potest ab iis sperari, maximè cùm liberatores illi, Tutelarium sint adjutores; & secundarii quidam tutelares? Quare si Paulus Epistolis suis pluribus studiosè, nominatimque *Adiutores* suos commendet præter cæteros, non est dubitandum, quin iidem illi liberatores à Tutelaribus defunctorum etiam, atque etiam Numini commendentur. Equidem existimo illos clientibus suis cœlo receptis, cùm jam illis quodammodo vacet, præcipuam quamdam curam suscipere liberatorum, & esse illis novos Tutelares. Quapropter cùm singuli *castra Dei* sint, quid iis omnibus nos cingentibus erit timendum? Cùm singuli amicissimi, dulcissimi, sapientissimi, fidelissimi, gratiosissimi apud omnes Cælites sint, quid non ab omnibus expectandum?

760. *Et cæteri cœlites.* Et verò eadem charitate cæteri etiam Cælites devinciuntur animarum liberatori, propterea quòd eorum in cœlum ingressu novum & incredibile gaudium percipiunt. Nam si quidem de Beatis aliorum parentibus agitur, quis non videt longè ampliori gaudio complendos ex natorum properatâ ad beatitudinem provectione, quam vel Jacob audito Josephum vivere ac dominari; vel prodigi patrem hoc recepto? Et tamen ille, *Sufficit*, inquit, *mihi, si Joseph filius meus adhuc vivit*; beatus sum, nihil ultra desidero: hic autem gaudio delibutus ruit in filii amplexus, ab illius collo pendet, nec se capere videtur, dum recipit illum. Quo igitur affectu, quo grati animi sensu, beati illi parentes feruntur in eos, qui tanti gaudii fons, & origo extiterint? Jam si spectemus Divos, antehac patronos recentium beatorum, planè pluspquam paterno amore illos prosequuntur, ac proinde in eorum liberatores optimè affici exploratum est.

761. *Nominatim ejusdem sortis atque ordinis.* Nec tacenda est Cælitum ejusdem sortis, ac laureæ prærogativa quædam, gaudii accessione novi incolæ. Constat enim Virgines ingressu novæ Virginis, Religiosos ejusdem Ordinis religiosi, viduas viduæ, & hujusmodi singulariter inter se amare, ut dulcissimos fratres, aut sorores, nec quidquam in terris simile, aut secundum illi amicitiæ posse reperiri: Cùm ergo in reducem peregrè, perfunctumque variis periculis fratrem, tota domus lætitiâ exultans effunditur, cùm eadem deinceps socium, ac defensorem illius miro affectu prosequatur, profectò totus ordo Virginum cælestium tanquam effundetur gratulabundus in novellam Christi Sponsam, cœli regiam ingredientem, cognitoque ope cujuspiam flammis expiatricibus ereptam,

tam, celeriùs ad eas adventare, mille, ac mille votis fælicitatem ei precabuntur, & Deo volente ac auspice procurabunt.

762. *Illustrantur dicta.* Atque ita de cæteris philosophandum est. Enimverò si, quia coluntur Sancti, beneficiis cumulant suos cultores minus ut arbitror, gaudii, gloriæque ex cultu suo, ac veneratione percipere possunt, quàm ex charissimi sodalis ac fratris in cœlum adventu, quandoquidem ea societas illis gratissima atque honoratissima sit. Illum igitur, qui adventum illum accelerabit, quibus poterunt beneficiis impertient, nec cessabunt benefacere, donec impertierint, eâdem, quam alteri procuravit, beatitudine: quippe quam etiam suâ sponte illis vovent, gaudentque impertire. Denique si Divi ac Cælites plurimis maximisque beneficiis eos afficiunt, qui statuas illorum, atque imagines honorant: Si, quod memorat noster Poirræus in triplici Virginis coronâ tract. 3. cap. 7. Braccharæ in Lusitaniâ mancipium quoddam, Turca, cùm sæpè sæpiùs Domino de capessendâ Catholicâ religione benè illum monenti reluctatus fuisset, tandemque ab hero jam ægro jussus statuam Divæ Virginis floreo serto coronare, itáque ornatam inferre cubiculo, ubi jacebat herus, floresque ante illam spargere, libenter paruisset, ab ipsâmet Immaculatâ Deiparâ eidem se videndam præbente, fidem Christianam persuasus est: nonne fas est longè plus, & ab hac, & ab aliis Cælitibus sperare, si, non eorum statuas, sed Deum, & ipsos longè excellentiori honore gaudioque afficiamus complures in cœlum legando pios manes, qui clarissimis laudibus eos exornent?

763. *Etiam alii defuncti patrocinantur.* Postremò, cùm, ut diximus, omnes purgandæ animæ solatium accipiant ex unius è sodalibus solatio, ac liberatione, nec ulla ex iis non gratissimo animo sit, abesse non potest, quin omnes & in Purgatorio, & potissimùm in cœlo, vel unius liberatori sint patrocinaturæ. Siquidem pluris æstimant qualecumque illud, & tenue in speciem solatium, quàm vivæ divitias complures imò & amplissimas hujus orbis dignitates, facultatesque æstimarint. Quare cùm maximas gratias vivæ retulissent, eas sibi procuranti donantive, post obitum maximas illi liberatori habebunt, neque verò gratias illas steriles esse patientur.

764. *Epilogus dictorum.* Quæ cùm ita sint, considera, mi Lector, quot amicos, quot patronos, & quàm potentes ac Deo gratiosos tibi parias, dum, levandis piis manibus te addicis, & si quid te movet ratio utilitatis veræ, ac solidæ, totum te illi impende. Nam si mortales procerum gratiam & amicitiam tanti ducunt, ut illi adipiscendæ, & conservandæ, pericula adeant, labores maximos subeant, vitam & sanguinem profundant, & sæpe irrito conatu; nos tot in cælesti curiâ amicos, Rægi sæculorum immortali charissimos, tam facili operâ nobis comparare cunctabimur? Ad extremum liberè dico, omnium optimam rationem sibi in præsens, atque in futurum consulendi, esse piam defunctis pro facultate patrocinandi, & suas satisfactiones transfundendi, consuetudinem.

§ 4.

Exempla subsidii spiritualis in vindices Defunctorum collati.

765. *Defuncti pro patronis orant apud S. Birgittam.* CÆTERÙM omne hoc subsidii genus à piis manibus, ac Cælitibus in eorum mæcenates ac patronos conferendi exemplis pluribus & illustribus confirmare licet. Et prius quidem, quod attinet ad mutua eorum beneficia spiritualia, auditæ sunt apud D. Birgittam l. 4. c. 7. animæ purgandæ ita quondam Deo supplicantes: *O Domine JESV CHRISTE, Judex iuste, mitte charitatem tuam his, qui spiritualiter potestatem habent in mundo, tunc plus participare poterimus, quàm nunc, de eorum cantu, lectione, & oblatione. Supra verò spatium illud de quo clamor ille audiebatur, quasi domus erat, in qua multæ voces audiebantur dicentes, Merces sit illis à Deo, qui mittunt nobis auxilium in defectus nostros. In ipsa quoque domo videbatur quasi aurora procedere, subtus verò auroram apparuit nubes, quæ nihil habebat de luce auroræ, de qua processit vox maxima dicens; O Domine Deus, da de tua incomprehensibili bonitate unicuique centesimam remunerationem in mundo, his qui nos elevant cum bonis operibus in tuæ æternitatis lucem, & tuæ faciei visionem.* Sic illæ animæ. Nec dubium quin exauditæ sint ab eo, cujus nomen, *Dominus, qui amat animas:* qui etiam dixit: *Petite & accipietis.*

766. *Et apud Gertrudem.* Quid? quod & Christus apud S. Gertrudem hujusmodi pro patronis preces illis injungit lib. 4. insi. cap. 27. Cùm enim hæc corpus animumque suum illi animarum Amatori obtulisset ad quidlibet pro illis subeundum, jamque gravissimum lateterum dolorem persentiret: Tunc divinus Sponsus animis in hæc verba: *Hoc munus devotionis*, ait, *mihi ex tanto affectu à Sponsa meâ oblatum, exhibeo vobis in cumu-*

in cumulum beatitudinis sempiternæ, vosque ipsam propterea honore condigno honorare studete, precum ipsi xenia remittentes; Ita ipse. Et l. 5. cùm quædam anima Gertrudis ope ab igne lustrali liberata esset, etsi nondum cœlo invecta, summo studio gratias illi egit, sat ostendens sese alias grati animi partes propensè exequuturam. Neque verò legitur ulla patrono post liberationem videndam se præbuisse, quin post gratiarum actionem plenam benevolentia, mutuum auxilium illi polliceretur.

767. *Catalaunense prodigium.* Cæterùm hoc idem studium animarum patronis opitulandi rarâ & admirabili historiâ illustrari licet. Cerveræ in Catalaunia extat Cœnobium Ciftercienſis ordinis dictum S. Crucis, ubi quidam monachus sanctimoniâ floruit, cujus nomen Superis notum, mortales latet; at non hæc laudabilis ejus in pios manes pietas. Consueverat, quoties per sacros Canones, legesque licebat, Missam defunctorum facere; propterea *perennis animarum Purgatorii Capellanus* appellabatur: Celebris, & Patrum sermone ad hanc usque diem continuata traditio est, quondam cùm cœmeterium transiret, humo elatam dexteram benedictione eum impertîsse. Cùm vero iter iterum istac haberet, iterum eamdem manum solo extantem apparuisse ad benè illi precandum compositam. Accessisse verò illum, & manum traxisse, eamque cum brachio secutam, quod brachium hodieque carne ac pelle vestitum illic visitur. Ita testatur Henriquez in Menologio Cistercienſi.

768. *Patronos efficaciter juvant animæ.* Porrò bonas hujusmodi precationes mortalibus perutiles esse exploratum est. Et Diva quidem Catharina Bononiensis fassa est plurima se beneficia defunctorum ope, quam flagitare consueverat, cælitus accepisse; nec rarò accidisse, ut ea per illos obtineret, quæ per Cælites nequiverat obtinere. Et idem sensus, eademque industria fuit B. Annæ à S. Bartholomæo, S. Theresæ comitis, & administræ: Siquidem familiaribus commendare solita erat, ut si preces suas efficaces esse vellent, promitterent piis manibus aliquem sacrificiorum numerum, si quidem voti compotes essent, ad eorum levamen faciendorum; cujus quasi contractûs fælicem successum proximè inferius proferemus. Adde quod ipsa Immaculata Deipara Alphonsum Corteſium è Societate Jesu, familiariùs aliquando quiritantem, quòd illa molestis animi angoribus, scrupulisque ipsum confici pateretur, haud dubio oraculo commonuit, ut si liber ab illis esse vellet, animis è Purgatorio carcere redimendis, operæ plurimum impenderet, ita optatis fruiturum.

769. *Monent de morte instante.* Et verò Nolæ in Italiâ Anno salutis 1600. quemdam hominem in pios manes benevolum, ac pium, ipsi nocte mortem proximè antecedente è somno excitatum, instare obitum monuerunt, simulque, ut primo mane Sacramentis pœnitentiæ, & Eucharistiæ se muniret, adhortati sunt: Quod cùm ille in templo Soc. Jesu insueto doloris ac pietatis sensu præstitisset, paulò post derepentè ac fæliciter expiravit. Ita litteræ annuæ Soc. Jesu è Collegio Nolano Provinciæ Neapolitanæ illo anno in urbem datæ.

770. *Revocant à pravâ vita.* Ejusdem generis est, quod refert noster Joannes Rho exempl. l. 1. c. 14. de Christophoro de Lugo, ordinis Prædicatorum, in hæc verba. Ignem infrugiferum, sterilemque esse, etsi cùm de hoc nostrate sermo est, verissimum sit, ille tamen, qui animos excoquit ad purum, fundus est nobis oppidò fertilis. Nimirùm eum, qui operum semen illi credidit, numquam uberi messe fraudavit. Et de Christophoro quidem de Lugo, quem deinde virum egregiâ virtutum famâ suspexit America, tradunt Annales adeò corruptis in adolescentia fuisse moribus, ut in popinis ac lustris inter aleatores ac sicarios agens, etiam de publico latrocinio cogitaret. Illa tamen illi propria pietas fuit pro animis igneo illo ergastulo conclusis quotidie orare, & psalmos, in quibus olim Regius Vates sua crimina deflevit, quosque à pœnitentis animi argumento pœnitentiales vocamus, non sine lacrymis recitare. Ergo illis haud dubiè apud Deum agentibus, quibus solatium attulisset, repente mutatus animo, ac S. Dominici ordinem secutus, admirabiles in virtute fecit progressiones. Sic ille.

771. *Cantant officium defunctorum pro patrono.* Illustrius est, quod de quodam Britone, homine Laico, sed pio referunt. Is inter alia pietatis exercitia, consueverat quotiescumque per cœmeterium iter habebat, defunctorum istic quiescentium causâ, piam aliquam precem recitare. Cùm ad extrema redactus esset; concubia nocte misit, qui Curionem suum rogaret, ut SS. Viaticum ad se deferret. Ille autem operæ atque incommodo labori parcens, Vicarium suum id muneris exequi jussit: Qui cùm promptè paruisset, ægrumque sacra synaxi ad iter æternitatis muniviſſet, reversus ad templi fores, miratur apertas esse, cùm diligenter clausas in egressu obseraſſet. Cùm varias cogitationes super eo eventu versat, sensit se fortissimè eo loco attineri, sic ut nec promovere pedem, nec referre queat. Intereaque vocem audit è cœmeterio

cœmeterio in hanc sententiam, *Surgite pii manes, properemus in ædem sacram, animam amici nostri Deo commendaturi, qui numquam hac transibat, nisi Deum nobis propitiaret.* Tum verò exurgentium è tumulis strepitus audiri, faces parieti templi affixæ accendi, concini alternatim, ac religiosè, quod vocamus defunctorum officium; quo peracto vox insonuit, qua cuncti manes ad sepulchra redire jubebantur. Dictum factum, tumque extincti sunt cerei. Quo demum tempore Vicarius ille quasi datâ veniâ templum ingressus, sacram pyxidem suo reponit loco, Curionem adit, à quo dormitum missus: *Domine Pastor*, ait, *nunc tempus est surgendi strato: Parochianus vester obiit.* Porrò viso isto ita permotus animo est Vicarius, ut abjectis mundi rebus Religioso S. Martini Cœnobio juxta Turonem sese incluserit. Ita narrant Chronica Cisterciensium.

772. *A nece liberant.* Præclarum sanè est illud specimen subsidii defunctorum, sed hoc recentius, & illustrius circa annum 1620. Juvenis quidam Italus plurimis ab ineunte ætate flagitiis implicatus, tamen in purgandas animas erat misericors, quippe pro quibus fieri ad aram sæpe curabat. Quondam auræ gratia suburbanum petiit. Vesper erat, & insidiæ ab inimicis in itinere paratæ. Cùm ergo eques iret, eaque viâ, ubi è quercu membra latronis supplicio publico affecti divulsa pendebant, derepente visa sunt illa conjungi, atque in pedes latro subitò stetit, qui quidem cùm attonitum juvenem exscendere jussisset, & equo conscenso ad sexaginta passus, ubi insidiæ structæ erant, pervenisset, sclopis explosis humi dejicitur, fugiunt sicarii, exurgit latro in equum, & ad juvenem reversus, Ea sors te manebat, inquit, nisi ego Dei jussu subiissem. Datum id tuæ in vita functos pietati; in qua permane, & pristinos mores emenda. Emendavit, & Religiosam vitam iniit. Porrò cadaver illud peractâ tragœdiâ rursum dissectum, ac suspensum appartit, quare credibile est vel Angelum, vel animam quampiam, ac fortè latronis, quòd de sacrificiis participasset, eam scenam exhibuisse. Jan. Erytræus. ex. virt. & vit. ex. 3.

773. *Maximè juvant cœlo receptæ.* Denique pios manes, nominatim cùm cœlo invecti sunt, suis patronis auxiliari, constat ex vita S. Catharinæ Senensis. Hæc enim cùm sui parentis animam precibus, & laterum dolore, quem in reliquum vitæ tempus ejus causâ suscepit, purgante rogo exemisset, ille tam piæ filiæ memor, non modo pro eâ, quamdiu in vivis perstitit, Deum est obnixissimè precatus, sed etiam frequenter amicissimeque illi se exhibuit; in pietatis officiis consilio adfuit, dæmonis fraudes patefecit, cælestis vitæ gaudia, arcanaque plurima aperuit. Et simile est quod referunt de sorore S. Thomæ Aquinatis. Siquidem cùm hæc sancti fratris precibus lustrali ergastulo educta fuisset, de imminente morte illum admonuit, ac futuram beatitudinem prænuntiavit. Sanctum quoque Hugonem, apud Salvios Abbatem Cistercienſis Ordinis, ferunt cùm non modo Ecclesiam militantem schismate laceratam, sed & patientem majorem in modum adjuvisset, hujus precibus obtinuisse prophetiæ donum, & insuper miraculis vivum ac mortuum floruisse.

§. 5.

Pietas in pios manes complectitur omnes notas prædestinationis.

774. *Explicatur.* QUæ cùm ita sint, perspectum est insignem prædestinationis notam esse pietatem in pios manes. Nam quæ hoc articulo disputavimus, omnia, eò scilicet tendunt, ut hoc confirment, tutissimo loco salutem suam constitui ab illis, qui in eos benevoli ac liberales sint. Unde perspicuè conficitur benevolentiam illam esse notam non vulgarem consequendæ aliquando beatitudinis. Sed parum dixi. Aio igitur, eadem pietate contineri, vel invehi pleraſque omnes illius notas à Christo, & SS. Patribus prolatas. Etenim omnes eæ septem primis quas vocant beatitudinibus, aut exprimuntur, aut intelliguntur.

775. *Prima nota.* Ac prima quidem nota censetur, Humilitas Christiana; significaturque primâ beatitudine; *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Nam Augustino, Hieronymo, Gregorio aliisque authoribus, pauperes illi non alii sunt, quàm humiles, quippe egestatis suæ probè ac libenter conscii. Atqui studium pios manes levandi animos nostros submittere natum est: nec enim stare potest sine pœnarum purgantium contemplatione frequenti, neque verò hæc sine culparum, quibus pœnæ tantæ redduntur, cogitatione, potest constare, utraque autem insolentiam animi comprimit, & parit modestiam.

776. *Secunda.* Altera nota in salutis suæ singulari studio versatur, & hoc alterâ beatitudine exprimitur, ait enim Christus: *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Quis verò dubitet, quin Amator defunctorum ea fame ac siti prematur, sive suæ salutis æternæ curâ teneatur

neatur, qui urgetur ſtudio alienæ, ac temporariæ? Si charitas, ignis eſt, nonne ſitim accendet Deo placendi? Quocirca haud dubiè hic talis *ſaturabitur*. Abundè, inquam, illi ſuppetet, quidquid confert ad juſtitiam, ſalutemque adipiſcendam, ac deinde dicere poterit cum Davide Pſ. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Quoniam & illi idem, quod Apoſtolis, dictũ eſt. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater Regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*, Lucæ 22. Et profectò rectè ita res diſpoſitæ ſunt, ac conſtitutæ. Cùm enim ipſe Amator, ac patronus piorum manium ita his providerit, ut ederent, ac biberent de ambroſia illa, ac nectare cæleſti, an fas eſſet eum ab ea menſa excludi? Beatus igitur, *Quia manducabit panem in regno Dei*, Lucæ. 14.

777. *Tertia.* Jam tertia nota in forti adverſæ fortunæ patientiâ ſita eſt, & hæc ad tertiam beatitudinem ſpectat, quâ dicitur: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*, nimirùm *viventium*, de qua Regius Pſaltes non uno in loco. mites enim illi ſunt homines manſueti, qui injurias vel hominum, vel temporum non graviter, ſed leviter ferunt, utique ex Chriſti diſciplinâ ſic docentis, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Quis autem non videt patientiam malorum hujus vitæ facilè illi perſuaderi, cui alterius ingentes cruciatus frequenter obverſantur? Quis neſcit miſericordiâ molliri pectus, aptariſque mititati? Ergo hac quoque ratione Amator piorum manium *terram* illam *viventium*, *hæreditate*, ut Græca ſignificant, *poſſidebit*, jure, inquam, ſuo, velut paternam hæreditatem exſpectabit, atque adeò ſecurè ac facilè obtinebit: quia hæc potiſſimè caritas, quæ benignitatem parere nata eſt, Numinis efficit filios.

778. *Quarta.* Adhæc quarta prædeſtinationis nota benevolentia in proximum cenſetur, & hæc quarta beatitudine continetur; ſic enim illa. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Cui autem hæc beatitudo magis competat, quàm Amatori defunctorum, cùm eorum causâ miſeriæ propè immenſæ caput ſuum ſæpiùs objectet, Deo ſpoliari, & cremari paratus, modò illis benè ſit, ac beatè? Si, *qui miſeretur, & commodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio*, ſic ut Quæſtori Chriſto in tremendo illo examine fœliciter reſpondeat: *ſi paratum cor eius ſperare in domino*, adeò ut *non commoveatur, donec deſpiciat inimicos ſuos*, Dæmones: certè hic ipſe Amator ita cauſam ſuam, tunc temporis perorabit, ut judicis in improbos ſententiâ, & quodam fulmine non commoveatur: Imò neque nunc illius metu perturbetur, cujus miſericordiam ſingularem ſingulari miſericordiâ promeretur. Itaque *dicite iuſto* (clamat Deus per Iſaïam) *dicite*, inquam, Amatori noſtro, qui lytro ſatisfactionum ſuarum, juſtitiæ divinæ pro aliis ſatisfacit, *Quoniam benè, quoniam fructum adinventionum ſuarum comedet.* Nulla enim inventio nulla prorſus ars lucrandi cœlum, ſive miſericordiam conſequendi, certior arte ſublevandi defunctos.

779. *Quinta.* Præterea inſignis prædeſtinationis, ac beatitudinis nota eſt, ſincerus atque intimus dolor de peccatis conceptus, & hic quintâ beatitudine expreſſus eſt: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*; qui lugent, inquam, *ſua vel aliena peccata*, ita Origenes, Baſilius, Cyrillus, Hieronymus, & alii, *ipſi* autem *conſolabuntur*, ſive ut Græca, *conſolationem accipient.* Atqui noſter maximè Amator animarum alienas noxas luget cùm plangit, ac levare ſtudet earum pœnas; & quod huic conſectarium eſt, execratur ac deflet ſuas, quippe eorumdem feraces malorum. Igitur divinis ſolatiis hac in vitâ, & cœleſtibus gaudiis in alterâ perfundetur. Ad eum enim pertinet illa Chriſti promiſſio Lucæ 16. *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos verò contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Etenim digniſſimus eſt, cujus triſtitia in gaudium, idque liquidiſſimum ac cæleſte vertatur, qui aliorum ingentem triſtitiam vertit in lætitiam pariter ingentem.

780. *Sexta.* Denique frequens, ac pia præſentis Numinis contemplatio, pro ſextâ ac ſingulari prædeſtinationis nota habetur, quam ſexta quoque beatitudo ſignificat. *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.* Enimverò per munditiem illam cordis, ſeu animi, *ſimplicitatem* SS. Patres, atque interpretes intelligunt: ac nominatim Maldonatus, & aptè. Nam ut rectè Thomas à Kempis, *ſimplicitas intendit Deum*, ideò pura, mundaque; quæ autem mens ad creaturas fertur, immunda ſit neceſſe eſt, uti & illæ immundæ: quia illis, amando inhæret, atque adeò earum ſordes contrahit. Porrò ſi mens intendat Deum, ad eum aſpicit, illum reſpicit, illum præ oculis ſemper habet; digna igitur eſt, quæ clarè olim eumdem intueatur. Quamobrem dignus eâ viſione Amator defunctorum, qui vivus Dei amore ſuffragia cumulat, illisque addicit, Deum ut citiùs videant, atque ipſius nomine collaudent, ac proinde continenter eum aſpicit; propterea que

beatissimo ac clarissimo illius intuitu perfruetur.

781. *Septima.* Ad extremum singularis Immaculatæ Mariæ cultus inter notas beatitudinis recensetur: potestque ad septimam referri: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Sive autem pacificorum nomine eos accipias, qui pacem ipsi tenent cum aliis, sive inter eos componunt, qui Mariam colit, colit & pacem, tum quia Amor similes facit; pacis verò studiosissima est Maria, quippe quam intulit mundo, & omni qua potest, ope servat: tum quia Apis illa divina (sic enim Divam Virginem cum SS.PP. vocare licet) nescio quo cælesti melle suos perfundit cultores. Porrò idem defunctorum amor, parens, vel partus est Mariani amoris. Primùm quòd sit amor filiorum Mariæ: deinde quòd sæpè ad illam misericordiæ matrem confugiat opis animis obtinendæ causâ, unde necessitudo, ac familiaritas: præterea quòd ex amore Christi manet: ac proinde ad Mariam se porrigat, cùm posterior hic amor sit gemellus priori. Denique quis ambigat, quin Patronus hic noster eam amet, à qua tot nominibus ipsum amari diximus? Quare *filius Dei vocabitur*, quia filius Virginis, ac Matris Dei, atque ut utriusque filius, regno paterno potietur.

782. *Hinc fiducia.* Macte ergo ô quicumque præcipuo quodam amore ac miseratione defunctos prosequimini: *In hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Scripta, inquam, in libro vitæ digito Dei, & sanguine Jesu Christi. Macte iterùm viri *Misericordiæ, quorum iustitiæ finem non accipient; filii olei, quia unxit vos Deus, qui & signavit vos, & dedit pignus Spiritus in cordibus vestris.* Confidite, unguentum istud, quo vos *Pater misericordiarum*, imò ipsa misericordia unxit, ad flammam divinæ charitatis concipiendam, fovendamque, peridoneum est; & sigilli, quo animas vestras obsignavit, tanta vis, ut eradi, aut deleri numquam possit; & pignus Spiritus repositum in cordibus vestris, tandem aliquando possessio ipsa SS. Trinitatis certò excipiet. Adhuc dubitatis? frustra: cùm enim prædestinationis nota vel unica insignem fiduciam in vobis parere possit, ac debeat, quam vobis concipere fas est ubi affluunt omnes.

ARTICULUS III.

Pietas in defunctos etiam ferax est subsidii temporalis.

783. *Explicatur.* SI quis contractus utrique contrahentium est utilis, ille est, qui cum animabus Purgatorii initur. Nec enim solùm animæ salutem, plurimaque beneficia spiritualia parit, sed etiam, nec rarò temporalia, quæ scilicet ad salutem conducunt, vel certè illi non obsunt. Siquis igitur mercando quæstum non vulgarem facere, siquis mechanicam fructuosè exercere; siquis, quod contendit in judicio, evincere; siquis fæliciter navigare, aut ambulare; siquis consequi honores, dignitates, beneficia ecclesiastica, sæcularia, siquis pericula prævertere, aut evadere desiderat; en artem, en contractum cum piis manibus, ad ista omnia perutilem. Exerce illum, & vehementer locupletari, singulariter ornari, & honorari, sanus vivere, uxorem, filium, amicum ægritudine seu mentis, seu corporis eximere non ægrè poteris. Est autem, ut antea innuimus, *contractus innominatus*, qui exprimi solet hisce formulis quatuor. *Do ut des, facio ut facias, facio ut des, do ut facias.* Porrò citra omne vitium, quadruplex hoc pactum contrahi potest cum illis; si nimirùm eorum in gratiam des pauperi stipem, ut tibi dent preces: si quid facias contra indolem, ac genium, ut tibi procurent valetudinem: si cures fieri Missam, ut tibi, vel alteri largiantur fælicem negotii successum; si denique addicas illis preces, ut vel per se, vel per Angelos, ac Cælites, patronos suos, ad dignitatem, aut gradum saluti tuæ congruum te promoveant. Atque eorum quidem fides hactenus ex subsidiis spiritualibus satis colligitur; nunc supereſt, ut per temporalia demonstretur: maximè cùm mortales ad hæc præsertim aspirent.

784. *Baldricus Episcopus in subsidium militū cæsorum cœnobium extruit.* Ut ergo præteream decantatum illud toties de Eusebio Sardiniæ Duce, cui animæ ab eo liberatæ militarint: Ut etiam hoc omittam de Cive Vallisoletano, vel alio quopiam, qui recitans de suo more Orationem Dominicam cum Salutatione Angelicâ inter transeundum cœmeterium, à piorum manium cohorte, contra inimicos gladiis eum petentes, defensus est: Antiquum quidem est, quod subjicio, sed opinor plerisque novum, & multis non vulgare videbitur. Baldricus Leodiensium Præsul anno salutis 1013. Ecclesiæ

suæ

suæ præsidio arcem Hugardiæ molitus fuerat. Accendit ea res Lambertum Lovanii Comitem, & nequidquam deprecante Baldrico etiam ad arma: Trecentos Leodiensium cecidisse fama est præter vulneratos, captosque. Altum vulnus ea clades optimo Præsuli inflixit. Quamquam enim susceptum piè bellum pro injuria à grege sibi credito propulsandâ proponere sibi posse videretur, animo tamen obversabatur cruenta strages, & qui servandas susceperat animas, in exitium ne propulisset, verebatur. Suavis ei necessitudo cum Joanne quodam Episcopo Italo intercesserat, quem Episcopatu pulsum, Notgero commendaverat Otto III. Imperator. hic ubi sensit non tam jacturæ dolore, vel cladis pudore tangi Præsulem, quàm tot animarum sibi creditarum percelli periculo, æquum illum esse dolorem, Episcopoque dignum judicavit. Quare ut templum Deo, monasteriumque poneretur, author fuit, in quo venturis omnibus ætatibus incumberent Monachi in levandas tormentis miserabiles illas animas. Consilium accepit Episcopus, statimque occurrit perficiendum, quod inchoaverat Heraclius Episcopus, S. Laurentii Cœnobium. Dissuasit Joannes, ratus fortasse non defuturum, qui alienis fundamentis superstrueret, ut revera evenit. Evicit ergo, ut novum moliretur Baldricus. Caput insulæ, quam nuper fecerat Notgerus ædificando delectum est. Hic S. Jacobo monasterium inchoavit Episcopus VII. Kalendas Maias anni millesimi decimi quarti. Et quia magnæ molis templum meditabatur, sua vota longiùs differri non tulit. Primum omnium S. Andreæ cryptam extruxit, dicavitque VIII. idus Septembris, collocatis in eâ sacris ejusdem Apostoli reliquiis, quas S. Henricus Imperator donaverat, tum attribuit prædia, & in ædificationem magnis sumptibus deinde incubuit. En semen. Vide nunc fructum centuplum.

785. *Ejus liberalitatis fructus.* Sanctam enim ejus munificentiam alia longè majore mox Deus compensavit. Arnoldus Lossensis Comes, cùm mortem sentiret imminentem, illum advocavit, & postquam ejus opera sese ad deserendam Christianè vitam comparasset, solemni ritu omnem suam ditionem B. Martyri Lamberto donavit. Eodem tempore Lambertus Lovanii Comes illatarum in Ecclesiam injuriarum agitatus conscientiâ, legationem ad Antistitem adornavit, petiit pacem, & in Ecclesiæ gratiam recipi soluto anathematis vinculo precatus est. Difficilem se minimè præbuit Baldricus pro innatâ clementiâ, paceque concessâ Comitem sacris Ecclesiæ restituit, & opimum prædium, nomine Horrentium ab illo donatum novello S. Jacobi cœnobio attribuit. Tradunt præterea Transmosanus, & Stabulanus Reginardum Francimontiæ Marchionem cùm profecturus in Syriam liberis careret, scripsisse hæredem S. Lambertum. Atque ita profanis etiam incrementis Ecclesiam suam vidit augeri Baldricus, quod in pios manes pius fuisset. P. Fisen in floribus Eccles. Leodiensis.

Recentius, ac luculentius est, quod de se refert Illustrissimus Christophorus de Roas, & Sandoval, Archiepiscopus Hispalensis. Vacabat studiis in Academiâ Lovaniensi, & solitus erat pro suâ non vulgari pietate, animarum corpore solutarum usui stipendium in sacrificia largiri. Accidit porrò, quod ex Hispaniâ litteræ tardiùs venirent, ut nummis deficientibus, consuetam illam stipem piis manibus impertiri non posset. Quæ res cùm illum malè haberet, ad proximum templum se contulit, ut eam stipem prece pro defunctis fusa compensaret. 786. *Christophori Archiepisc. pietas in defunctos.*

Dum orat, ecce tibi juxta illum apparet nobilis vir ocreatus. Is finitis precibus Christophorum adortus, nomine patris ejus Marchionis à Denia, ac consanguineorum salutat, eosque valere renuntiat, quasi recens ex Hispaniâ adesset. Insuper in diversorium suum invitat, sublatisque mensis, non paucos nummos aureos ei offert, imò jubet accipere. Enimverò se facilè ex Marchione Patre in Hispaniâ recepturum, atque ita alter ab altero discedit. Vis nosse quis ille vir nobilis, adeò benevolus? ne ipse quidem Christophorus vel noverat, vel post reperit, vel intellexit nummos illos in Hispaniâ repetitos à domesticis fuisse. Quempiam piorum manium, vel genium ab iis missum, vel saltem eorum gratiâ veniisse, ipse Cristophorus ex eo sibi persuasit quòd nummi illi præcisè usque eò sibi suffecerint dum ex Hispania novos reciperet, quodque sacro quodam horrore perfusus fuerit, dum eum primùm sibi astantem animadvertit. Porrò historiam illam authoritate Clementis VIII. in lucem edi ipse curavit. Nimirùm ut tu, mi Lector, tales tabellarios eadem arte tibi procures. 787. *Ejus merces.*

Circa annum Domini 1581. floruit in ordine PP. Dominicanorum, Pater Alexander Capochius vir raræ virtutis. Hujus summum studium erat pios manes, sacrificio præsertim levandi, nec studii merces infrequens. Quondam cùm sub vesperam in sylva errabundus, nesciret quò se verteret; fausto consilio officium defuncto- 788. *Pietatis P. Capochii merces.*

rum cum fodale cœpit in gratiam piorum manium recitare. Cùm ad ea Jobi verba ventum esset, *Responde mihi, quantas habeo iniquitates*, ecce illis apparet eques in speciem, sed reipsa genius, vel anima, herbam quamdam edendam porrigens (nam graviter famebant) cujus porro esu mirificè se corroboratos senserunt. Ille verò ex oculis evanuit, & quod admirabilissimum inter cetera, Alexander cum socio momento ipso ad iter quod quærebant, translati, paulo post ad cœnobium, quò divertere animus erat, pervenêre. Bzovius.

789. *Ope defunctiorum merces venduntur.* Suaserat B. Anna à S. Bartholomæo, cuidam mercatori (jam foro cedere cogitanti, quòd aliquas merces divendere non potuisset) ut aliquot Missas in solatium defunctorum Deo sponderet, hac lege, si intra spatium aliquod, quod definiebat, merces illæ, quas nemo appetebat, essent divenditæ. Mirum dictu! intra paucas hebdomadas veniere omnes, nec ex iis quidquam superfuit. Vide ejus vitam.

790. *Ignis extinguitur.* In Paraquariâ, Indiæ regione, non longè à Brasilia sita, quædam primitivæ Ecclesiæ facies splendescit. Illic nostris excolentibus omne genus virtutis floret, atque inter cætera pietas in defunctos. Unus ex illius agri Dominici cultoribus gravissimus R. P. Christophorus de Mendoza, postea sanguine fidem professus, præterquam quòd per se ipse Missas, preces, voluntarias pœnas, denique omnia bona opera defunctis transcripserat; insuper orationem, quam vocant de S. Sudario, à se in Lusitanicum sermonem translatam pueros in scholâ edoceri curavit, pariterque post recitatum Marianum sertum recitari, ut animas liberarent. Et vide istius pietatis præmium. Nam in Reductione del Caro, cùm flamma domunculam istius oppidi corripuisset, nec quidquam abesset, quin cæteras omnes (quippe stramineas, & ventis furentibus objectas) atque adeò totum oppidum incenderet, concepto novendialium Missarum voto in gratiam defunctorum, placuit divino Numini, ut venti statim ponerent, ignis extingueretur, & omne periculum incendii averteretur, Vide litteras annuas è Paraquariâ anno à partu Virginis 1635.

791. *Filiolus sanatur.* Sed recentiora proferamus. Anno 1649. 6. Septembris ita scripsit ad R. P. Jacobum Monfordum, qui de misericordiâ fidelibus defunctis exhibendâ tractatum insignem edidit, Guillielmus Friessem, Typographus Colonienſis.

REverende in Christo Pater.

Scribo ad Reverentiam vestram, quæ circa prodigiosam filioli mei, & uxoris curationem contigere. Consuevi Dominicis ac festis nonnihil temporis insumere piis libris legendis, & paulo ante eorum invaletudinem, eum legeram, quem Reverentia vestra mihi tradidit typis subdendum. Tum verò ægrotare cæpit filiolus meus quadriennis, & brevi ad extrema deductus est, malo utique remedia, quæcumque suggerere potuimus, vincente. Affirmabant cæteri qui aderant de illius vita actum esse, neque ullus, nisi de illo humando, sermo erat: Ego contra sensi me spe quadam ejus valetudinis, cælitus corroborari, & memor injectæ mihi paulò priùs cogitationis de voto nuncupando in gratiam fidelium defunctorum, summo mane templum adivi, summo animi nisu illud concepturus. Propositâ itaque animo Dei istic me intuentis præsentiâ ita vovi.

792. *Voto concepto in gratiam defunctorum.* Domine Deus, si filiolo meo valetudo conducat ad salutem, & si tibi placitum fuerit in eam, qua prius fruebatur, illum restituere, tibi promitto, atque piis manibus, me exemplaria centum libri, cujus titulus, *Tractatus de misericordiâ fidelibus defunctis exhibendâ* variis Religiosis, atque Ecclesiasticis viris largiturum, ut ejus lectione complures ad opem illis ferendam excitentur. Scio, mi Deus, misericordiam tibi perquàm acceptam esse, tibi, inquam, qui totus charitas es, cujus charitatis partus nobilissimus, misericordia. Ergo admitte, mi Domine, quod offero, & si ad salutem conducat, redde filio meo sanitatem.

793. *Modus curationis.* Eo voto, aliisque precibus meis peractis cùm domum repeto, vires resumere filiolus, atque mutari in horas cœpit: adeò ut meridie aliquid esculenti admitteret, cùm tamen quatuor & decem dierum spatio vix quidquam gustasset. Postero die planè convalescere, edere, ambulare, denique in integram sanitatem restitui, ut meritò ambigam, an ratio illa curationis à miraculo absit. Tum verò voti reus illius vinculo me liberare; adire Collegium Societatis, exemplaria promissa tribuere, his decem, illis triginta, rogans, ut suis, exterisque singula distribuerent ad ciendam in pluribus expetitam in pios manes pietatem.

794. *Sanatur & uxor.* Tres hebdomades fluxerant, cùm uxor cubiculum ingressa derepente toto corpore tremorem cœpit persentiscere, ac debilitari, adeò ut in deliquium lapsa sit, quæ res gravioris morbi augurio erat: Et verò octo, aut decem abhinc diebus in illum incidit, atque intra quatuordecim dies eò redacta est, ut cùm nihil gustare posset, aut eloqui, aliaque mortis indicia adessent,

nostri

nostri omnes de ejus vita desperarent. Ego igitur iterum ad votum confugio, templum adeo, eodem loco votum nuncupo, non jam centum exemplaria si valetudo illi reddatur, sed bis centum largiendi, tum in grati animi pignus pro filioli valetudine, tum quòd filiolo uxor esset charior.

795. *Modus curationis.* Tum domum redux, ac fiduciâ plenus, audio adstantes mihi gratulari de meliori ægrotæ habitu, & revera sensim sui compos, & linguæ fiebat, jamque sumere aliquid valebat, & luculenta spes valetudinis affulgebat, postero die omnino melius se habere cœpit, ac post paulò planè convaluit. Non ægrè fidem mihi habeat R. V. obligationi voti haud me defuisse: Ergo ad Collegium Societatis repedo, ad Dominicanos me confero, libros dispertio. Porrò testis mihi est Deus hæc ita se habere, quemadmodum, & illi quibus tum rem narravi. ita ipse.

796. *Latrocinium vitatur.* Anno 1653. honestissima fœmina, Anna Beuvet Insulensis, vidua D. Bernardi Grenu mercatoris, cùm de more suo oblatis promissisque Deo in gratiam piorum manium sacrificiis ad iter militibus infestum se muniisset, & jam Insulis, ubi degit, Gandavum incolumis, & citra periculum omne petiisset, demum, in reditu, non procul Gandavo cum curru publico, quo vehebatur, in militesne, an prædones incidit. Illi currum adoriuntur, spoliantque simul cum vectoribus. Cùm ad eam, ejusque cognatam venitur, tremula offert militi nummum non grandem; non admittitur. Et jam nihil propius erat, quàm ut cum cæteris nudaretur, cùm mirum dictu! indemnis, & illæsa relinquitur, & iter peragere finitur. Aliàs eodem anno dum Cominis (urbs est Flandriæ) in curru egreditur, iterum incidit in milites, & nummulo oblato libera relinquitur. At illi dum currum illum dimittunt, vident alium prætergredi. Cùm nonnihil progressus esset, sequuntur, assequuntur, invadunt, nec prius quiescunt, quàm omnes vectores, etiam viros, pecuniis, vestibus saltem extimis spoliarint. Aliàs numquam illi matronæ quidquam sinistri in itinere, quod frequens fecit, contigit. Imò cùm urbs Dunkerkana decies, & quinies centenas libras flandricas illi deberet, ipsaque obsidionis periculo commota, tot sacrificia piis manibus promisisset, quot libras inde reciperet, omnem illam summam paulo antequam nuper à Gallis obsideretur, Anglis tradenda, à Magistratu Dunkerkano, nescio quo prodigio, recepit. Cujus deinde pecuniæ beneficio missa sunt in singulas Societatis Jesu Provincias ubivis terrarum in Indiis, & ultra sitas, quinquagena folia defunctorum imaginibus, & epistolis petitoriis impressa.

797. *Puer subcurrus rotâ illæsus.* Anno 1656. Novesii, urbs est Germaniæ, mulier quædam prolem periculosissimè laborantem dum luget, suadente uno de Societate Jesu tria sacrificia, si salutem recipiat, in defunctorum solatium spopondit, & illicò voti rea facta est. Ibidem duo è nostris curru ad iter inscenso precibus peregrinantium persolutis, insuper psalmos Miserere, ac De profundis ad opem purgandarum animarum recitavere. nec frustra. Nam auriga curru nonnihil digresso, equoque sibi relicto, infantulum fortè subter lapsum rotâ pressit. Quod mulier eminus conspicata, vicinos clamore convocat, Patres cum equo, dum puer inspiciatur, attinentur: & mirum dictu! nullum in corpusculo rotæ supergressæ vestigium, aut vulneris nota apparet. At piorum manium beneficium nostri liquidò agnovere.

798. *Alius à phtysi liberatus.* Eodem quoque anno Joannes Wilielmus Zugger Societatis Jesu discipulus, lentâ phtysi adeò exhaustus erat, ut medicus ne potiunculæ quidem digerendæ sat virium superesse judicaret. Quocirca condiscipuli ejus desiderio, ac miseratione vovere ad opem defunctorum Deo rosarium singuli, & aliquot sacrificia universi, si revalesceret. Nec spes fefellit. Posterâ enim luce vita in frigidos pæne artus redire cœpit, & ille paucis post diebus incolumis suos revisit. Atque hæc desumpta ex Provinciæ Rheni inferioris litteris annuis ejusdem anni.

798. *Beneficium D. Virginis in gratiam defunctorum.* Est qui jam dudum abdicavit, quæcumque à se manare possent ad lytrum defunctorum utilia, ita tamen ut eorum distributio in Mariæ esset potestate. Is cùm quidpiam molitus esset non exigui, ut apparebat, ponderis ad eorum solamen, ejusque felicem successum piissimæ illi piorum manium Matri, ipsisque commendasset miratus est, indoluitque vehementer opûs illud ex parte repudiatum, ac tenebris damnatum esse. Cùm ergo ædem sacram adiisset de repulsa piè apud pietatis Matrem miraculis istic celebrem questurus, ecce tibi in ipso templi ingressu intus in animo commonefit, ut aures arrigat; auditque musicè illam cani, appellarique *Matrem misericordiæ*; atque exinde argumentum amplius sumit piæ apud illam querimoniæ, cui cum filii affectu diutiùs insistit. Non paucis post mensibus nuncios audit de altera operis parte pariter repudiata, & primo quoque tempore mœstus ad idem templum regreditur tristissimum casum optimæ Divæ

mæ Divæ narraturus. Et ecce rursum in primo templi ingressu non leviter intus commonetur, ut cantum audiat. Canebatur autem illud hymni paschalis, *Resurrexit, sicut dixit, alleluia.* Tumque quid hac denunciatione, cantuque portenderetur, parum intelligens, sed tamen nescio quam spei autoram aspicere visus, pergit ad sacellum piissimæ Virginis, animumque illi variis affectibus tanquam conscissum expandit. Exinde nova fiducia erectus, at subinde metu tentatus, tamen faustum negotii successum, nequidquam occursantibus difficultatibus exspectavit. Ita Diva nobiscum ludit, at serium ac salutarem ludum. Etenim eâ, piisque manibus non solito modo faventibus, è tenebris, ac quadam morte exsurrexit opus, & patrocinium Magnæ Mariæ, mutuumque piorum manium in patronos suos favorem posteritati testabitur.

799. *Varia auxilia Insulis.* Hæc quoque recentia sunt grati animi piorum manium, & contractus, de quo egimus, non negligenda argumenta. Odoardus Ingiliardus Mercator Insulensis, vir optimus, & honestissimus mihi asseruit se ista in defunctos charitate, fælicissimos sæpe in commerciis successus habuisse, nec ullius umquam in mari navis jacturam fecisse. Quidam ex hac Societatis Jesu provincia, qui se nominari non vult, multis nominibus obstrictum se piis manibus fatetur ob vitata in itineribus cõplura pericula, idque insuetis, & improvisis modis, & eadẽ est plurimorum confessio. quo fit, ut eadem pietas Insulis frequentissima sit, & faustorum eventuum feracissima.

800. *Pietas D. Natalis Bridoul.* Dominus Natalis Bridoul honestissimus civis Insulensis, ac nobilis Cœnobii Marquetensis Quæstor, in pios manes semper optimè animatus fuit. Horum gratiâ submotis mensis Psalmum De profundis ab uno è liberis pronunciari curabat, ad imitationem magni illius Angliæ Cancellarii, ac Martyris Thomæ Mori, de quo post sumus narraturi: Cùm milites nostros seu fælice, seu infælice prœlio in acie cecidisse audiret, sacrificia illis non pauca vel per se, vel per alios procurabat. Iconem suis sumptibus in lucem edidit, variisque distribuit, qua icone anima flammis expiatricibus media commiserationem spectantibus cieret. Ipsum diem commemorationis defunctorum totum cum uxore, ac familia precibus eorum causâ fundendis vacabat, & pauperes velut subsidiarios, aut ad coronam Virgineam, aut ad Psalmos à pœnitentia dictos perlegendos stipendio collato sibi adjungebat. Mitto alia, & gratiam ab animabus ejus ope adjutis relatam commemoro.

Noverat quidam villicus illi perinjustè, graviterque infensus D. Natalem negotiorum causâ certâ die Marquetam petiturum. Itaque ipsa die illum in viâ ab octavâ matutinâ ad vesperum usque cum bombardâ glandibus fœta præstolatus est, ut perimeret prætereuntem. sed instinctu divino monitus, aliâ viâ ivit ac redivit piorum patronus ille manium. Quare villicus in rabiem actus in villam quamdam vicinam illicò se dat, equos abripit, cum iis fugit, in itinere capitur, Gandavum ductus suspendio addicitur: Jam jam deturbandus erat, cùm P. Minoritam infra sibi adstantem sursum vocat, consilium illud suum glandis in D. Bridoul, cùm præteriisset, explodendæ fatetur, jubetque ad gratias Numini reddendas illi renunciari. Aliàs idem Mæcenas à duobus fratribus pessimè in eum affectis, in angustiis chlamyde apprehensus jam alterius gladio, alterius securi percutiendus erat: cùm canonici domo fortè egredientis conspectu illa sicariorum scena repentè disparuit: ac D. Bridoul velut è faucibus mortis ereptus priusquam domum suam, quæ proximè aberat, subiret, ad gratias sospitatori Deo medullitus rependendas pro piorum manium, ut piè credidit, favore, in templum, unde venerat, se retulit. 801. *Ejus merces, mors iterum vitata.*

Similia profert R. P. Roas de Purgatorio cap. 21. memorat enim eximium quemdam virum, & fide dignissimum asseverasse, se recitatâ quapiam in levamen defunctorum prece, noctu loca periculosa sine ullo metu pertransisse, & aliàs cùm torrentem à pluvia oppidò tumentem eques transmitteret, pronuntiatâ eadem oratione facilè & citra damnum ullum evasisse. Alium quemdam, qui quot diebus officium defunctorum recitare solitus esset, innumera discrimina cujusvis generis, non modò sine damno, sed etiam cum commodo ac lucro elusisse. Idem author seipsum fatetur innumeris discriminibus animi, ac corporis, in itineribus per arduos montes nive coopertos, per altissimas valles, per rapidos torrentes, per vastas solitudines confectis, ita semper piorum manium subsidio vindicatum, ut priùs se liberatum, quàm pericula incurrisse, advertisset. R.P. Salo l. de Purgatorio profitetur se imploratâ Numinis per pios manes misericordiâ longè facillimè expetitis potitum esse. Alii idem sentiunt, & pronuntiant. 802. *Similia congeruntur.*

Ex quibus denique omnibus luce meridianâ clariùs elucet, charitate in pios manes, eorum patronos de salute tum animæ, tum corporis, quatenus hæc ad illam conducit, multò effici securiores, atque adeò 803. *Epilogus hujus, & prioris articuli.*

hoc

hoc etiam nomine cordi nobis habendam, & omnibus aliis, qui utramque illam salutem non negligunt, singulariter commendandam esse. Quare vir sapientissimus Franciscus Picolomineus, Soc. Jesu Præpositus Generalis VIII. (ut memorat Joannes Nadasi in suis pretiosis occupationibus circa mortem,) Animabus quæ in Purgatorio patiuntur sese crebrò ardenterque inter dolores, ac æternæ fœlicitatis desideria commendans, dixit, se omnia illa Sacra quæ ad intentionem Generalis fiunt quot hebdomadis, illis transcripsisse, nempe ut illæ apud Deum optimè omnia expedirent negotia, pro quibus illa sacrificia destinari possunt: quæ ars fœlici successu solet à deo coronari. Ita ipse. Et sanè, quæ Numinis est gratia, pietas ista, si aliàs unquam, nunc floret, vigetque; & eodem Numine Societatis Jesu, aliorumque, conatus fortunante, florebit, vigebitque in dies magis, magisque: atque ut speramus, eveniet, ut quemadmodum Providentia diuina rerum ac temporum fortis suavisque dispensatrix, varia sæcula variis, vel mysteriis fidei exponendis, vel Sanctorum honoribus instaurandis, vel pietatis generibus obeundis ac frequentandis attribuit; ita piis manibus, qui ferè hactenus non minus procul à mortalium mente, ac cogitationibus, quàm extra mundum hunc in subterraneis locis jacuerunt, hoc & sequentia sæcula præcipua quadam pietate juvanvandis assignasse, usu ipso, & frequenti eorum solatio comprobetur.

ARTICULUS IV.

Quarta ejusdem in pios manes misericordiæ utilitas: solida spes lustrico carcere brevi evadendi.

§. I.

Statuitur, atque exponitur.

804. *Non pugnat hic articulus cũ præcedentibus.* NOBISCUM ipsi pugnare videmur, quando id genus utilitatis proponimus. Nam superiùs latè demonstravimus præclarissimum hujus in defunctos charitatis decus ex eo præsertim enasci, quòd tuas satisfactiones illis transcribere, teipsum illis nudare est, atque adeò tibi adimere, quo te flammis ac carcere Purgatorio eximas. Et ecce nunc unam è præcipuis ejusdem charitatis utilitatibus hanc asserimus, quod illius beneficio, è pœnis illis brevi sis evasurus. fateor equidem esse hæc in speciem pugnantia; sed Lectorem hortor, ut tantisper judicium ac sententiam suspendat: spero enim effecturum me, ut cum Abrahamo contra spem in spem credat, hoc est, contrà quam mens horret, creditque futurum, si se lytro suarum satisfactionum spoliarit, speret potiùs eo sibi negato, & defunctis donato, nomina sua, obligationemque ad sævos illos cruciatus, esse dissolvendam.

805. *Syllogismo res probatur.* Porrò id demonstro hoc syllogismo. Ea res nos brevi eximet Purgatorio, quæ nobis obtinet lytrum illius carceris & præstabilius & copiosius; atqui transcriptio nostrarum satisfactionum in pios manes, id obtinet: Ergo ea transcriptio brevi nos eximet Purgatorio. De propositione nemo dubitet, nam lytro oblato, carcere ac pœnis Deus hominem liberet, necesse est: Assumptio igitur nobis est probanda, confirmandaque.

806. *Plenius satisfacis satisfactionem defuncto dando quàm tibi reservando.* Ut autem dilucidè probetur, ordine ac distinctione utẽdum est; ac primùm ostendendum generatim plus valere ad satisfactionem pœnæ tibi debitæ si opus pium (exempli causa jejunium, aut aliam corporis macerationem) præstes in gratiam defunctorum, quàm si tibi ipsi illius pii operis satisfactionem reserves. Id verò ut intelligas, attende, dum quid boni ex charitate cujuspiam facis, duo seorsim spectari posse! prius est ipsum opus, posterius illius ad commodum proximi relatio: Exempli gratiâ, jejunas, aut oras pro piis manibus; en primùm habes jejunium, aut orationem, quæ utique per se sunt bona: Deinde jejunium aut orationem illam ad piorum manium utilitatem refers, ita ut illis non modò impetrationis, sed & satisfactionis fructum, quem tibi reservare posses, totum dones defunctis. Observa deinde, posse te fructum satisfactionis ex jejunio tuo, aut alio quovis opere pio nascentem, ita defunctis totum addicere, ut tamen applicationis ejus, seu destinationis propriam satisfactionem tibi manere velis. Quemadmodum enim jejunium ejusque applicatio diversa sunt, ac diversam sortiuntur bonitatem, ita diversas habent satisfactiones, quas cùm diversis integrum sit destinare, est in manu tuâ, & arbitratu, alteram defunctis, tibi alteram tribuere: id si facias ut faciunt qui simpliciter jejunant, orantque pro defunctis; si, inquam, solum fructum satisfactionis orationi tuæ admensum iisdem tribuas: aio te magis satisfacturum iustitiæ divinæ pro pœnis criminibus

tuis

tuis commensis, quàm si tibi eamdem reserves; & causam reddo, quia priùs demonstravimus majoris meriti esse transferre in illos satisfactionem, quàm sibi retinere, quòd prius illud sit præstantioris caritatis, quàm hoc posterius. Quod si ita est, conficitur esse ad satisfactionem magis idoneum, & efficacius, cùm de communi Theologorum sententiâ meritum, ac satisfactio æquo fere passu procedant.

807. *Objectio.* At enim dices, rectè quidem probas destinationem ipsam operis boni ad utilitatem defunctorum, cùm sit actus puræ charitatis, plus valere ad satisfactionem, quàm valeat ejusdem operis destinatio ad commodum operantis, si hæc sola cum priore destinatione componatur; non verò ostendis destinationem illam pii operis ad utilitatem defunctorum, plus ad satisfactionem valere, quàm valeat simul ejusdem operis destinatio ad commodum operantis, simul ipsum opus, vel orationis, vel temperantiæ, cujus satisfactio ex charitate datur defunctis. Id autem necesse est, ut probes: propterea quòd, qui fructum satisfactionis ex jejunio manantem sibi reservat, non modò fruitur satisfactione amori concupiscentiæ admensâ, sed etiam eâ, quæ jejunio ipsi per se respondet. Qui autem satisfactionem orationi aut jejunio respondentem, animabus donat, solâ fruitur satisfactione actui charitatis illius respondente.

808. *Solvitur.* Fateor equidem ita rem se habere. Probo itaque quod exigis, idque eodem, quod minimè exspectas, argumento. Enimverò quemadmodum meritum solius actûs, quo refero jejunium ad piorum manium usum, nobilius est, quàm meritum tum illius actûs, quo satisfactionem jejunii etiam ex charitate mihi reservo, tum etiam ipsius actûs jejunii (cùm actus puræ charitatis, sit ordinis ac gradus superioris, quàm jejunium, unusque plurimos ejusmodi inferiores meritò exsuperet) ita satisfactio solius actûs, quo jejunium illud ad bonum piorum manium dirigo, præstat utrique illi satisfactioni, quæ respondet tum jejunio, tum eius ad commodum meum, propriamque satisfactionem relationi. manet ergo plus ad satisfactionem valere, si operis boni, ut jejunii, aut orationis, satisfactionem defunctis dones, quàm si tibi reserves; & quod hinc consequens est, orare pro defunctis, in eorum gratiam macerare corpus, stipem erogare, & ejusmodi, quorum satisfactio ex opere operantis dumtaxat profluit, præstat ad evadendas brevi Purgatorii flammas, quàm eadem ipsa perficere, ut eas evadas, citiusque beatus efficiare.

Declaratur idem paradoxum alia ratione. Nam authoribus Lugone, Dicastillo, & aliis, pretium satisfactionis crescit pro portione sanctimoniæ, ita prorsus, ut sicut, cæteris paribus, eò plus meretur homo per opus pium, ac meritorium, quò sanctior est, ita magis satisfaciat. Nam, ut fert scitum Philosophorum, *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.* Quare cùm sanctitas, seu status gratiæ ad satisfactionem requiratur, quantò uberior illa fuerit, tantò cæteris paribus, satisfactio operis pii erit plenior: eò maximè, quòd vis satisfaciendi, sit vis quædam merendi, nempe pœnæ peccatis debitæ remissionem. Addit de Lugo hanc rationem tract. de pœnitent. disp. 24. n. 28. *Quia eadem pœna, inflicta viro nobiliori, æstimatur moraliter pœna gravior, quàm inflicta viro ignobili, unde pro eodem delicto minori pœnâ punitur Marchio, aut Dux, quàm alius inferioris notæ nobilis; & hic minori, quàm plebeius, quia exilium Principis, gravior pœna est, quàm plebei verberatio. Ergo & castigatio carnis in homine sanctiori habente gratiam ut* 100. *æstimabitur gravior pœna, & gravior castigatio, quàm in alio iusto, habente gratiam ut quatuor; quia excellentior persona castigatur, atque adeò sufficit ad solvendum pro pluribus, & gravioribus peccatis: cùm moraliter sit maior satisfactio.* Ita de Lugo. Cùm igitur & meritum, & satisfactio crescat ex personæ operantis sanctimoniâ & dignitate, & hanc maximè pariat castus amor Dei, ac proximi: consequens est eum, qui pro defunctis Deum precatur, corpus castigat, aliaque eiusmodi patrat, cæteris paribus minus diu graviterque in Purgatorio puniendum. Etenim castigatio sanctioris ad annum, æquivalet castigationi minus sancti ad duos, sicut Principis carcer ad annum, carceri plebei ad duos; & præterea pœna Purgatorii magis dedecet sanctiorem, quàm minus sanctum, quia ille Deo carior ac propinquior, dignioreque regiâ cœli, sicut pœna humana magis dedecet virum nobilem, quàm plebeium, atque adeò mitior in nobilem, quàm in plebeiũ pro paribus criminibus solet decerni; Adde sanctiorem brevius Purgatorium sortiri debere, vel ex eò, quòd breviori tempore pluribus gradibus gloriæ, ac visionis beatificæ privetur, adeoque æquali tempore graviùs puniatur, quàm minus sanctus, cujus utique jactura illa est minor. Nec refert quod is, quem charitate in defunctos sanctiorem evasisse diximus, bonam partem suarum satisfactionum, quibus citiùs Purgatorio eximeretur, defunctis sit

809. *Præstet ad brevius purgatorium dare suas satisfactiones defunctis.*

ctis sit largitus, quia pretium aliarum satisfactionum quas non dederit, nobilitas donatarum facilè compensabit.

§ 2.

Etsi omnes satisfactiones defunctis addicat.

810. *Donatio omnis satisfactionis à peccatis retinet.*

CUM igitur satis demonstratum sit, pleniùs satisfieri orando, jejunandóve pro defunctis, quàm horum piorum operum satisfactionem sibi reservando, videndum nunc, an qui omnem satisfactionem, etiam illam, quam diximus applicationis, & amoris, eisdem largiatur, detrimentum aliquod satisfactionum passurus sit; ita ut graviùs & diutiùs in purgante rogo sit castigandus. Ac primùm constat ex dictis non semel, & magni in hoc genere momenti est, donationem ejusmodi maximæ esse charitatis, atque adeò gratias actuales plurimas mereri, quibus homo corroboratus, minimum, ac rarissimè apud Deum offendat. Quomodò enim divina bonitas perquàm munifica in eum non esset, qui Dei causâ omnia sua profundit, etiam fælicitatem, visionemque beatificam, cujus privationi temporariæ, & insuper atrocissimo igni, se exponit? Certè valere nunc debet, si quando aliàs, illa Pauli promissio, *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* 2. Cor. 9. & illud Siracidæ c. 16. *Omnis misericordia faciet locum unicuique, secundùm meritum operum suorum.* Quare rarissima illa misericordia Amatoris defunctorum profectò locum invenit in oculis, in medullis Dei: & hic pro meritis eam complectetur, id est, gratiis actualibus cumulabit; quandoquidem hæ nihil aliud sunt, quàm divini illius Sponsi oscula, & amplexus. Sed nihil hoc in genere illustrius, atque potentius, hac ipsius veritatis authoritate. *Omnis*, ait, *qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Matt. 19. Quid enim domus materialis ad Regiam cœli? quid fratres, pater, mater, ad ipsius Dei possessionem? Sed quid centuplum illud promissum nisi cumulus gratiarum? Si ergo pro domo, pro domesticis Dei causâ relictis centuplum tale, quale centuplum pro Deo taliter Dei causâ relicto cum periculo intolerandi tormenti? Deinde ea ipsa charitas virtutes omnes, utpote earum Regina, ad opus, & officium continenter urgebit, adeò ut vix liceat menti ad vitium declinare. Præterea qui pios manes sic adamat, ut seipsum, suaque in ipsos prodigat, non potest non de illis creberrimè cogitare: nec igitur saluberrimam de morte, deque novissimis cogitationem deponet, & proinde experietur veritatem effati hujus divini, *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Et verò novi ego aliquem ex ejusmodi Amatoribus, cui hæc memoria frequens, velut in mercedem misericordiæ impertita, mentem pulsat, retinetque, ne in noxas etiam leves labatur; quin potius ad cælestia sese efferat, spretisque quisquiliis hujus mundi, Deum ac divina amplectatur. Itaque cùm hoc primùm præstet charitas omnem satisfactionem piis manibus devoventis, dubium esse nequit, quin purgantes flammas hac insigni ratione vehementer contrahat, ac mitiget.

811. *Non includit satisfactionem propriam confessioni.*

Sed cùm humanum sit in quotidianas illas noxas prolabi, qua ratione earum pœnas eluet, qui omnem suam satisfactionem à se abdicat? Rectè satisfactionem suam dicis; aliena siquidem eaque multiplex suppetit. Imprimis quæ ex opere operato profluit, nempe à Sacramentis, non tam propria operantis est, quàm operis ipsius, seu Sacramenti, vel potius omninò Christi: hanc verò alteri tradi non posse Suarius, & de Lugo, magna inter Theologos nomina, consentiunt, & nos iis superiùs assensi sumus. Porrò magna copia præstantis satisfactionis ex Sacramento pœnitentiæ defunctorum Amatori veniet: nam charitas illa, quâ excellit, doloris de Dei offensa, & maximi, & frequentis fœcunda est; quare illum crebrò ad Sacramentalem confessionem adigit, serioque & accuratè præparat. Cùm ergo Sacramenti fructus etiam ex opere operato proveniens, pro magnitudine apparatûs crescat, satisfactio, quæ ex ipsa confessione promanat, ubertima sit, necesse est. Et illi tamen addenda illa quam progignit, legitima pœnæ à Sacerdote impositæ solutio: Et hæc enim operis operati naturam imitatur, & pro optione doloris, ad eam subeundam adhibiti, satisfactionis ferax est. Quare cùm frequens sit Amatoris defunctorum confessio, & integra pœnæ solutio, quis non videt pauca illi nomina restare in Purgatorio dissolvenda, si vel hoc Sacramentum solum spectetur?

812. *Neque propriam sacrificio Missæ.*

Accedit autem huic duplici ex opere operato satisfactioni, illa, quam Missæ sacrificium parit. Constat enim pœnam temporalem post culpæ condonationem relictam, virtute Missæ remitti, & Theologi idex Tridentino comprobant cap. 2. sess. 22. Cùm enim docuisset Deum hujus sacrificii virtute placatum peccata remit-

tere, opportunis auxiliis, seu gratiis actualibus submissis, postea simpliciter, & absque ulla limitatione subdit: *Pro fidelium vivorum peccatis, & pœnis, & satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis ritè iuxta Apostolicam traditionem offertur*: hanc autem sacrificii vim ex opere operato, & infallibiliter exeri cẽsent Suarez, Vasquez, Lugo, Dicastillo, & melioris notæ Theologi: illam verò veniam communicari tum Sacerdoti (qui quidem primariò sacrificium offert) tum fidelibus, qui ad illud aliquid contribuunt petendo, aut procurando illud, aut operam famularem Sacerdoti facienti commodando, aut assistendo, & consentiendo, atque una offerendo, tum iis, pro quibus offertur. Quin etiam fructum illum satisfactionis aliqui ad omnes fideles pertinere volunt, quatenus Ecclesiam constituunt, ac remotè sacrificium offerunt per Sacerdotem, sicut censetur corpus facere, quod facit illius membrum. Hinc porrò ampla quoque seges exoritur satisfactionis. Nemo enim est ex Amatoribus defunctorum, qui vel quotidie, vel, si non licet, festis ac Dominicis diebus, sacris non operetur aut interfit; nemo qui illud aliquando non procuret, aut aliquid ad illud conferat; nemo qui non illud, saltem quatenus pertinet ad Ecclesiæ corpus Deo offerat, quotiescumque fit ubivis terrarum. Et cùm charitas hoc præsertim tam amabili mysterio pascatur, atque inflammetur, necesse est fructum illum satisfactionis, qui ad Amatorem defunctorum, omnem suam satisfactionem liberam illis tribuere solitum, ex opere operato attinet, non esse mediocrem. Quare manifestò consequitur, si quid humanitus illi excidat, absolutionis sacramentalis, & sacrificii virtute ferè deleri.

813. *Neque satisfactionem precum alienarum.*

Verùm cùm alia Numinis, alia mortalium sint judicia, & noxæ profectò parum cogitantibus quippe in motibus irrepant, & delicta in dies sine sensu multiplicentur, restat adhuc fons copiosissimus satisfactionis precibus alienis, aliisque bonis operibus tibi addictis contentus: Etenim horum satisfactionem cum aliis communicari non posse censet Eminent. Cardinalis de Lugo, quòd eorum dominus non sis. Ut enim ipse. *Is cui applicatur satisfactio aliena, habet se merè passivè, causa autem passiva non concurrit liberè, sed necessariò, ergo cum solus offerens sit adæquata causa activa, ab ipsius libertate pendet effectus, & non à libertate eius pro quo offertur. Confirmatur, quia si ego oro pro alio, non potest ipse per dissensum impedire impetrationem meæ orationis per se loquendo, licet fortè possit per accidens, reddendo se indignum: ergo similiter non potest impedire fructum mei ieiunii, quo intendo placare Deum pro illo; videtur enim eadem esse ratio.* Sic ipse de pœnit. dis. 26. sect. 2. perquàm probabiliter. Atqui si religiosus sis, quot pro te ab aliis preces, quot sacrificiorum millia nunc fiunt? Sin autem mundum habitas, quot pauperes, quot alii, quibus benefeceris, tibi benè volunt, ac precantur. Parentes filiis, filii parentibus, consanguinei consanguineis, amici amicis, vivis, ac defunctis patrocinantur, atque adeò magnus satisfactionum cumulus inde existit, ac tibi remanet, etsi omnem illam, quæ in manu tua est, transcribere defunctis, fixum ac ratum sit. Quod si contrariam sententiam sequi placet, propterea quòd ille, qui mihi satisfactionem suam applicat, omne suum in eam jus mihi concedat, velitque ut eo jure pro arbitratu meo utar, vel retinendo mihi, vel illud in alterum transferendo, negari nequit, quin & probabiliter philosopheris; sed & hoc exploratum, plurimum tibi nihilominus adhuc reliquum esse.

814. *Nec indulgentiam pro vivis.*

Etenim multò omnium affluentissima scaturigo satisfactionum est Indulgentia Pontificia vivis destinata. Quoties enim plena, quoties plurimorum annorum, quoties potissimæ partis peccatorum indulgentia, veniaque in promptu est? En salutationis Angelicæ recitationi ad horæ sonitum, venia mille annorum. Præterea quilibet homo Religiosus vel è mẽdicantibus, vel ex iis qui eorum privilegiis gaudent, quotidie plenam indulgentiam obtinere potest, si quotidie sextò orationem Dominicam, & salutationem Angelicam pronuntiet, ac singulis pronuntiationibus subjungat singula Gloria Patri &c. Mitto alias plurimas, ac plenas. Profectò non arbitror hominem pium, ac suæ salutis amantem singulis horis tantopere apud Deum offendere, ut in singulas mille annorum expiationi obnoxius sit. Sed fac esse, habet quo reliquum pœnæ, istis facillimis precibus diluat. Nam quid ego hîc loquar de indulgentiâ multiplici numismatis aut templis affixâ, quam toties obtinere licet? Atqui Amator defunctorum eam longè facillimè parare sibi poterit. Cùm enim ad veniæ illius consecutionem præscribi soleat opus ejusmodi quod ad Deum placandum opportunum sit, consequitur eum qui plus amoris divini ad illud perficiendum adhibeat, Pontificis veniam faciliùs pleniusque consequi. Enimverò opus illius ad iram Dei mitigandam aptius est, quia charitate divinâ animatum, qua nullum potentius

potentius contra Dei iracundiam telum fingi potest. Cùm enim opus illud requiratur frequenter, ut si causa ad largiendam indulgentiam tantam non sufficiat, ejus defectus opere suppleatur, quod opus ad eum finem efficacius, quàm opus filii carissimi omnia sua Dei causa, fratrum suorum ei quoque carissimorum liberationi insumentis? Denique si ad indulgentiæ plenæ consecutionem necesse sit exui affectum omnem peccati, etiam levissimi; propterea quòd quamdiu peccatum manet, pœnâ dignum est, quid faciliùs abdicabit à se pravam omnem cupiditatem, quàm qui Numinis, & animarum gratiâ igne Purgatorio ardere paratus est, ut idem Numen sincerissimè, & intimè ab illis ametur, ac dilaudetur? Cùm igitur Amator ille, & frequenti confessione, & sacrificii virtute, & alienis precibus, & indulgentiæ crebræ consecutione culparum levium pœnas persolverit, quid illi luendum in purgatorio restare potest? certè vel minimum, vel saltem minus, quàm si sibi satisfactionem suam servasset; nam eo pacto charitate illa tam nobili atque efficaci destitutus noxarum sordes contraxisset, quas satisfactionibus suis, jejuniis, ac minutis minimè diluisset: Contra verò charitas, quam prædicamus, in omnia ejus opera velut influens, eaque digniora, tum amore, tum misericordiâ divinâ reddens, unâ forsan confessione Sacramentali multò plus pœnarum extinguet; quàm eâ destitutus pluribus & confessionibus, & aliis piis operibus lenire valeat. Quid igitur eadem efficiet multis & confessionibus, & sacrificiis, & indulgentiis, & cæteris ejusmodi, quibus vim quamdam præcipuam ad remissionem noxarum adjungit?

815. *Amatori defunctorum certius applicantur indulgentiæ & suffragia.*

Et tamen alia sunt, haud scio, an inferiora, quæ Amatoris defunctorum spem libertatis vel levamenti non vulgaris acuere possunt. Imprimis, cùm disputetur à Theologis, an indulgentia defunctis destinata certò iis prosit, quibus destinata est, & usus Ecclesiæ multas plenarias eidem animæ addicentis, negativæ parti favere videatur, prope certum est, Deum multò promptiùs admittere eas, quæ Amatoribus defunctorum applicantur, quàm quæ aliis eos negligentibus. Atque ita sentit Layman l. 5. tr. 7. c. 8. post Henriquez, Rodriguez & alios. Deinde cùm nonnumquam idem justissimus Judex, preces mortalium pro piis manibus fusas, aliaque ejusmodi suffragia non iis, quibus addicuntur, sed alii transcribi velit, ut patet ex historiis; satis perspectum est, id pœnæ in Amatorem defunctorum non cadere; quia alioqui non esset ratum Christi effatum: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Præterea cùm ex insinuationibus S. Gertrudis l. 5. c. 19. item ex aliis, habeamus quasdam animas propter turpitudinem, numerumque ingentem flagitiorum, non frui communibus Ecclesiæ suffragiis, donec aliquamdiu igne illo arserint; ex adverso compertum est Amatorem defunctorum communibus illis subsidiis maximè inter omnes adjuvari, utpote de Ecclesia patiente ac triumphante optimè meritum. Insuper cùm plurimæ preces, aliaque suffragia defunctis subinde, vel indistinctè addicantur, vel iis nominatim, quibus Deo, aut Deiparæ, aut Angelo nostro Custodi visum fuerit addicenda; quibus potiùs illa venient, quàm defunctorum Amatori, qui, si ita loqui fas est, jus quoddam in illa habet, quippe quod sit dignior bonis publicis, qui rem publicam magis auxit? Denique cùm plurima suffragia potentibus, vel divitibus attribuantur, vel certè aliis, quos crimina ad orcum detrusere, eodem jure bona illa, velut derelicta, potissimè ad Amatorem defunctorum pertinebunt.

816. *Magis à Sanctis juvatur.*

Jam cùm idem Deus eâ gratia impertiatur divos, ac divas adhuc mortales, ut aliquos è Purgatorio facilè eximant, uti de S. Christina, Liduina, Lutgarde, aliisque, satis constat, Amatorem defunctorum ea libertate faciliùs ac pleniùs donatum iri perspectum est. Quam spem exsuscitare potest quod subjicio. *Apparuerat anima quædam D. Gertrudi, singulis in membris, quibus peccaverat, incredibili dolore cruciata: ista verò (inquit Historicus) dum negotiis amoris instans, dulcissimo suo Amatori blandiretur, inter cætera, dixit ad eum; Eia Domine mi, vellesne causâ mei, animæ illi misereri? Cui Dominus tamquam blandiendo dixit, non solùm animæ illi, sed etiam mille millibus animabus volo amore tui misereri. Et adiecit Dominus, Quomodo vis, ut impendam illi misericordiam? an vis, ut omnem culpam dimittens ab omni tormento eam liberem? ad quod ista: Forte non expedit iustitiæ tuæ, & Dominus, bene expediret, si tantummodo cum fiduciâ hoc à me peteres.* Ita in iisdem Insinuationibus l. 5. c. 19. Cùm ergo unicæ Gertrudis gratiâ mille millia animarum Deus liberare paratus esset, nec tempus ullum fluat, quin aliqui mortales Sancti, & Deum unicè amantes pro piis manibus orando, corpus macerando, animum vincendo cœlum fatigent; an non maxima spes Amatori defunctorum affulget, vel pœnas evadendi prorsus, vel ocyssimè ex

Purgatorio exeundi ; quandoquidem ipse plurimis periculo suo manum auxiliatricem ad emigrandum porrexerit? Si Deus subinde piis manibus hanc gratiam faciat, ut sensibilem in modum sese Sanctorum precibus commendent, si teste Joanne à S. Mariâ in vitis Sanctimonialium S. Dominici, Beatam Magdalenam Angelicam levandi animas lustrandas studiosissimam, & juvandi perquàm efficacem, ipsæ animæ sequerentur velut pulli gallinam, & ex ejus ore preces certatim quasi raperent; an non existimabimus id genus gratiæ Amatori piorum manium multò quàm aliis propensiùs conferendum?

817. *Maximè cœlitibus.* Quod si verò à mortalibus Divis tantum subsidii sperare licet, quantum licebit ab immortalibus? nempe tantò amplius, quantò gratiâ apud Deum hi amplius valent. Itaque multi ex iis etiam tum, cùm proximè è vitâ excessissent, non modicam piorum maniũ multitudinem secum evexere. Quo in genere præter Joannem illum Nivellensem, Canonicum Regularem, & R. P. Antonium Danielem Soc. Jesu de quibus in trac. de V. S. N. 999. spectabilis exempli Beata Liduina Hollandiæ decus, cui cùm septemdecim annorum spatio variis & horrendis morbis exercita fuisset, Angelus à Deo nuntius optionem dedit, vel in cœlum illico migrandi, vel alterum tantum temporis pares cruciatus suscipiendi, ea mercede, ut plurimos è purgandis manibus vel levaret, vel liberaret. Cui illa plusquam fœmineo, plusquam virili animo respondit, sese etiam usque ad extremum judicii diem morbos suos tolerare vel eâ causa paratam esse. Tum Angelus Dei nomine illi confirmavit in gratiam tam generosi piique decreti eo ipso momento eorum, qui familiariter eam novissent, animas omnes, itemque illius parentum ad usque nonam generationem è lustrali ergastulo liberas demigrasse. Et quod ad propositum nostrum propriè pertinet, addidit post exactos in morborum cruciatibus alteros septemdecim annos, fore ut ipsa Purgatorium velut triumphans subiret, & quoscumque luberet, inde secum in cœlum educeret. Sanctum etiam Franciscum Seraphicum accepimus eo ipso temporis puncto, quo vitam hanc mortalem exuit, instar splendidissimæ stellæ, candidæ nubi insidentis rectà cœlum petiisse, cum numerosa suorum, qui è Purgatorio carcere ipsius meritis emergebant, manu, ut ejus triumphalem ingressum decorarent. Parenti subjungo Petrum Stella quippe ex ordine eiusdem S. Francisci virum egregium, cuius etiam vis, ac munificentia in pios manes, à morte se prodidit. Nam F. Alphonsus de Portugallia ex eodem ordine Seraphico, post quinque ab obitu suo dies spectandum cuipiam se præbens, retulit, se quidem propter suum servandæ virginitatis studium, ac lacrymas piè fusas, de salute securum esse, attamen adhuc uri lustricâ flammâ ob immoderatam bilem suam, contemtumque aliorum. Cæterùm F. Stellam iaculi instar celerrimè per Purgatorium transiisse ob accuratam legum Religiosarum observationem. Cùm autem primùm cœlo donatus esset, auditam in Purgatorio vocem istam; *Adeste animis fratres Minores, in gratiam religiosi illius fratris vestri recens cælesti gloriâ iam potiti, tertia pars cruciatuum alioqui subeundorum, ex misericordia divinâ vobis condonatur.* Quis verò dubitet, quin beneficium hoc in Religiosos illos sit amplissimum, cùm infinitus, ut sic loquar, sit eorum numerus, atque adeò permultos in Purgatorio tunc iacuisse necesse sit. Sed maius ut opinor hoc quod subiicio censebitur. Frater Henricus de Calstris Dominicanus ex illustri Calstrensium familiâ, Deiparæ vixit perquàm addictus, ac familiaris. Cùm graviter eo morbo laboraret, quo demum extinctus est, rogatus num citra Purgatorium liber evolaturus esset in cœlum, ingenuè respondit, utique ex oraculo divino hunc in modum. *Beatissima Virgo Maria in exitu meo animam meam suscipiet, & plusquàm trecentas animas mecum de Purgatorio abducet.* Quid? quod Alberti Magni, eiusdem ordinis magni luminis in obitu, sex animarum millia expiatricibus flammis eius gratiâ ac beneficio liberarum unà cum ipso cœli regiam petivere. Ex quibus colligas, quid postea vel ipse, vel etiam nobiliores Divi sint precibus suis effecturi, cùm ad eorum ingressum in cœlum comitatu honestandum tantum in gratiam animarum Deus effecerit.

818. *Recapitulatio dictorum hoc §.* Mitto de Angelis, deque manibus post cœlo receptis dicere. Certum enim, & plusquàm certum est, eos suâ alienaque gratiâ apud Deum conniti, ut Amatores defunctorum liberentur, ac tandem sic argumentor. Qui satisfactionem suam vel omnem defunctis adscribit, is ut plurimùm satisfactionem minus nobilem, atque adeò minus efficacem iis adscribit, quàm à sanctis postea recipiat: Deinde multa illi aliunde satisfactionum copia suppetit, omninò maior quàm à se abdicarit, & simillimum vero est, eius illum inter primos esse participem. Præterea ex Sacramento pœnitentiæ, pœnaque à Sacerdote imposita fructum nanciscitur satisfactionis frequentem,

frequentem, & uberem, pariterque ex aliorum pro ipso suffragiis, & precibus: Adhæc indulgentia, veniaque Pontificia maximè abundat, ergo suam satisfactionem omnem defunctis tribuere, est viam in cœlum sibi expeditissimam inire. Ergo eâ donatione, qua tuas omnes satisfactiones illis adscribis nihil sapientius, nihil quæstuosius, nihil ad liberationem nostrarum animarum è Purgatorio compendiosius.

§. 3.

Exempla piorum omnes satisfactiones defunctis largientium.

819. *S. Christina.* QUAMOBREM & hoc tempore, & jam diu antehac id industriæ, charitatisque in defunctos in usu fuit. Nam nemo dubitare potest, quin Christina illa mirabilis illud usurpaverit, dum cœlo delapsa, & vitæ reddita, in omne genus tormentorum sese pro illis dedit, eâ dumtaxat causâ, ut novis semper prodigiis divinitus sustentata, vitam immortalem animabus fidelium impertiret: Atqui illa jam à quadringentis annis fato concessit, nempe anno salutis 1225. Christinæ subjungo Gertrudem illam Germanam, non Belgicam (eam, inquam, quicum Christus tam familiariter versatus est) quippe quod vel cum Christinâ floruerit, vel sub ejus tempus. Etenim Possevino nostro teste in apparatu suo Anno à Christi ortu 1251. Abbatissa est creata.

820. *S. Gertrudis.* Porrò de Virgine illa sic memorat author divinæ illius Insinuationis. „ Alia die „ cùm ista Gertrudis recoleret, quod omni „ merito suo, quod lucrari posset per Dei „ misericordiam in exercitatione bonorum „ operum, se omnino abdicasset in meritum „ defunctæ, moribunda dixit ad Dominum, „ Spero Domine quod amans misericordia „ tua frequentiùs me respiciet nudam & „ egenam. Ad quod Dominus, Quid illi, qui „ sic charitate nudatus est, facere possum, „ quàm ut proprio vellere illum tegens, cum „ ipso instantiùs operer, ut eò celeriùs reci„ peret erogata per charitatem? Tunc ista, „ Quantumcumque, inquit, mecum opere„ ris, tamen oportet me nudam ad te perve„ nire, quia tam adipiscendis, quàm adeptis „ abrenunciavi. Ad quod Dominus. Cùm „ mater vestitas filias secus pedes suos sinit „ sedere, nudum puerulum in gremio vesti„ bus propriis fovens circumplectitur ulnis, „ & adjunxit; & quid tu tunc minus habes „ sedens ad abyssum maris, quàm alii, qui se„ dent ad exitus rivulorum? verbi gratiâ ad „ exitus rivulorum sedent propriis operibus „ aliqualiter inhærentes, sed qui ex charitate, „ & humilitate omnia sibi annihilat, habet „ Deum, qui totius beatitudinis est abyssus. „ Ita Christus. nos autem ex eo divino congressu habemus primùm Gertrudem omnia sua merita, id est, satisfactiones (sic enim hodieque loquimur) sanctimoniali vitâ functæ addixisse. Deinde cum ejusmodi charitatis authore Christum instantiùs operari, ut eò celeriùs erogatas satisfactiones recuperet, nempe vi gratiarum actualium, quas talis charitas à Christo postulat, itemque propter dignitatem, seu sanctitatem tali charitate partam, & ampliori dignam satisfactione. Præterea si omnes omninò satisfactiones defunctis transcripserit, adeò ut velut iis nudus Christo judici aliquando sistatur, Christum sibi faventem habere, ejusque vestibus idest satisfactionibus circumcingi, & ex abyssо meritorum ejus bibere abundè, eo quem exposuimus modo, quando qui sibi satisfactiones suas reservat, velut ad rivulum sedet, à quo utique nequit satiari.

821. *S. Liduina.* Cæterùm Liduinam Gertrudi adjungimus annis prope ducentis secutam: nam vivere desiit anno salutis 1433. Hæc enim etiam omnes antehac partas satisfactiones, parenti primùm mortuæ concessit, ut nihil de aliis defunctis dicam, quorum solatio per septemdecim annorum spatium morborum suorum satisfactiones omnes devovit.

822. *S. Theresa.* Sancta quoque Theresia nobile specimen hujusce charitatis dedit. Nam cognito Patrem quemdam Religiosum, qui provinciam aliquot annis rexerat, vitâ functum esse, non mediocri curâ ac sollicitudine afflictata fuit; maximè quòd hujusmodi provinciæ, ac dignitates, periculorum animi exortes esse non soleant. Cæterùm in privatum oratorium sese abdens, pro illius animæ salute Deo medullitus obtulit, quidquid hactenus boni toto vitæ curriculo patrarat, & statim animam illam humo se tollere, & ad astra se extollere animadvertit.

823. *Ximenius.* Dē Joanne Ximenio Soc. Jesu laico raræ admodum virtutis viro ita scribit noster Joannes Rho l. 1. exemp. c. 4. Mediocrem „ in juvandis piis manibus sollicitudinem „ Virgini minimè satisfacere intellexit Joan„ nes Ximenius eadem interprete. Oran„ tem enim ante suam imaginem, ac vehe„ mentiùs concepto æstuantem amore sic af„ fatam Deiparam ferunt. Ximeni, cave „ ne animas in Purgatorio igne laborantes „ oblivioni tradas, cui Joannes, Faciam quod „ jubes, ergo cum ante illam diem singulis „ hebdo-

„ hebdomadibus, ut illis meliùs esset, divi-
„ nam percipere Eucharistiam in more ha-
„ buissent, exinde omnes animi corporisque
„ exercitationes illorum usibus transcripsit,
„ sua ditissimus paupertate. in vita P. Baltaz. Alvar.

824. *Pater Monroy.* De Hernando autem Monroio ejusdem Societatis Sacerdote insigni, ita idem refert. „ Est aliquid etiam ultra hujus mortalitatis spatia, quo charitas hæc possit pertinere. Quamquam enim cùm hinc abierimus, nihil juris in res nostras nobis reliquum sit, & libertatem omnem, quæcumque hominem sors exceperit, pènitus amoliatur, attamen præcipere posse nos, & aliquid supra vulgares conatus cogitare docuit Hernandus. Hic enim secum reputans, post fata non sibi amplius integrum fore in egentissimos opis humanæ animos opportuna conferre beneficia, novo ausu, pioque ingenio, legi fraudem facere conatus est. nam quidquid sibi vitâ functo sive in precibus, sive in sacrificiis, sive in quocumque genere piamentorum obventurum erat, proprio chirographo in pœnarum socios eorum nominibus solvendis, ut iis benè esset, sui planè incurius, totum ex asse transtulit, invenitque homo acutè pius, quo steriles meritorum flammas sibi faceret esse frugiferas: nulla tam cariosa tellus est, quæ optimus charitati fundus esse non possit. Denique illustri religione Sanctimoniales Theresianæ, Maria de Incarnatione, & Euphrasia de Jesu ex cœnobio Abulensi Anno 1571. omnem satisfactionum suarum fructum in pios manes transtulerant. Et nunc plurimorum hic sanctus mos invaluit quahbet in regione, ac religione, ut idem beneficium magnâ suâ voluntate in eosdem conferant, ut etiam ex dicendis erit luculentius. Quare & horum Lectorem isti beato numero accensendum confido. P. Nyeremb.

Appendix.

825. *Generositas hujus donationis stat cum spe prædicta.* Quemadmodum principio hujus Articuli timuimus, ut fidem faceremus propositæ spei, expiatrices pœnas breviores, vel nullas omninò ab iis toleratum iri, qui satisfactionem omnem defunctis addixerint; ita nunc non minus metuendum, ne caritatis illius generositati, quam tantopere prædicavimus, hæc ipsa spes non modicè detrahat; nam dicet aliquis: Tota vis, ac decus illius largitionis inde petitur, quòd hominem exponat discrimini atrociora morte supplicia animarum causâ subeundi: jam verò contendimus ac probamus tantum abesse ut periculum illud subsit, ut etiam ex ea largitione spes adlucescat major pœnas illas evitandi, quàm si totum actionum tuarum lytrum tibi reserves. Sed respondeo dubitationi cum distinctione. Vel enim munificus ille Amator totum tribuit ex casto Numinis atque animarum amore, quod posuimus, dum caritatem illam laudaremus, & eo pacto res nostra planè salva est. Amor enim ille non proponit sibi, non spectat, ac multò minus aucupatur illam liberationem: sed contra promptum se, ac paratum offert ad tormenta, soloque Dei ducitur respectu: atque adeò nihil est, cur eius laus deteri dicatur. Sicut etsi certum sit plus mercedis reddendum cuivis alteri divini amoris actui, quàm actui cupiditatis cælestium gaudiorũ, nihil inde decedit nobilitati illius amoris, scilicet quia solo Deo contentus, illud mercedis non quærit. Vel agitur de illo, qui omnem satisfactionem defunctis impertit, ejus, quam hic exposuimus utilitatis spe ac respectu: & aio donationem illam non parum quidem cedere priori: esse tamen, cur purgantis carceris evasionem mereatur. Etenim spoliatio illa propriæ mihi satisfactionis adeò necessariæ ad vitandos ingentes cruciatus, à quibus ne Sancti quidem homines liberi sunt, per se ipsa difficilis est, & cùm præsens sit, magis animum afficit, ac cruciat, quàm leves spes futuræ, & aliunde acquirendæ satisfactionis. Spes enim timorem eventûs siniştri semper admixtum habet, & suavitati, quam generat, inimicum. Præsertim si spes supra naturam posita esse debeat, ut ferè hæc, quam proposuimus. Adde quod merces, quæ naturæ limites excedit, naturam vix feriat, ac proinde naturalem tantorum tormentorum horrorem, qui positâ eorum fide pectus complet, parum sublevet, atque adeò largitionis, de qua sermo est, difficultatem parum minuat. Certè nec Abrahamicæ obedientiæ sacrificando Isaaco difficultati, ac gloriæ, ob fidem, ac spem suscitationis ejus, si gladio cecidisset, quidquam decessit; nec eleemosynæ ob promissionem, ac spem supernaturalis mercedis, meritum, ac laus deteritur. Denique experientiam Lectoris appello: nõne etiam auditis, lectisvè, quæ hîc protulimus, adhuc fluctuare se sentit, vel ob transcriptum defunctis, vel ob consilium transcribendi lytrum omne suarum satisfactionum? Maneat igitur & certam esse spem vitandi carceris expiatorii, si vitâ functis omnem tuam satisfactionem addicas, & largitionis illius summam esse generositatem.

PATRO-

PATROCINIVM DEFVNCTORVM

A R. P.

IACOBO HAVTINC SOCIETATIS JESV TRIBVS LIBRIS PROPOSITVM.

LIBER TERTIVS.

Modus pios manes adjuvandi.

ID postremò nobis hîc propositum est, ut cùm miseriam summam, egestatemque piorum manium extremam, ac deinde varias iis suffragandi causas pro tenuitate nostra declaraverimus; nunc multiplicem quoque modum exponamus, Quare ut ordine agamus, à generalibus ad particularia, definitaque veniendum. Et primùm quidem occurrebat de facultate eos juvandi dicendum: sed cùm id initio superioris libri executi simus, proximè sequitur, ut res ad omne genus subsidii in eos conferendi necessarias, primùm explicemus; tum ipsa subsidiorum genera, singulasque singulorum partes breviter, ut res fert, expositas, exemplis illustremus. Faxit Deus, ut ad Lectoris ingenium accommodatè, & ad persuadendum miserabilium animarum auxilium opportunè: nulla umquam mortalium oratio tanto plausu, & aggratulatione, quanto nostra hæc dissertatio in purgantibus ergastulis fuerit excepta.

CAPVT PRIMVM.

Quæ res ad omne genus satisfactionis pro defunctis sint necessariæ, aut utiles.

ARTICULUS I.

Status gratiæ necessarius.

826. *Status gratiæ necessarius ad satisfaciendum.*

PRincipiò observandum, quod postea exponemus, duplex generatim censeri opus satisfactionis efficax: prius ex opere operantis, posterius ex opere operato. Prius jam tractamus, & asserimus primùm cum communi certaque Theologorum sententiâ, opus, ut satisfactorium sit ex homine sanctificante gratiâ prædito manare oportere. Et ratio in promptu est, quia noxæ lethalis reus prorsus indignus est condonatione tam suæ culpæ, quàm pœnæ sibi ob illam debitæ, cùm sit, & esse velit Dei hostis, quomodo ergo dignus erit alteri obtinere remissionem pœnæ, seu pro illo satisfacere? Deinde quia

quia idem ipse reus dignus est odio Numinis, & pœnâ sempiternâ: quomodo ergo piis manibus illud placabit ad veniam pœnæ temporalis? Itaque meritò Tridentinum id sancire videtur sess. 14. c. 8. dum sic ait; *Neque verò ita est nostra satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum. nam qui ex nobis, tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo, unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus.* Ubi vides vim satisfaciendi nostram, seu pro nobis, seu pro aliis (indistinctè enim loquitur) ex eo fluere, quòd in Christo vivamus, ac mereamur: & satis nosti idipsum per charitatem, gratiamque sanctificantem perfici. His addo cum Suario, Vasquez, De Lugo, opera extra gratiæ statum patrata, adveniente gratiâ non reviviscere ad aliquem satisfactionis effectum, quemadmodum non reviviscunt ad meritum; propterea quod sicut ob personnæ operantis indignitatem Deo minimè placuere, ita nec ad satisfactionem, ob eamdem indignitatem valere potuerunt.

827. *Non ad impetrationem.* Nihilominus adverto, noxæ mortalis reum aliquod piis manibus subsidium impetrare posse, vel precibus, vel stipe pauperibus datâ, vel alio quovis opere pio. Etsi enim sacræ litteræ subinde negare videantur peccatores à Deo exaudiri, ut illud Ps. 65. *Si iniquitatem aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*: Item hoc Cœci nati Jo. 9. *Scimus, quia Deus peccatores non exaudit*; tamen ex Publicani oratione, ac impetratione contrarium apertè convincitur: & confirmatur ex Matth. 7. c. 1. ubi simpliciter, & sine ullâ exceptione dicitur: *Omnis qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur*. Ex quo colligis ideò aliàs dici peccatores non exaudiri, quia vel quod petunt, cum peccato conjunctum est, vel ad peccatum refertur, vel in petendo aliquod aliud vitium intervenit: vel certè quia etsi boni aliquid postulent, difficiliùs obtinent: ut statim dicetur.

828. *Peccator veniam defunctis potest obtinere.* Cùm igitur constet reum noxæ lethiferæ sibi aliquid posse divinitus impetrare, consequitur & defunctis opitulari posse. Etenim ipsam quoque pœnæ remissionem proximè impetrari diximus, quia dum Sacerdos reo peccata confesso imponit orationem pro defunctis, in pœnam, ac satisfactionem ipsius eam imponit: vult ergo ut sola impetratio defunctis prosit; ergo sola prodesse potest, de quo pleniùs postmodum. Itaque si quis in lethale præceps corruerit, etsi etiam in eo infæliciter velit jacere, potest nihilominus, ac debet defunctis opitulari, precando, stipem largiendo, vel aliud quid in eorum gratiam præstando.

829. *Sed multò pleniùs ac certiùs si lethale exuat.* Verumtamen nosse illum oportet, ob infælicem illum statum decedere multum ipsius subsidio. Nam præcipua hujus pars ex dignâ satisfactione provenit. Hinc enim ex Justitiæ lege tenetur Judex pœnam defunctis dimittere: at quod impetrationi redditur, ex misericordiâ redditur, atque adeò faciliùs potest negari, homini præsertim inimico & inviso. Deinde impetrationi nec certum tempus assignatum est, nec certus orationum numerus, nec certa bonorum operum copia: at satisfactio certum semper effectum sortitur: adeò ut exiguæ satisfactioni, exigua, copiosæ ac nobili, major gratia, seu venia commensa sit, & ex justitiæ lege reddenda. Quare qui aliquo in pios manes pietatis sensu afficeris, qui Matris, Patris, aut amici intimi calamitate tangeris; vel ex hoc capite stude animum mortiferâ maculâ expurgare, quòd ad illos purgandos parum aptus sit, qui impurus ipse, & mortali culpa sit inquinatus. Si confessione Sacramentali eos à suspendio liberare posses, an cunctareris? Et adhuc volens in sordibus hæres?

ARTICULUS II.

Conditiones operis ad satisfaciendum pro defunctis idonei.

830. *Opus sit bonum.* PRIMA, & velut princeps earum est, ut opus sit honestum, seu bonum. Nec enim dignum est Deum placare, quod vel ei ingratum, ut malum, vel certè nequaquam gratum est, ut illud, quod vocant indifferens. Quare saltem à fine aliquo extrinseco honestatem mutuetur, necesse est: ut si ambules, comedas, dormias, ad gloriam Numinis aucupandam, obsequiumve promptiùs ei postea exhibendum. Illud observarim, non videri sufficere operi aliàs indifferenti, ac neutro, si fieri dicatur ad solatium piorum manium: non inquam, si ita statuas tecum ipse; nunc bibam ad levamen defunctorum, nullo alio fine bono, potui tuo proposito, existimandum est potum tuum defunctis profuturum. Quippe quia opus priùs debet intelligi bonum, quàm satisfactorium, prius item satisfactorium, quàm defunctis queat applicari. Tu verò eo pacto tuum illud nullâ imbutum honestate, nullo bono

fine

fine ornatum iis transcribis. Ex quo deprehenditur eorum error, qui se omnia validè salubriterque piis manibus donasse autumant, si dum primùm experrecti sunt, omnia diei fluentis opera iis devoverint; cùm tamen interea non pauca sint intra naturam sita, ac neutra, nec ullo fine bono cohonestata. Quamquam, si usum spectes, non negaverim ejusmodi intentione alium bonum finem solitum includi.

831. *Quo melius eò magis satisfacit.* Cæterùm, ut honestas operi satisfactorio necessaria est, ita major honestas, ac bonitas auget illius vim satisfaciendi. Nec enim ambiguum, quin opus ex germana in Deum charitate profectum, inter cætera longè præstet satisfaciendi virtute; pariterque necesse est, ut opus ex religione patratum, reliquis paribus, excellat inter opera temperantiæ. Et ratio est, quia fons satisfactionis est honestas operis, uti & fons meriti: Quamobrem ubi honestas uberior, satisfactio uberior sit, oportet. Ac propterea Doctor Angelicus 2.2.q. 189.a.3. ad 3. post SS. Patres Hieronymum, Bernardum, Anselmum, asserit per professionem religiosam omni vinculo pœnæ peccatis debitæ exsolvi religiosum, nempe si eorum affectum exuerit. Causa est, quia plenè Deo quis satisfacit, si quæ potest, omnia ob ejus gloriam præstet; sive, si tantum præstet ejus causâ, ut amplius præstare non possit; quod facit, dum professione religiosâ se, suaque omnia, etiam libertatem, qua nihil antiquius, Numini tradit. Quam vim satisfaciendi Layman etiam ad iterationem professionis trahit, cui libenter assentiar, si pari animi inductione, ac propensione perficiatur. Porrò si major operis bonitas vim cumulat satisfaciendi, manifestò conficitur, quod antehac insinuavimus, eò defunctis juvandis opus esse accommodatius, quò nobilius, ac perfectius. Ut vel hinc discere possint viri verè pii, ac religiosi, castè Deum amare, si defunctos velint multum juvare.

832. *Sit voluntarium.* Cæterùm ex illa operis conditione hæc sponte sequitur, ut opus sit voluntarium ac liberum, nec aliter enim honestum ac pium esse potest, cùm de honestatis ac bonitatis moralis essentiâ sit voluntarium, ac liberum. Deinde satisfactio rationem quamdam habet meriti: nam pœnæ remissionem meretur; meritum autem sine libertate ne intelligi quidem potest. Atque hoc pacto ac lege temporalia Numinis flagella nobis inflicta, ut morbi, paupertas, fames, & huiusmodi, vim satisfaciendi nanciscuntur, si patienter admittantur, & piis manibus possunt opitulari. Prius sancit Tridentina Synodus Sess. 14. c. 9. hisce verbis: *Docet præterea tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per JESUM CHRISTUM satisfacere valeamus.* Ita Sancta Synodus.

Ex cujus posterioribus verbis non modica lis inter Theologos exurgit. Nam post Richardum, Gabriel, Vasquez, Dicastillo, ita volunt per ea flagella patienter tolerata satisfieri, ut soli interno patientiæ actui, non autem externæ eorum perpessioni, vim satisfaciendi tribuant: quippe quòd ea perpessio, non sit perpetienti voluntaria, cùm à voluntate non manet, habeatque dumtaxat se in modum objecti voluntati propositi. Contra, Suarius, Coninck, de Lugo, hanc etiam perpessionem eadem virtute satisfaciendi ornandam esse volunt, quod sic explicat Lugo, *Quia qui patienter acceptat Dei flagella, eo ipso consentit Deo in illâ punitione, & quantum est de se, vult Deo cooperari ad illa, quare licet re ipsâ non sit causa flagelli, est tamen æquivalenter in conspectu Dei.* Verùm, salvo meliore judicio, non videtur ex eo consensu, & admissione flagelli deduci posse ejus perpessionem à voluntate pendere, cùm hæc per eum consensum nihil ad perpessionem mali conferat, neque per illam stet illud non perpeti, sed solùm admittere, aut non admittere patienter. 833. *Admissio flagelli, non perpessio confert ad satisfactionem.*

Est ergo illud discrimen inter satisfactionem suscipientis liberè molestum aliquid, & illud dumtaxat patienter tolerantis: quòd suscipientis duplex sit satisfactio, altera nimirùm quatenus eam suscipit, altera quatenus patitur, cùm simplex sit patienter inflictam tolerantis, licet ob patientiæ præstantiam duplicem illam possit superare. Utraque verò tam diu durat, quamdiu voluntas patienter tolerandi, quippe qua nititur tota vis satisfaciendi. 834. *Discrimen inter utramq;*

Ex quo conficitur ubertimam hinc emergere segetem solatii piorum manium, si patientiam illam, seu illius satisfactionem iis destines. Cùm enim alia in eos collata subsidia non longi sint temporis, sed ferè cùm fiunt, desinant (ut largitio stipis, preces, communio) tolerantia certè diuturnitate suâ, vel anni unius, vel plurium, nova semper accessione satisfactionis hominem locupletat, & pios manes levare potest. Quæ res vel sola Amatorem defunctorum, aut ægrum, aut aliter afflictatum, soletur, necesse est: cùm suum reputet illorũ solatium. 835. *Hinc materia solatii defunctorum.*

836. *Opus præceptum potest satisfacere.* Quod si verò constanti flagellorum à Deo inflictorum, quæ vitari nequeunt, tolerantiæ respondet satisfactio, satis exploratum est contra Paludanum, Majorem, Sylvestrum, Antonium, etiam respondere operibus, quomodocumque præceptis, id quod communis sententia profitetur. Et verò patere illud autumes ex sensu Ecclesiæ. Hæc enim jejunium vernum, ac quadragesimale eò præcipit, ut satisfaciamus, contenditque solemnibus precationibus eum finem assequi. Deinde confessarii reis ac confitentibus quædam imponunt, ut per ea pœnæ peccatis debitæ fiat satis. Denique hæc etiam mens Præsidum Religiosorum, causaque pœnas delinquentibus injungendi, ut iis toleratis vinculum pœnæ in Purgatorio alioqui solvendæ dissolvatur. Unde extitit hæc aliquorum persuasio, non esse Sacerdoti ritè fatendas noxas, quæ in capitulo correctæ fuerint; si quidem è venialibus sint, quod admissâ patienterque toleratâ pœnâ, quam Prælatus iis fuerit admensus, nihil restet expiandum. Denique ratio præcepti non efficit, ut opera desinant honesta, & libera, pariterque molesta esse: cur igitur eorum satisfactioni obsit, cùm necessariis ad satisfactionem conditionibus non officiat?

837. *Sit opus molestum.* Denique id hoc loco observandum est, ut opus virtute polleat satisfaciendi, oportere cum aliquâ molestiâ esse conjunctum. Enimvero satisfactio, sonat injuriæ Numini illatæ vindictam, hæc autem pœnam, seu molestiam: igitur satisfactio semper cum molestiâ conjuncta sit, necesse est. Deinde satisfactio exigitur, ut quia per peccatum homo plus sibi, quàm Deo tribuit, reponat eidem Deo, quod sibi arrogavit; ergo aliquam molestiam Dei causâ subeat, ut sic illi se subjiciat. Porrò vis satisfactionis in eo consistit, quòd æquum sit, ut qui ultrò Judicem supremum præveniens, seipse pro culpâ laudabiliter castigavit, is vel leviùs, vel nequaquam à Judice pro ea ipsa culpa castigetur. Quare cæteris paribus illud opus præstat alteri virtute satisfaciendi, quod cum graviori molestiâ conjunctum est. Et propterea rectè advertit Dicastillo, quædam religiosa instituta ad satisfaciendum aliis esse aptiora, quædam ad merendum: illa, quæ dutius vivendi genus sectantur; hæc quæ levius quidem, sed proposito ubi fine nobiliori, ut charitatis divinæ, salutisque etiam alienæ exercitiis nobilioribus procurandæ.

Cæterùm satis inter Theologos receptum est, omne opus aptum ad merendum,

838. *Omne opus* esse quoque ad satisfaciendum; quippe quia omne tale ex se molestum est. Ratio hæc à priori, ut vocant, redditur, quia nullum opus est honestum, quod non adversetur alicui bono vel delectabili, vel utili, vel certè non advehat aliquam secum molestiam. *Alioquin*, ait Lugo, *non esset liberum, si esset merum bonum ex parte objecti, & in exercitio actus.* Nec objicias quædam per se esse jucunda, ut esurienti comedere, sitienti bibere, & ejusdem alia modi; nam ut hæc honestè fiant, ad superiorem ac supernaturalem finem erigenda sunt; id verò eò difficiliùs, quò magis delectant per seipsa. Eò enim magis arduum est voluntatem ab iis velut raptam vinctamque ad finem minimè sensilem abstrahere. *meritorium est satisfactorium.*

Neque iterùm dicas in homine veteranæ virtutis, vel aliunde solatiis divinis affluente molestiam illam aut minimè, aut minimùm sentiri; Etenim nec opus propterea desinit per se molestum esse, neque homo illam molestiam pati, quòd pati desideret, ac lætetur; quod de S. Laurentio, aliisque martyribus, omnino dicendum est, ne illorum gloriæ multum detrahatur. Hæ sunt igitur operis ad satisfaciendum pro piis manibus idonei conditiones; quas eorum Patroni libenter explebunt, cùm intelligant, quidquid molestiæ piis operibus inesse potest, vix umbram esse cruciatuum, quos illa possunt redimere. ô si defunctis ipsis facultas data esset tam facili pretio libertatem suam emendi, quàm citò durus ille & diuturnus carcer lustralis vacuus foret. 839. *Licet aliqua delectent.*

ARTICULUS III.

De intentione ad satisfaciendum pro piis manibus necessaria.

§. 1.

Quæ, & qualis esse debeat?

840. *Opus per se est satisfactorium.* HOc imprimis pono, tamquam exploratum, non exigi ad satisfactionem; ut opus ad illam destinetur. Ut enim vim habet merendi, licet ad merendum non dirigatur, ita & satisfaciendi, præsertim cùm ut semel diximus, satisfactio meritum imitetur. Quin imò addo, eò majorem inesse illi virtutem satisfaciendi, quò minus respicit satisfactionem, aut ad eam refertur. Quemadmodum enim si miles

miles quispiam culpæ ac pœnæ reus egregium in bello stratagema patret, vel corporis sui objectu, periculoque Regem tuendo, vel urbem ab obsidione solvendo, non modò culpæ, sed & pœnæ condonationem meretur, licet de illâ ne cogitarit quidem, imò magis meretur, quò longiùs abfuit à cogitatione, respectuque condonationis, & ad utrumque facinus solo Regis amore adductus est: ita is amplius & meretur, & satisfacit, qui nullo lucri & satisfactionis studio, sed solo Numinis amore ad opera pia honestaque impellitur.

841. *Ut prosit defunctis, iis destinetur.* Eo posito asserendum est oportere opus pium qualecumque destinari piis manibus, ut ejus satisfactio iis prosit. Alioqui enim cùm hæc opus velut naturæ sponte sequatur, illud autem sit operantis, consequitur jus satisfactionis ad operantem pertinere, si operans nulli alteri opus suum nullo modo adscripserit. Dixi jus, non autem satisfactionem. Etenim si operans liber est pœnæ vinculo, seu obligatione, nulla ex ejus opere satisfactio ei provenit, cùm nec esse, nec concipi possit sine aliqua, quam diluat, ad pœnam obligatione. Ergo in thesauro Ecclesiæ eo pacto recondetur, neque, tunc quidem, ulli proderit. Ut igitur id jacturæ certò vitetur, valde conducet, ut operans eâ mente sit, ut si quando liber est ab obligatione pœnæ, aut quia indulgentiam plenam consecutus sit, aut aliâ ratione, operis sui satisfactionem piis manibus condonet. Item si ab eâ obligatione futurus est liber in exitu vitæ, omnem futurorum operum satisfactionem iisdem transcribat; nec enim frustra esse debet, quod animabus adeò egentibus potest prodesse.

842. *Actuali, vel virtuali intentione.* Sed enascitur hinc inter Theologos quæstio, qualis intentio ad hoc requiratur, ut operis satisfactio defunctis utiliter assignetur. Est enim intentionis triplex genus; nimirùm est actualis, virtualis, habitualis. Actuali nihil notius, nihilque certius, aut efficacius ad solatium defunctorum. Virtualis est, quæ manet in vi quadam à qua ad opus impellor, ut cùm intentione ac consilio defunctos juvandi, librum ad legendum eorum gratiâ psalmum quinquagesimum arripui, & legere inchoavi, postea verò mente divagor, dum legere pergo: tum enim satis constat, manere primam illam intentionem; alioqui enim cur pergerem? sed manet in vi quadam, seu in impressa menti quadam tacita voluntate, quæ etsi non percipiatur propter divagationem, tamen in opus influit, ita quidem, ut à priore actuali intentione, re nihil differat, sitque ea ipsa actualis, latenter tamen manens, & velut clanculum opus urgens. Neque dubium esse potest, quin hæc quoque intentio valeat ad opem piis manibus ferendam; alioqui enim totum, quod inter orandum, jejunandum, aliudúe honestum opus per mentis à proposito fine evagationem fieret, iis periret: adeoque vix quidquam è nostris operibus ad eos pertinere posset: quod est falsissimum.

843. *Vel etiam habitualis.* Tertia intentio est habitualis, quæ non aliud est, quàm intentio planè præterita; non tamen plenè retractata; ut cùm heri, aut aliàs fructum faciendarum Missarum defunctis destinavi, neque voluntatem illam retractavi, hodie verò ejus destinationis planè immemor Missam facio, cras item, ac perendiè. Intentio Missarum illarum fructum defunctis transcribendi dicitur habitualis: & quæstio est, an illis prosit. Pauci sunt, qui negent; communis sententia, ut testatur Lugo, affirmat, & meritò. Nam transcriptio illa satisfactionis operum à me patrandorum est donatio, ad quam cùm in humanis sufficiat voluntas habitualis, quidni in proposito? Declaratur. si quis Paterfamilias donet primogenito certam aliquam hæreditatem, quæ quidem necdum obtigit, sed ad quam jus habet; illa certè dum obtinget, erit primogeniti, etsi dormiente Patre obtingat. Item si quis donet alteri fructus ex fundo suo proventuros anno sequenti, aut quid aliud accipiendum postea. Et ratio est, quia ejusmodi donatio est implexa huic conditioni, si hæreditas obtingat, si proveniant fructus: quâ posità, donatio fit absoluta. Ita igitur in proposito, si dones defunctis satisfactiones futuras, valida erit donatio, eisque proderit, quotiescumque aliqua satisfactio ex tuo tamquam fundo proveniet.

844. *Indistincta destinatio non est inutilis.* Deinde non levis quæstio agitari potest, an nisi certo defuncto, vel defunctorum numero, suffragium destinem, ejus satisfactio tam illis, quàm aliis pereat. Tauschius noster l. de Virgine Dolorosa post Bartholomæum Perez omnino perire pronunciat, adeò ut si quis ita secum indistinctè statuat, *Volo hanc orationem solatio ac levamento esse uni è piis manibus*, frustra sit orationis satisfactio. Ego verò generatim quidem affirmo, hujusmodi definitâ destinatione opus esse, ut uni certo, puta fratri, prosis (id enim extra dubitationem) nego tamen satisfactionem perire, si eam indistinctè alicui ex piis manibus assignes. Quid enim hoc aliud, quàm eam Deo offerre, ut cui libet assignet? & quis hujusmodi donationem in humanis validam infitietur? nonne

quotidie stips servo committitur, ut cui videbitur pauperi eam largiatur? Nec dicas consecrationem alicujus ex multis hostiæ, à me non definitæ, invalidam esse. Nam vera consecratio certam designat, cùm sic habeat; *Hoc est Corpus meum, hic Sanguis meus.* Qui ergo incertam menti proponit, contra essentiam consecrationis facit. At destinatio non sic certum defunctum designare debet: Quid enim necesse?

845. *Potest revocari assignatio.*

Cæterùm ex his, quæ hîc dicta sunt, facile est colligere alterius quæstionis decisionem, an qui semel satisfactiones suas, vel in mensem, vel in annum, vel in perpetuum piis manibus addixit, possit eam donationem revocare? est enim sub distinctione respondendum. Ordinariè nimirùm, atque ut aiunt, regulariter, revocati posse; non aliter, quàm Sacerdos, qui crastinum sacrum hodie hujus, vel illius necessitatis publicæ, aut privatæ causâ facere decrevit, potest, & licitè quidem, alterius causâ sacrificare, cùm decretum illud intra fines donationis revocabilis consistat, hæc verò minimè obliget. Quod præsertim hîc ratũ est, ubi nullus est, qui transcriptionem admittat. Extra ordinem verò, dum quis ex mente sese adstringendi, iisdem defunctis futuras satisfactiones addicit, addictio illa valet promissionem Deo factam, atque adeò voti vim habet, ut cùm quis Divo cuidam tabulam pictam promittit, Deo promittere censetur.

§ 2.

Quando satisfactiones sint Defunctis assignandæ.

846. *Explicatur quæstio.*

DUBITATIO in eo sita est, an post opus præstitum sufficiat illius satisfactionem iis transcribere. Enimvero Gertrudem ac Liduinam ita fecisse retulimus; dedit enim utraque defunctis non modò futurorum operum, sed & præteritorum proventus omnes, & cum lumine divino illustrata foret non temerè est erroris hoc in genere damnanda. Et verò satisfactio S. Liduinæ præterita, vel alteri assignata erat, vel ipsi: si prius, facilè fatebor jam alterius fuisse, dum postmodum assignabatur. Si posterius, si, inquam Liduinæ erat ascripta, ergo Liduina ejus erat domina tamquam lytri sui per se parti: quis autem vetet, quin dominus lytri, ac pecuniæ, qua se redimat, eam alteri possit elargiri? Deinde probabile diximus posse Titium satisfactionem sibi ab altero concessam Caio concedere: dum autem Caio concederetur, jam præterita esset, quia non potest uno eodemque tempore esse Titii, & ejusdem non esse, sed Caii.

847. *Solvitur.*

Verumtamen omnino cum Lugo dicendum est destinationem operis satisfactorii, ut vel vivis, vel mortuis prosit, operi ipsi præviam esse oportere; adeò ut non sufficiat, Virgineam corollam, jejunium, & similia, postquam desiêre, Numini offerre in eorum gratiam, sed oblatio hæc opus antecedere debeat. Et ratio est, quòd actio, & opus meum non subsit propriè dominio meo, nisi quatenus subest libertati: quando verò factum est opus, non subest propriè meæ libertati, sic ut illud æquè omittere possim, ac facere: nequit enim infectum esse: ergo nec dominio meo subest, ut illud in alterum possim transferre. Ita argumentatur Lugo. Itaque vel priusquam fiat, vel quando fit, non aliàs, transcribi validè potest. Dicastillo verò post Suarium, ad Dei sic statuentis decretum, non immeritò, nec indoctè, recurrit. Posset enim Deus statuisse, ut etiam cùm factum esset, alteri posset assignari. neque verò tam strictum dominium in opus, quam exigit de Lugo, potest probari. Decretum autem divinum his rebus cernitur. primùm enim, si satisfactionis donatio suspendi posset, possent Beati, & alii, satisfactiones præteritas, nulli assignatas, huic, vel illi impertiri pro arbitrio. Deinde si mihi, vel alteri assignatæ possent revocari, absurdum hoc consequeretur, posse quempiam denuo dignum pœnâ fieri, citra omnem culpam, cum nempe, cui satisfactiones datæ adimerentur, quod contra communem Theologorum sensum esse constat.

848. *Quomodo dari possint satisfactiones præteritæ.*

Jam ut objectis occurramus, observo primùm Liduinam satisfactiones suas præteritas nominatim, ac disertè non dedisse matri; sed indistinctè dolores omnes, virtutumque actiones, quibus ad eam usque diem, qua mater ejus fato concedebat, Deum demerita fuerat. Liberum itaque nobis est, fructum aliquem, qui ex præteritis ejus operibus tunc matri prodesse poterat, in medio ponere. Porrò licet merita quidem Liduinæ matri illius hac donatione venire nequibant, tamen eorum respectu, Deus matri ex misericordiâ placari poterat, per meritum, ut aiunt, congruum, quòd videlicet congrueret divinæ misericordiæ, causâ talis filiæ, sua quantum poterat matri largientis, matris misereri, & satisfactiones ei alienas providere. Deinde hujusmodi Liduinæ omnibus sese abdicantis animus dignus erat, qui eidẽ matri proximè veniam criminum impetraret, & qui seipso, id est,

suamet

ſuamet ſatisfactione multas ejus noxas, pœnarumque obligationes dilueret. Et hoc videlicet, certè non modicum, Liduinæ tribuere fas eſt, plura ſalvo meliore judicio, nefas. niſi dicas Deum præter ordinem, ſatisfactionum Liduinæ partem, quæ matri purgandæ ſufficeret, in futuram ejus mortem reſervaſſe, quod non auſim ego dicere. Cætera jam ſoluta ex dictis videntur. Etſi enim ſatisfactionis præteritæ mihi utcumque aſſignatæ ſim dominus, tamen eam alteri tradere nequeo, ne citra novam meam culpam, fiam ſupplicio dignus. Ea verò ſententia, quæ docet alienam ſatisfactionem mihi traditam alteri poſſe tranſcribi, ſi vera eſt, eâ tantum lege eſt, ut priùs, quàm opus patretur, aut eam mihi Titius aſſignet, velit in meo arbitrio eſſe, ſibi quodammodo præreptam.

§. 3.

Quibus potiſſimùm attribuendæ noſtræ ſatisfactiones.

849. *Iis primùm opitulandum quibus obligor.*

CERTUM eſt primò eas primùm, ac potiſſimùm aſcribendas illis eſſe, quibus obligor. Etenim ut rectè docet Coninck de ordine charitatis dubio 5. *Charitas me ſemper magis inclinat ad faciendum id quod hîc, & nunc facere obligor, quàm ad quodcumque aliud bonum, quantumvis magnum, ſi ad id non obligor, vel etiam minus obligor, quàm ad aliud; atque ita magis me inclinat, ut dem debitam pecuniam diviti creditori, quàm eorelicto pauperi indigenti, cui nihil debeo, cùm utrique dare nequeo, niſi fortè hic ſit in extrema, vel gravi neceſſitate. Et ratio eſt, quia cùm obliger ad ea facienda, pecco ea omittendo, & hæc ponendo, illorum obligationi non facio ſatis. Unde ſi hæc non poſſum facere, niſi illa omittendo, non poſſum hæc facere ſine peccato. Quare ſicut charitas nequit me inclinare ad peccandum, ita nequit obligare, ut hæc omittendo illa faciam.* Hactenus Coninck. Ex quo clarè conſequitur, me parentes, aliosque, quibus opem debeo, non poſſe ſine ope derelinquere, ut amico mortuo opitulet. Si ergo, & parentes, & amicos ſimul ad Purgatorium migraſſe, velin eo hærere exiſtimem, illis priùs, ac magis, quàm his ſuffrager, neceſſe eſt. Priùs igitur pro parentibus, tum pro amicis ſacrificii mei fructum Numini offeram, preces fundam, ſtipem diſtribuam, & alia ejuſmodi faciam, niſi perperam agere mihi conſilium eſt, & pietatem parum piè colere.

850. *Obligatio juſtitiæ ſtrictiſſima.*

Porrò inter eos, quibus obligor, ordo quidam eſt. Et obligatio quidem juſtitiæ inter cæteras principatum tenet; eſt enim ſtrictiſſima, adeò ut religionis, ſeu voti, multoque magis pietatis erga parentes, aut conſanguineos, itemque miſericordiæ erga egentes obligatio illi poſtponenda ſit. Quare obſtrictus ex contractu expreſſo, vel tacito pro Titio mortuo craſtina die ſacrificare, pro eo ſacrificabo, etſi cognatus, germanus frater, imò & pater hodie quoque vitâ functi iſtâmet ope egere cenſeantur. Id quod confirmatur, illuſtraturque: quia præſes religionis in pari extremâ parentis ſui, & Religioſorum ſuorum paupertate, obligatur eos etiam Patri præferre, quoniam bona religionis ſunt religioſorum, quatenus communitatem conſtituunt. Si ergo ratio juſtitiæ Præſidem movere debet ad præferendos ſuomet patri alios, quantum pertinet ad levandam temporalem huius vitæ calamitatem, eadem ratio in ope iis defunctis ferendâ, quibus ex pacto te aſtrinxeris, pietati præpolleat, neceſſe eſt.

851. *Inter parentes ordo.*

Proximum Juſtitiæ locum obtinet pietas in Parentes. Docent enim paſſim Theologi in extrema, vel gravi neceſſitate ſpirituali qualis hæc meritò cenſetur, parentes aliis eſſe præponendos. Quippe quia nobis fuêre principium exiſtendi, tam quod ad corpus attinet, quàm quod ad animam. Atque adeò, ab iis, licet remotiùs, tamen accepimus vitæ beatæ, æternæque olim fruendæ poteſtatem: ac propterea ſimiles Deo, imò quidam dii, quod etiam Ethnici agnoverunt, nobis extitêre. Porrò parentes inter Pater primum locum occupat, mater alterum, exinde uxor, tum filii, præterea reliqui conſanguinei ſuo quiſque ordine, ſive prout magis, minusve, conjuncti ſunt. Adhæc illi qui noſtræ curæ ſunt commiſſi, cæteris paribus, ſunt in Purgatorio præ reliquis adiuvandi. Atque hic eſt ordo caritatis, quamvis ſint, qui filios uxori velint anteferri. Contra quos facit, tum quòd à viro ametur, tamquam bonum præſtantius, quàm filii, videlicet ut eorum principium; tum quòd viro coniunctior, quippe quia una cum ipſo caro effecta ſit. Cæterùm hunc ordinem charitatis *cæteris paribus* etiam in iuvandis piis manibus ſervandum eſſe ſatis compertum eſt, quia cùm iis ex lege caritatis obliger opitulari, ad eius quoque ordinem ſervandum obligari par eſt, ne caritatem contra caritatis leges obſervemus.

852. *Quid de ſalutis ad-*

Dixi, cæteris paribus, quia multi è Theologis docent, ſingularem patronum, ac mecænatem omnibus aliis, præter pa-

jutore, aliisve amicis dicendum.

trem præferri posse, imò Lorca contendit singularem amicum fratri præhabendum. Addit Bannez, & ex eo Turrianus apud Coninck, primùm remotiores consanguineos non necessariò præponi singularibus amicis: quia ad illorum levamen non tanta inest obligatio. Deinde eximium benefactorem in pari necessitate, necessariò præferendum cognatis in tertio, aut quarto gradu. Denique si parentes, ut diximus, primas hîc tenent (quod remotè saltem ab iis habeatur benè ac beatè esse): si quis mihi ad hoc ipsum multo plus, quàm Parentes, contulerit, ut multi confessarii, aliique salutis alienæ studiosi, cæteris dijudicandum relinquo, an non parentibus possint in hoc genere opis anteferri. Ego quidem existimo non defore, qui etiam anteferendos liberè affirment.

853. *In dubio suffragandum sub conditione.*

Verùm ex hoc ordine, ac serie eorum, qui mihi in Purgatorio adjuvandi sunt, perplexa emergit difficultas. Quî enim sciam, quibus primùm opituler, cùm me lateat an pater, an mater, ac singularis patronus pridem vitâ functi, adhuc Purgatorio attineantur? Deinde si primùm, ac præcipuè iis opem debeo, qui mihi conjunctissimi, quomodo sine eorum injuriâ aliis eam feram, quos interim continget decedere? Ergone totam vitam (tamdiu enim dubium restabit) solis parentibus, aut fratribus licebit opitulari? Respondeo ad has & ejusmodi difficultates expediendas conducere, ut eâ lege patri, matriúe, assignemus nostra suffragia, ut si iis non egeant, alteri, qui & eget, & cæteris præferendus est, transcribantur. nec opus est hanc conditionem ad singulas donationes exprimere; sufficit enim ut identidem iteretur, imò ut semel mente expressa non revocetur. quamquam ad securitatem summam expediret sæpiusculè repeti, ne fortè intentio meræ habitualis, etsi contra sensum communem, minus efficax sit.

854. *Iis dando quibus Deus novit me obligari.*

Deinde iis suffragia adscribi possunt, quibus Deus novit me arctiori vinculo obligatum, nec enim causam video, cur voto illi meo non sit facturus satis, cùm ejus hæc sit mens, ac voluntas, ut iis potissimè ea tribuam; & ignorantiam meam, quam excutere nullo modo possum, libenter sit suppleturus. Si dicas duas fortè esse animas, quibus æqualiter sum obstrictus, occurram facilè, si reponam, casum hunc videri metaphysicum. sed fac physicum, ut aiunt, esse, & ita revera evenire; quid tum? Tum, inquis, suffragia mea in irritum cadent, & ad Ecclesiæ thesaurum devolventur. ita P. Benedictus Perez in quodam hac de re tractatulo. At hoc ipsum, nego. Enimverò mea suffragiũ adscribentis mens hæc est, ut prosit alicui, itaque proderit. At cui? nempe illi nominatim cui ascribo. Verùm uni ascribo cùm non uni maximè obstrictus sim: sed æqualiter duobus. Quid tum? nam certè etiam tum mens mea est, ut aut utrique prosit, ac dividatur, aut saltem uni; aut mihi maneat, aut etiam toti Purgatorio: nullo modo ut pereat; nec enim darem, si perire vellem. Cùm igitur do, nolo perire, non ergo in thesaurum Ecclesiæ devolvetur, sed saltem omnibus piis manibus cedet, tamquam bonum iis commune, quippe concessum quidem Purgatorio, sed ad quod nullus jus proprium habet.

855. *Deus mentem assignantis benignè interpretatur.*

Quomodocumque res ista, ac mens mea se habeat, non arbitror Deum tam minutè, & velut insidiosè mentem meam interpretari, quasi si suffragium meum frustra collatum esse vellet, & in thesaurum Ecclesiæ transfundi, cùm alia omnia velit, & thesaurus ille sit copiosissimus, nec umquam exhauriendus. Et verò etiam in foro illo divino valet illa juris regula: *dispositionem quamcumque ita interpretari oportere, potiùs ut valeat, quàm ut pereat.* Quare ego quidem ita de divina bonitate sentiendum existimo, ut vix ullum suffragium mortuis collatum, Purgatorio non prosit. nam si umquam dici debet non prodesse, tunc maximè cùm damnatis assignatur. Verùm etiam tum mens assignantium est, ut prosit, & cùm præter opinionem designatis prodesse non possit, mens certè est, ut eorum cognatis, aut parentibus, aut aliis quibuscumque sit usui. Et idem Numinis consilium est hæredes moventis, ut ex ultimâ defunctorum voluntate, vel sua sponte, stipem erogent, Missas procurent, & alia perficiant. Est etiam ista Sacerdotum Missas facientium voluntas, ut earum fructus defunctis veniat: & eadem denique est accipientium stipem, ob eamque orantium pro illis, ut preces incassum non abeant: sicque Patronos defunctorum, & pauperes, ac pios mortuos in Purgatorio locupletari credibile est. Par enim est ut bona illa tamquam derelicta & quæ nullius propria sunt, iis obtingant, qui vel de Purgatorio benè meriti sunt, vel pia egestate illa sunt promeriti.

856. *Solvitur objectio.*

Nec dicas hujusmodi voluntatem, ut suffragium alteri prosit, si non prosit designato, distinctè exprimi debere, ut revera alteri prosit. Quî enim hoc probes? Quî ostendas tacitam ac confusam voluntatem non sufficere? Si præterea instes cum, qui Titio præter opinionem damnato assignat fructum stipis in egentes erogatæ, nihil omninò de suffragii in alterum translatione

cogitare

cogitare, atque adeò eam non velle, sed ad summum fore ut vellet, si Titio non posse usui esse cognosceret. Respondeo primò vel hanc voluntatis propensionem in causâ tam favorabili dici posse probabiliter sufficere, juxta illud, *Desiderium pauperùm exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Deinde rarum esse ejusmodi eventum, & facilè vitari, si vel semel in vitâ venerit in mentem translationis huiusmodi necessariæ. Cùm enim sit res per se & evidenter bona, voluntas eam statim amplexa fuerit, & in posterum generatim decreverit. Denique qui hæc legit, nunc concipiat voluntatem, ut nulla ex suffragiis à se assignandis fructu careant, omnibus, quæ obiici hîc possunt, sese extricârit.

857. *Præcipua præcipuis, alia aliis suffragia tribuenda.* Cæterùm altera hujusmodi difficultates evadendi via hæc est, ut in dubio an parentes, aut eximii patroni in Purgatorio detineantur, præcipua illis, si egeant, alia nonnulla, & certa amicis, commendatis, aliisque miseris satisfactionum portio assignetur. neque enim iniuriæ sibi vertere possunt, si quid ex ratione grati animi, aut misericordiæ vinculo aliis identidem donetur; ut si cæteris in parentes distributis, indulgentiam ex synaxi generali, aut numismate amico attribuas, aut certam in singulos dies stipem, aut corporis, animiúe afflictationem. Propterea quòd iustè inviti esse nequeunt, si id fiat, quod ratio postulare videtur: præsertim cùm jam per plures dies, aut menses, opem coniunctissimis adferre non desieris, eosque probabilite rè flammeo carcere in cœli atrium evexeris.

858. *An sequendus instinctus.* Et sunt qui nescio quo instinctu hîc se agi sentiunt. Aliquamdiu enim ad cumulanda pro certis defunctis suffragia intus impelluntur, postea impulsus desinit, & ipsi desinunt suffragia illis transcribere; rati iam illos minimè egere, vel Deo in votis esse, ut alius, vel alii, ad quos iuvandos recens impelluntur, eorum suffragiis impertiantur. Quam methodum non improbem in piis, & iam diu istius artis peritis; in aliis, ac promiscuè, neque velim, neque possim probare.

859. *Uni magis prodest suffragium, quàm multis.* Si ponas, & parentibus, & aliis, quibus obstrictus sis, factum utcumque satis, lis est, an præstet certo alicui sigillatim, an omnibus universim manibus suffragari. Quam litem ut dirimam, adverte quod certum est, satisfactionem nostram, cùm limitata sit, pluribus minus, quàm paucioribus prodesse posse, & uni item, quàm duobus, ac propterea omnibus Purgatorii inquilinis perparum solatii conferre. Deinde cùm uni tribuitur, eum citiùs in cœlum subvehere, ubi & Deum citiùs amet, & tibi opitulari possit efficaciùs. Contra autem cùm assignatur pluribus, ac minimè, cùm toti Purgatorii contubernio, quia tardissimè tota, quæ nunc est, turba piorum manium, libera in cœlum feretur. Propter hæc videri potest præstare simpliciter uni, quàm pluribus, & potissimè uni, quàm toti Purgatorio suffragia sua impertiri. Et fateor si spectetur mutuum, quod ab animabus speratur, auxilium, cùm in cœlo sit efficacius, & anima qna à me unicè adiuta, cœlo citiùs potitura sit, præstare unam, quàm plures adiuvare.

860. *Cur potius multis suffragandum.* Verumtamen quia vera charitas mercedem non venatur, & ad gloriam Numinis, animarumque salutem tota fertur, ad plures æquè, atque ad unum iuvandum inclinare videtur, nec refugit toti Purgatorio suffragari. fac enim in tantâ multitudine ex unicâ oratiuncula vix quidquam solatii animas singulas accipere, tamen aliquid accipiunt, & ideò Numini gratias agunt, agentque in æternum. Nec refert, quod unica citiùs Deo sit fruitura, si unicè juvetur. Nam & omnes aliæ ob unicam illam oratiunculam cœlo etiam citiùs invehentur. Et certè Ecclesia prope semper pro omnibus orat, nec pro una, aut paucioribus, nisi sint ex necessariis, ut parentibus, & ejusmodi. Ex quibus clariùs satisfit illi argumento, quod dum omnibus animis nostra suffragia largimur, vix ad singulas quidquam ex iis veniat. Nam ut unicum frumenti granum vix quidem quidquam confert ad civitatis amplæ ac numerosæ famem satiandam, confert tamen cum aliis coniunctum: ita etsi oratio una, aut afflictatio corporis seorsim spectata, perparum omnibus piis manibus opituletur: tamen Ecclesiæ precibus, aliorumque multorum suffragiis mixta, plurimum profit, oportet. Denique etsi minimum sit, quod per te ipse confers, tamen cùm tormenti gravissimi partem aliquam demat, minimum censeri non debet: quia summi illius tormenti, nulla particula non gravis est. Itaque non placet hac in parte doctrina Benedicti Perez, & Tauchii, qui absolutè aiunt, satisfactionem meam ad unam restringendam esse. Qui fortè mecum facient si dixero, sic pro omnibus esse orandum ut Deus multis mortalibus mentem iniiciat defunctos iuvandi.

861. *An sanctioribus potius, quàm aliis.* Ad extremum hîc respondeo isti quæstioni, an potius sanctiores, quàm minus sancti suffragiis nostris sint donandi? Satis enim constat cæteris paribus sanctiores esse præferendos, quòd Deo sint coniunctiores.

Cùm

Cùm enim charitas proximè ad Deum nos ferat, secundùm Deum ad illos amandos juvandosque maximè impellit, qui ad Deum sanctimoniâ magis accedunt. Sed tamen alia identidem occurrunt, quæ mihi persuadeant alios esse sanctioribus anteponendos, nempe majora tormenta, major egestas suffragiorum, ac diuturnitas tolerantiæ: hæc enim acuunt misericordiam. In summâ illi potissimè levandi, quorum in levamento major Dei gloria sita est. Et sic universim statuendum est, secundùm eos, quibus particulari vinculo sumus obstricti, illis esse destinanda nostra suffragia, quos juvari, vel D. Virgini, vel D. Michaeli, aut alicui è sanctis nostris patronis placuerit, vel aliunde magis ad gloriam divinam interest. Et ita omnibus dubiis, ac quæstiunculis, omnibusque jacturæ suffragiorum periculis, facilè nos exsolvemus: & Divos illos eo honore nobis devinciemus.

CAPVT SECVNDVM.

De jejunio, primo utique opere ad satisfaciendum idoneo.

862. *Jejunium inter opera satisfactoria primo loco tractandum.*

TRIA in universum opera satisfactionis fœcunda recenseri solent: jejunium, eleëmosyna, oratio. Cætera enim ad hæc revocantur. Inter ea jejunium primo loco statuimus: tum quia Augustinus in Ps. 42. de operibus justitiæ, seu meritoriis, atque adeò satisfactoriis ita statuit, his verbis, *Hæc Justitia hominis in hac vitâ, ieiunium, eleëmosyna, oratio*: tum quia. Scriptura, cùm de placando à scelerum consciis Deo agit, jejunium, aliasque corporis, animique potissimùm afflictationes producit; ut Joëlis 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu.* Tum denique quia diximus cæteris paribus illa opera esse satisfactionis fertiliora, quæ sunt molestiora. Itaque de jejunio differendum hic primò, prout nomen sonat, ostendendumque defunctis opitulari: tum de eodem agendum prout latè extenditur ad animi corporisque molestias, vel sponte susceptas, vel patienter toleratas. Tu piorum manium Amator, mensæ multis ac variis cibis instructæ accumbere te puta, in qua cùm ex omnibus gustare non liceat, deligenda illa fercula, quæ magis, vel palato arrident, vel ad tuam conferant valetudinem. Interea matrem imitare, quæ non tam sibi, quàm proli comedit: & tu quæ liberis tuis, idest defunctis utiliora sunt, amplectere.

ARTICULUS I.

Jejunium multum valet ad levamen defunctorum.

863. *Nominatim valet jejunium ad defunctos levandos ex Scriptura.*

CUM jeiunium iræ Numinis placandæ, atque adeò pœnæ extinguendæ vim habeat, consequitur piis manibus salutare esse. Id quod ex Comestoris sententiâ traditur Levitici 16. c. ubi Legislator, *Mense*, ait, *septimo affligetis animas vestras*: Hæc enim afflictatio, Philone ac Josepho authoribus, in ieiunio à vespera ad vesperam usque sita erat, atque ut tradit Comestor, *Jeiunabant homines, & iumenta etiam, & pueri septennes, & agebatur ea die memoria mortuorum*, nempe ut eo pacto lustrales eorum pœnæ levarentur. Quem finem ieiunii insinuat factum illustre Galaaditarum, qui post sublata noctu Saülis ac filiorum eius cadavera, probrosè apud Philistinos pendentia, *ieiunaverunt septem diebus*, 1. Reg. 31. nempe *in signum mœroris, & luctus*, ut interpretatur Carthusianus, *& pro spiritibus defunctorum*; nimirùm *ut eo ieiunio limbi quietem eis procurarent.* Et certè Beda l. 4. allegoriarum in Samuelem, in eadem verba: *Et ieiunaverunt septem diebus, rectè*, inquit, *& ad litteram pro mortuis, ut ad requiem pervenire valeant, septem diebus ieiunatur.* Quæ etiam mens Davidis, & eius sociorum, teste Carthusiano videtur fuisse, *Quando planxerunt, & fleverunt, & ieiunaverunt usque ad vesperam*

ram super Saul, & super Ionatham filium eius, & super populum Domini, & super Domum Israel, eo quod corruissent gladio 2. Reg. 1. Enimverò apprimè noverat Regius ille Vates ieiunio reconciliari Deum, propterea què postmodum ad obtinendam filii adulterini vitam illud adhibuit. Quare cùm ieiunium mortuo Sauli, ac Jonathæ sibi carissimo adhibet, demonstrat expiandis illis se adhibere.

864. *Ex sensu etiam Ecclesiæ.* Atque hic fuit deinceps perpetuus Ecclesiæ sensus, & usus. Etsi enim Sancti Patres dum de ope defunctis ferendâ tractant, preces, eleëmosynam, ac sacrificia tantùm commemorent; tamen ieiuniis quoque eos levari non dubitabant, ut patet ex eorum de ieiunii virtute satisfaciendi effatis: & fortasse orationis, ac precum nomine etiam ieiunia intelligebant, cùm orationi vim non mediocrem conferant, & illam comitari essent solita. Certè dum Augustinus vivorum pietate tradit iuvari animas defunctorum, eo nomine ieiunium, quod opus pietatis esse constat, includere videtur, & ante complura sæcula Beda commemorat Angelo teste viventium ieiuniis multos è Purgatoriis flammis eripi: Vide eius historiam lib. 5. c. 13. Quod ipsum alii cælestium Geniorum, apud Birgittam confirmant. Imò longè antehac Carolus Magnus Imperator hanc inter cæteras legem tulit, *Vt fideles pro defunctis amicorum & parentibus eorum, ieiunia, & oblationes triginta dies adimplere faciant.* Ita ipse lib. 6 leg. cap. 195. Accedit quod cùm Sinæ, mysteriis fidei Christianæ jam olim tincti, instituto post omnem memoriam ritu, quater in singulos annos defunctis Regibus ac Reginis parentant, Trigautio teste l. 1. de expeditione ad Sinas c. 7. ad hunc ritum se aliquot diebus prius cõparent, indicto iustitio, & ieiuniis, quæ intra domesticos parietes religiosè observant. Denique sensus Ecclesiæ obscurus esse nequit, tum ex Conciliis Florentino ac Tridentino pronuntiantibus universè animas suffragiis viventium adiuvari, tum ex antiquissimâ Theologorum divisione operum satisfactoriorum, in ieiunium, eleëmosynam, & orationem.

865. *Et exemplis.* Usus autem, & efficacia ieiunii pro defunctis non modò ex allatis Hebrææ Gentis facinoribus, sed etiam ex Christianorum exemplis comprobatur. Atque ut prætermittam, quod narrat Cantipratanus lib. 2. apum cap. 53. in pago ad Lovanium, Juvenem leviculum, ac dissolutum, postquam sacramentali confessione piè peractâ, deletisque noxis vitâ migrarat, matris ieiuniis per quinque annorum spatium interpolatè continuatis, liberum è lustralibus rogis cœlo illatum fuisse: En tibi Lutgardem, de qua sic noster Fisen *in floribus Ecclesiæ Leodiensis* vitæ cap. 7. Suavem necessitudinem virtutis nomine contraxerat cum Simone Abbate Foniacensi, homine recti amante, sed acerbiore in subiectos censore. Hunc cùm immaturâ morte sublatum accepisset, inediâ, variisque afflictationibus castigare corpus instituit, Deumque rogare, ut ereptam suppliciis eius animam cœlo assereret. Adfuit oranti Deus, eiusque gratiâ benè futurum Abbati mortuo adpromisit. Cùm vehementiùs illa precibus instaret, audissetque propediem liberandum Simonem, non eo contenta, *Deus meus*, inquit, *omne hoc solatium ei impende, quod mihi ipsi tuâ pietate concessum velles; non ego lacrymari desinam, non ullam etiam à te quietem, aut delicias admittam, priusquàm illum cruciatibus videam eductum.* Diutiùs affligi suam Sponsam non sustinuit Deus; adfuit mox cum beata illa animâ, & ait, *Ecce quem postulasti, tuum Simonem, omnem iam mœrorem absterge.* In faciem illa cecidit, & pro tanto beneficio divinæ bonitati gratias habuit. Habuit & Lutgardi Simon, magnaque coruscus gloriâ in cœlum abiit. Illam non rarò postea invisens, affirmavit aliquando, totos se undecim annos cruciatibus illis torquendum fuisse, nisi suis ipsa precibus ei subvenisset. Ita Fizen. Addo ego Mariæ Oegniacensis testimonio Lutgardem præcipuam quamdam reorum huius vitæ ac Purgatorii patronam extitisse, & cùm per unum & viginti annos partim solo pane, & aquâ, partim cerevisia tenui, & leguminibus inediam toleraret, ieiunio potissimè piis manibus tantam opem tulisse.

866. *S. Tetta.* Nec impari iure S. Nicolai Tolentinatis egregiam virtutem pios manes levandi consuetæ illius à puero inediæ adscribere possumus. Sed certiora consectemur. Tetta, soror Regis cuiusdam Angliæ, cœnobio præsedit, in quo Sanctimoniales insano in defunctam sodalem odio ardebant, quòd vivens in eas severiùs egisset. Insaniam, ac crudelitatem, metire. Tumbam illius adibant non precum causâ, sed maledictorum in manes eius ingerendorum, quibus addidêre saltus, atque insultationes super tumulum, qui (mirum dictu!) ad medium pedem infra pavimentum depressus est. Tetta igitur tantæ inhumanitatis sanctè impatiens, sanctimoniales omnes convocavit, rei indignitatem demonstravit, ac denique eas ad miserationem in defunctam flexit. Quamobrem tempus opportunum nacta, inediam eis triduanam, precesque, ac solemnes cantus indixit, in mor-

tuæ solatium. Quibus peractis unà cùm cœtu universo ad tumulum perrexit, cum iis prostrata cum lacrymis misericordiam demortuæ divinam imploravit; & ecce, mirum iterùm dictu! tellus loculo incumbens priùs depressa uno prope momento temporis se sursum extollens, pavimento reliquo adæquata est. Unde Tetta intellexit, & cœnobio jam meliùs esse, & defunctæ leniùs.

867. *B. Gratia.* De Gratiâ Virgine Valentinâ, Ordinis Minimorum, ita refert noster Rho Exemplorum l. 1. c. 4. exemp. 4. Tenerum hujus virginis studium, & crebra in animas veterum delictorum rubiginem flammis exurentium officia, cùm Valentiæ notissima essent, accurrebant ad eam, quicumque illis benefactum vellent, ejusque operâ in distribuendis eleemosynis, sacrisque procurandis fidelissima utebantur, nec illa omni ope deerat: fuit cùm adolescentulam adhuc, unius animæ libertas triduo suo in conclavi, sine cibo, sine potu validissimè in preces incumbentem attinuit, auditaque est velut colluctantis gemitus edere; demum liber spiritus impetratæ libertatis gratias agere clarissimâ in luce, candidoque amictu, ac relaturum se polliceri eis, qui per rimas ad fores curiosiùs speculabantur, visus est, & ductore Angelo liberum ad cœlum iter ingredi. Quis non triduano suo carcere amicorum non consulat libertati. Minùs amat, qui nihil patiendo amat. Ita Joannes Rho è Soc. Jesu. Cui addere licet parum etiam illum suos mortuos amare, qui suo jejunio non vult illis cælestem cibum parare.

ARTICULUS II.

De aliis corporis afflictationibus.

868. *Usus afflictationum corporis antiquissimus.* AD jejunium revocantur quælibet aliæ afflictationes voluntariæ, seu corporis, seu mentis, de quibus breviter hîc dicendum. Ac primùm de corporis multiplici maceratione hæc subjicio. Jam inde ab incunte Christi Ecclesia fuisse illam in usu unde existit illud Pauli. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* quam castigationem meritò authores, nominatimque Gretserus lib. de disciplinis, existimant esse flagellationem voluntariam, quam nunc disciplinam appellitamus. Deinde consequentibus ætatibus semper à sanctis viris, ac fœminis usurpatum, ut patet ex Cæciliæ facto, cilicio membra domantis, etiamtum cùm in nuptiali epulo festivis modis organa resonarent, item ex aliis multis, quibus acta Sanctorum plena sunt, maximè à tempore S. Benedicti, qui cilicio pro veste usus; quod exemplum Maurus ejus discipulus est imitatus, qui suum subter vestem ad talos usque pendulum gerebat.

§. 1.

De Disciplinis.

PORRÒ cum cilicii usus corporis valetudini incommodare possit, flagellatio nonnullis, seu Religiosis, seu secularibus acceptior est, potissimè quòd corpus acriùs pungat, atque adeò ad satisfactionem pro suis, vel alienis delictis aptior videatur. 869. *Flagellationis usus in solatium defunctorum.*

Hac igitur ad solatium piorum manium usi sunt complures, & vide quo fructu. Sic enim refert Cantipratanus l. 2. c. 5. Ottone Imperatore mortuo, quædam ejus cognata in monasterio Virginum præerat, quæ zelo castimoniæ circa subditas mirè fervebat. Observans ergo die quadam fenestram locutorii summo mane, quemdam leviter pulsantem audivit: quâ apertâ ecce Imperator apparens Materteræ dixit: *Defunctus ego sum, & in Purgatorio pœnis excrucior, dirigas ergo nuncios ad diversa, & devota cœnobia, & decies mille psalteria pro me legi facias, ita ut ad singulos psalmos accipiatur decem ictuum disciplina, & ad unumquemque versum addatur salutatio Angelica, & oratio Dominica; psalmus verò De profundis, quando accipitur disciplina, dicatur. Talibus remediis post mortem vivens merebor liberari.* Et nota quod idem Otto benignissimus Imperator anno præcedenti mortem suam, infinitam annonam tempore charitatis diversis monasteriis & pauperibus diviserat largâ manu. Nec mora missis nuntiis, ut jusserat Materteræ, negotium ejus summâ cum devotione susceptum est, & perfectum. Apparens ergo dictæ Materteræ ad eumdem locum fenestræ, quem diximus, in aurorâ tantâ claritate circumdatus est, ut illa nullo modo eum cerneret. sed audivit: *Gratias reddo tibi, & gratias age pro me misericordissimo Domino, quia jam à pœnis ereptus ad gloriam transeo sempiternam.* nec mireris, Lector, quia ab illis audivi, qui interfuerunt diutino languori ejus, & morti, quod omni die Sacerdotibus Christi dorsum suum tradidit flagellandum. Ita Cantipratanus.

Porrò

870. *Petrus Arriaga Soc. Iesu.*

Porrò sunt & recentia ejusdem generis argumenta charitatis silentio minimè prætereunda. Quis enim non laudet Petrum Arriagam Soc. Jesu, qui inter alia pietatis officia, quæ levamento illorum devovebat, quot noctibus acriter verberabat sese, etiam cùm quartanâ laboraret; unde obtigit illi sub mortem res planè miranda. Cùm enim nullam in eo deprehendere micationem cordis possent medici, propterea quæ vehementer mirarentur vitæ adhuc plenum videri, sub vesperam lucis Sanctis omnibus sacræ, ipso temporis momento, quo pro defunctis occæptæ preces, Petrus carcere corporis solutus cœlum petiit, cinctus, ut piè creditum, honestissimâ eorum, quos adhuc adjuverat, coronâ, cum gratiarum actione ei congratulantium. Vide nostrum Philippum Allegambe in sua bibliotheca.

871. *Catharina de Cardona.*

Venerabilis virgo, Catharina de Cardona multas animas expiatricibus pœnis exsolvisse traditur, quæ postea grates ei ut persolverent, videndas se præbuere; Inter quas anima Principis Ruy-Gomez, Ducis Pastranæ mortui 9. Julii 1573. ipso mortis tempore ei apparens dixit sese eleëmosynis, quas ipsa ejus mandato atque ære dispertierat, à peccatis, atque à morte æternâ liberatum esse. Adiecit sese inexplicabilibus tormentis cruciatum, Catharinæ preces, atque alia officia charitatis postulare, voluitque confestim Missas fieri, quas eius coniux iussura erat, ac tum quidem Catharinæ oculis se subduxit. Illa verò intimo doloris sensu percita illico flagrum arripit, terga immaniter cædit, usque eo, ut eius cruore pavimentum innatet. Ergo manè sequenti Patrum Carmelitanorum Vicarius, cui Catharina se subiecerat, eam adiens, ut vidit cellam sanguine tinctam, immoderatæ in se sævitiæ graviter eam incusavit; quare ostentum ac mortem Ducis excusare coacta est. Observavit sedulò tempus ostenti Vicarius, & Principissæ litteris, tribus post diebus, acceptis, non inane fuisse comperit. Princeps autem deinde Catharinæ iterum spectabilis gratias egit ingentes, exclamavitque hunc in modum, *O si homines nossent, quantis eximat suppliciis munificentia in egentes! quantósque conferat thesauros! cuncta pauperibus ac sacris hominibus largirentur, ut eorum communione precum donarentur.* Ita Carmelitanarum Annales Anno salutis 1572. in vita Catharinæ de Cardona.

872. *Dominicana soror.*

Notum est D. Dominicum ex trinâ flagellatione, qua corpus quot noctibus dilacerabat alteram transcripsisse in levamentum piorum manium. En eius filiam dignam tanto Patre, Venerabilis Soror Joanna de S. Catharina piis manibus, dum in vivis ageret, non vulgariter addicta fuisse videtur, cùm vitâ functa eorum solatium ita procuravit. Nimirùm spectandam exhibuit se cuidam suæ discipulæ, cui nomen Magdalena à S. Alexio, duobus ab obitu annis, dixitque inter cætera abdicandum illi parentum amorem immoderatum, quippe quòd sibi hærendum in Purgatorio fuerit, quòd vel semel inaniter tristata fuisset non acceptis à parentibus nunciis, ac semel iis acceptis inaniter gavisa. Tantum animi nitorem in sponsis suis, cœlestis Sponsus exigit! Porrò jussit ut in expiandarum levamen Magdalena facultatem à Præside sua peteret, tertiò in singulas hebdomades flagris in se sæviendi. Tum ut ostenti veritatem velut sentiret, manu arreptam duxit in loca purgantia, ubi admirabiles levium culparum pœnas ostendit, ac deinde vehementer hortata est ad levamen animarum, tum ad fugam noxarum tantis pœnis castigandarum. Id verò inter cætera perquàm observandum protulit, *Longè satius esse hac in vitâ dicere, miserere, quàm in alia miseremini: & si ob levem dicti alicuius impatientiam tantæ pœnæ sint subeundæ, quantis sint puniendi, qui amara dicta iaciunt, & charitatis leges violare nihil habent pensi.* Mitto B. Franciscum à Puero Jesu Carmelitanum Discalceatum, qui eorum manium causâ vehementer, & extra ordinem corpus flagris lacerabat. Denique mitto plurimos viros, ac feminas sive Religiosas, sive sæculares, quæ id voluntarii supplicii eâdem causâ subeunt, cùm piis sit perfamiliare. O Ita sit frequens, ut flagellorum virgarumque agitatione ultrix flamma dissipetur! ita piè crudele, ut sanguinis pluviâ brevi extinguatur!

§ 2.

De quolibet alio genere corporalis afflictationis sponte susceptæ.

873. *Sponte susceptæ cruciatus pro defunctis à B. Aleyde.*

Sponte susceptas afflictationes præmitto aliis aliunde immissis, quia simpliciter iis præstant & ad meritum, & ad satisfactionem. Cùm enim aliunde immissæ æquo, aut etiam libenti animo perferantur dumtaxat, sponte susceptæ & libenti animo subeuntur, & præterea eodem assumuntur. Cæterùm inter sponte susceptas etiam numero cœlitus petitas, atque acceptas pro voto; quoniam efficax voluntas ab alio patiendi, alteri illi à se pa-

tiendi, par esse videtur, soletque utraque fortibus animis pariter insidere. Porrò in utroque illo genere excelluit B. Aleydis, Belgii nostri decus, de qua sic Henriquez in ejus vitâ. *Quædam anima quærens locum refrigerii, quæ gravi per annum succubuit cruciatui, post horam Completorii apparuit ad ostium, vel fenestram lecti ancillæ Domini, ipsius suffragio à vehementi pœnæ fastidio cupiens refoveri: pro cuius tormenti remedio cùm se totam per aliquod tempus fructui pœnitentiæ subegisset, meruit pro sua reverentia exaudiri, & prædicta anima à cruciatibus liberari.* Et postmodum ita refert Historicus: *Tantam in se patiebatur charitatis violentiam, tantámque pro humani generis salute gestabat sollicitudinem, ut vivis non paucis corde conturbatis, atque à carnalibus desideriis tentatis, per eam salutis traditis pœna plurimis defunctis mitigata, & per eius desideria ipsis pace reformatis sibi non posset sufficere: sed Deum precibus incessanter, & gemitibus oravit, ut pœnam Purgatorii defunctis omnibus laxaret, & viventes similiter à peccatis purgaret, sub huius formæ conditione, quod vindictam omnem pro singulis sustineret.* ita Henriquez, qui addit eam annuo spatio admirabili & intolerabili cruciatu totis membris excarnificatam esse. sed piissimæ illi Virgini cruciatus omnis jucundus erat modò miserrimas animas levaret.

874. *A Catharina Riccia.* Oraverat Deum Catharina Riccia pro familiaribus quibusdam vitâ functis, neque dum exoraverat. Ergo reliquis eorum pœnis subeundis paratam se profitetur. Tum verò invasit eam ardor adeò sævus, ut eo ipso tactum cubiculum ardere videretur: nec dubium, quin ille libertatis quietisque amicorum manium index foret. Simili pacto cum Judice inito Benincasa Neapolitana pro sorore Bernardinâ decennium acerbissimis doloribus laboravit: reliquum deinde vitæ pro Catharinâ itidem sorore. Itaque illi amare vel sic dulcius fuit, quàm vivere. Vide nostrum Joannem Rho in exemplis de Purgandarum animarum amore.

875. *Catharina de Raconis.* Eximia quoque fuit Catharinæ de Raconis ex tertio S. Dominici Ordine pietas in miseros manes. Nam si ejus votis annuisset Deus, nullum corporis illius membrum eorum causâ non diris quotidie tortum fuisset doloribus. Sæpe Numen precibus fatigavit, ut mundo huic Purgatorios ignes inveheret, ut semet ipsa vivam iis immergere posset. Sæpe corpus, animumque eidem promptum paratum obtulit, saltem ut lustralium tormentorum parte aliqua eosdem levaret. Et placuit Superis non rarò eam voti hujus compotem facere, immissis illi atrocibus præter naturæ ordinem cruciatibus, quos libentissimè tolerabat. Quondam cùm dolorum suorum satisfactionem ad quinos dies cuidam feminæ vitâ functæ addixisset, his elapsis liberam cœlo inferre se vidit, cùm gratiis actis exclamasset. *O! quàm longè alius est lustralis carcer, quàm passim creditur!* Aliàs matre cujusdam Prioris Dominicani mortua, in Purgatorium rapta fuit, audivitque ex eâ & tormenti, quod patiebatur, atrocitatem, & moram, nisi aliquorum subsidio contraheretur. Cùm sibi reddita esset, Priorem illum de tota re certiorem fecit; ipsa verò caput suum devovit in omne genus cruciamenti; ut reliquias pœnæ illius deleret. Et auditæ sunt cœlitus preces. Nam quinque & decem dierum intervallo, tam gravibus doloribus excarnificata fuit, ut vitæ authores credant lustralibus non impares extitisse. Similia de Sanctimoniali, nomine Rosa: Item de altera nomine Joanna de Caietta referunt, quibus supersedeo, & transeo ad laudabilissimam Carmelitarum consuetudinem.

876. *Carmelitanis.* Cùm primùm instauratus est à S. Theresia Ordo Carmeli; in eum introductus est mos sanctissimus, ut post Officiū defunctorum ipso die Commemorationis decantatum, omnes Ascetæ in unum locum commeent. Tum prior Cœnobii expositā piorum manium necessitate, à singulis velut stipem ad levamen tormentorum petat. Ita plurimi suas omnes satisfactiones ad diem usque Commemorationis sequentis in eos transcribunt. Alii certas pœnas, & afflictationes voluntarias iisdem addicunt; adeò ut non sine grandi animarum lucro dies iste abeat: & necesse sit nonnullorum in eo genere studium ac liberalitatem moderari.

877. *Et aliis multis.* Denique Beatus Henricus Suso parentem suam mortuam inauditis cruciatibus, quibus in corpus suum sæviebat, Purgatorio exemit. Venerabilis P. Augustinus Espinosa S. Jesu, dictus Pœnitens, à gravibus, quæ sponte subibat, suppliciis, iis ipsis animas complures mirificè adjuvit, quæ & gratias illi egere. Idem præstitit B. Agatha de Cruce Ordinis S. Dominici solita subinde tanquam Purgatorios dolores, dum viveret, in eorum gratiam persentire. Idem B. Joanna de Cruce tertii Ordinis S. Francisci factitavit, cò etiam impulsa, quòd cælitus obtinuisset, ut singulis feriis quartis in Purgatorium ab Angelo Custode deduceretur, unde plurimas animas iisdem diebus educebat. Idem Passidea Senensis Virgo sanctimoniâ clarissima. Idem alii, & aliæ,

quas

quas mihi longum esset recensere, tibi, mi Lector, brevius, & utilius erit imitari.

§. 3.

De laudabili patientia Dolorum corporis aliunde illatorum.

878. *Patientia rerum adversarum defunctos levat.*

LAUDABILEM hîc intelligo, quæ à fine supernaturali laudem, dignitatemque sortitur, ut si famem, sitim, morbos, licet necessariò, tamen æquo animo patiare ad Majorem Numinis eos inferentis gloriam, ad testandam voluntatis tuæ cum Conditoris voluntate consensionem, atque ad alios ejusmodi fines Christiano homine dignos. Alioqui enim flagella ista nec ad meritum, nec ad satisfactionem valent; tantum abest, ut eorum perpessio defunctis possit prodesse. Porrò Christianæ patientiæ vim ad eos levandos his rebus metiri licet. Primùm quod per patientiam animus Deo vindici submittatur, ejusque proinde majestatem agnoscat, ac veneretur. nam submissio illa valet utique ad reparandam injuriam eidem Numini culpis nostris illatam, cùm quibuslibet culpis aliqua contemptus Dei ratio contineatur. Valet itaque eadem submissio, ac patientia, ad satisfaciendum pro culpis, pœnisque piorum manium, si illis addicatur. Deinde patientia rerum molestarum est foris, ac præter voluntatem obtingentium. Quare libertate alicujus compensanda videtur. Cujus rei figuram habes in sacrâ historiâ, ubi si herus servum percussisset graviùs, dimittere illum jubebatur. Sic enim apud Hebræos Rabbi Johanan: *Quem Deus amat, corrigit, & punit. Si herus dentem, aut oculum excutit, Dei lege tenetur eum liberum dimittere; quanto magis liberum hominem facient flagella à Deo inflicta, quæ totum hominem corripiunt!* Sic ipse. Si ergo fructus patientiæ piis manibus assignetur, libertatis dulcissimum fructum eis gustare licebit, atque adeò patienti fructum divinæ voluptatis.

879. *Patientia est desponsatio cum sponso cœlesti.*

Denique idem conficere est ex hac Blosii c. 9. Monilis oratione. *Sancta Gertrudis divinitus intellexit, quod quemadmodum annulus est signum desponsationis: ita adversitas tam corporalis, quàm spiritualis humiliter propter Deum tolerata, est verissimum signum divinæ electionis, & quasi desponsatio animæ cum Deo, in tantum, ut gravatus quisque dicere possit confidenter hæc verba. Annulo suo subarrhavit me Dominus meus IESVS CHRISTVS. Quod si inter adversa potest dono Dei etiam laudare Deum, & ei ex animo gratias agere, iam tamquam sponsa amabilis coronam obtinet à Domino, quia gratitudo animi in adversis est ornatissima, & pretiosissima corona animæ.* Ita Blosius. Quis autem non videt, quin sponsus cùm sponsam sibi despondet, eamque coronâ nuptiali cingit, promptissimus sit ad condonandas illi cum suas, tum aliorum, pro quibus orat, culpas, ac pœnas? Quis non intelligit cælestem Sponsum cæteros in eo genere lenitatis anteire?

880. *D. Laurentii virtus ad animas levandas.*

Itaque eâ causâ crediderim prærogativam illam D. Laurentio concessam esse, ut qualibet feriâ sexta animam unam è purgante ergastulo liberet. Ejus meminit. Gregorius Turonensis sermone quem de eodem scripsit, confirmatque authoritate Abbatis probatæ fidei, ac sanctimoniæ, qui cùm cœnobio S. Laurentii in Gallia præesset, mirabili ostento eam rem edoctus est: sub cujus ostenti finem sic eum affatur Angelus. *Abba, iste, quem cernis, Levita Laurentius, qui Martyrium, & ignem pro Christi nomine passus, tanto hoc privilegio insigniri meruit, ut qualibet hebdomadâ animam unam è Purgatoriis ignibus possit eximere.* Hactenus Angelus. Ex quo intelligis tormentorum corporis tolerantiam majorem in modum expiandis animis opitulari.

Patientia B. Danielis multas animas cœlo infert.

Sed dubitationem omnem eximet Pater Antonius Daniel è Societate Jesu in Nova Francia crudelissimè ab Hieroquiis, fidei, ut videtur, causâ interemptus. Is uni è nostris homini sanctitatis præcipuæ, & probatissimæ humilitatis, semel atque iterum post mortem adesse visus est. Ac primùm quidem patribus in exilium actis, agentibusque, ut assolent, de re Christiana promovenda, author hortando fuit, ut salutem infidelium strenuè pro Dei gloria procurarent. Postea se conspiciendum de integro dedit, augustiore vultu, & majus quiddam humano spirans; annos ætatis præ se circiter tricenos ferens, quamquam duodequinquagenos egisset in vivis. Scisciranti autem ei, cujus se obtulerat aspectui, ecquid consilii fuerit divino Numini, in ea tam indigna sævitia barbaris in servi sui corpus permittenda, & eo demum flammis funditus abolendo. Respondit, *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*, qui horum servi sui opprobriorum, contumeliarumque respectu, multas mihi animas è Purgatoriis ignibus erutas dedit, quæ meum in Cœlos triumphum ornarent. Atque his dictis videri desiit. Ita Pater Allegambe in mortibus Nostrorum illustribus.

881. Idem quoque ex subjecta historiâ luculenter patebit, quam ex Cœnobii S. Trudonis manuscripto erutam producit Elias à Theresia legationis suæ l. 2. c. 23. Tempore hujus Abbatis, nempe Willielmi, qui ex Investito Aquisgranensi factus fuerat Abbas S. Trudonis prope Traiectum ad Mosam, circa Annum Domini 1250. contigit unum devotum hujus loci Monachum ab hoc sæculo transire, qui in ipsamet nocte Abbati comparens ad pœnas Purgatorii addictum se ingemuit. cui compatiens Abbas ipse quæsivit per quem modum efficaciùs liberari posset. In suburbio quod novæ domus dicitur, inquit, matrona paupercula moratur sub domuncula illius plateæ, cujus pœnitentia mihi præcipuè auxiliabitur: sicque anima illa evanuit. Igitur mane facto, misso festinante nuntio invenitur illa in tali domuncula, & nomine eodem nuncupata, prout anima illa prædixit. Quæ cùm præsentiæ ipsius Abbatis consedisset, interrogata de statu, & modo suo vivendi, respondit. Charissime Domine, ego peccatrix maritata sum, nullius meriti conscia, quæ habeo maritum insolentem, ebrietatem frequentantem, qui dum serò de taberna domunculam nostram intrat, filantem me invenit, & cùm paventem me respicit, maledictione, cum gravibus verberibus, sine demeritis indesinenter afficit. Tunc Abbas; Quid agis filia post tanta gravamina? respondet, prosterno me ad orationem, & tunc recolo Passionem Christi, & continuò tam dulcem consolationem in mente sentio, quod omnium miseriarum pondus pro nihilo reputo. O Charissima, Rogo te, inquit Abbas, ut velis nuper defunctum nostrum confratrem pœnitentiæ, & orationum tuarum facere participem. Cui illa, liberaliter, ait, prosit illi totaliter, si quid in Christo gratum offerre merui, & sic ad sua recessit. Nocte igitur sequenti Abbati in suo strato quiescenti anima illa in claritate magna apparens, gratias illi obtulit, quia à pœnis se liberatam, & ad æterna gaudia se ascendentem dulci voce resonans continuò evanuit. En ergo habes, quam vim habeat satisfaciendi adversorum patientia, etiam eorum quæ inopinato, ac præter voluntatem occurrunt: Quæso te vehementer ut non frustra habeas. Memento quantum tuâ causâ tui laboraverint defuncti: quantum etiamnum tolerent: & saltem hoc illis da, ut quod necessariò pateris, pro illis patiaris.

Paupercula mulier patientia monachũ liberat.

ARTICULUS III.

De patientia probrorum.

§ 1.

Iniuriarum condonatio multum valet ad levandas defunctorum animas.

882. VALERE quidem exploratum est ex illo Christi effato Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra.* Item ex hoc communi pronuntiato ejusdem Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Ex quo loco arguere etiam licet vim eximiam satisfactionis insitam huic generi misericordiæ, quia qui injuriam famæ illatam condonat, plus aliquid donat, quàm si fortunas largiretur, quandoquidem *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Unde condonationis difficultas emergit, (præsertim, quod nomen hoc injuria velut discerpatur, ac dilapidetur) estque idem injuriam remittere, ac nominis, & famæ jacturam æquo animo ferre. Si verò de damno, fortunis, aut corpori illato agitur, & illud condonare, arduum sit, necesse est. Nam in eo inferendo contemptus ut plurimum intervenit, quem concoquere, indoli humanæ, utpote superbæ, perquàm difficile. Quare etsi vindicta neque deceat hominem, neque utilis sit illi, vixque aliquam momenti ullius pariat voluptatem, quam cruciatus conscientiæ intolerandus continuò excipit, etsi condonatione egregium charitatis in Deum, ac proximum officium, Christi Domini nostri, ac Patris cælestis imitatio, pax animi, ac vitæ tranquillitas, ac denique firma spes obtinendæ pariter à Deo veniæ contineatur, tamen ad levis injuriæ sensum exardescit animus, sanguis ebullit, mens ad ultionem anhelat, & experientia ipsa demonstrat, non nisi magnâ virtute posse appetitum vindictæ comprimi. Quare cùm opus eò potentius sit ad satisfaciendum, quò difficilius, exploratum est injuriæ remissioni non vulgarem inesse vim piis manibus opitulandi.

Ostenditur.

883. Testis mihi locuples illa mater, quæ condonatione cædis unici filii, ipsummet filium igneo carcere liberavit. Rem, ac stylum ex nostro Osorio mutuor. Sic igitur ipse. *Vidua erat unicum habens filium illustrem, & hæredem multorum bonorum.*

Condonatione necis filii sui mater eum liberat Purgatorio.

Hunc

Hunc occidit inimicus eius, & continuò se abscondit. Cúmque à prætore inquireretur ad necem, novit mater filii mortui eò Prætorem ire velle, ubi se abdiderat occisor filii sui, & in corde etiam materno tantum valuit dilectio Dei, ut decreverit filii occisorem liberare, quod & fecit, mittens occisori filii sui equum, & pecunias, monénsque fugam: quod cùm fecisset, ingressa est oratorium, & pro filii animâ oravit. Cui oranti continuò adstitit filius luce ornatus, matremque sic affatus est. Cùm inimico pepercisti, & pro me orasti, mater mea verè effecta es plus, quàm cùm me genuisti. Insigni enim tua charitate, & oratione à Deo obtinuisti veniam omnium meorum peccatorum, & indulgentiam consecutus sum multorum annorum, qui mihi restabant in Purgatorio exolvendi, sícque in matris oculis cœlum ascendit. Tantum apud Deum valet oratio post dimissas iniurias. Ita Osorius: O si multas hujusmodi matres orbis haberet! quot liberi ex isto carcere brevi in Cœlum emicarent.

884. *Lucia Narniensis veniâ ejusmodi multos Purgatorio eximit.*

Non absimile est, quod de Beata Lucia Narniensi commemorat Joannes Rechac Dominicanus in Sanctimonialium ejusdem ordinis actis. Hæc quotquot paulo ante obitum defunctos Deo commendavit post synaxim, eos purgantibus flammis eripuisse fertur. Imprimis Ferrariæ Ducem, insignem suum Mœcenatem, & Pontificis Datarium avunculum suum, itemque fratrem. Vis causam? Per summam sibi subjectarum injuriam Præsidis inter Religiosas gradu deturbata fuerat: insuper fictæ virtutis insimulata, imo pro stolidâ, quin & pro sacris interdictâ per triginta annos domi forisque habita, quæ omnia æquissimo animo toleravit. O igitur felicia, & verè honorifica probra, quæ defunctos ad gloriam cælestem tam facilè evehunt.

§. 2.

Negatus funeris honor subinde prodest defunctis.

885. *Declaratur exemplo S. Pachomii.*

His annecto rem miram, & quæ peritis moveat non vulgarem difficultatem. S. Pachomius à quodam Episcopo accersitus, judicavit è re esse, ut omnia monasteria ditioni suæ subiecta lustraret. In itinere vidit monacho nuper admodum officii sui negligenti, & iam vitâ defuncto, multos alios cum cantu, & honore exequias ferre longa parentum amicorumque serie comitante. Cùm accessisset, subsistere omnes iussit, & silere, tumque velamen funebre perquàm magnificum è sandapila tolli, ac comburi coram omnibus, & cantum desinere, & ita deferri, inhumaríque cadaver. Mirari omnes imperium tale, tamque insuetum, parentes Pachomium flagitare, saltem ut psalmi in exequiis de more decantarentur. Quod cùm negaret Vir Dei, illi in murmurationem abiêre. Enimverò numquam quid simile visum, auditumúe, neminem hominis mortui non misereri, licet inimici. Videret ne bestiis efferatior esset, non modò ne quid sanctimoniæ suæ indignum faceret. Denique hoc pacto detrahi honori parentum defuncti, suo, inquam, quem integrum esse vellet. Quare mortuum cœptis iam officiis impertiri sineret. Ad hæc Pachomius sedatè, maior, ait, me, quàm vos cæpit defuncti miseratio. Quippe cura hæc vestra non aliud spectat quàm quod sub oculos cadit, ac fluxum est: at ego contrà animæ illius commodum, cuius causâ id præcipio. Vos certè tali honore supra fidem vestram illi incommodatis, at mihi consilium est hoc probro eidem favere, atque aliquid ad lytrum illius conferre. Quod si vobis postulata concederem, argueret me Deus, quòd vestri potius, quàm ipsius respectum, ac animæ defuncti rationem haberem. Itaque quod iubeo, æqui bonique consulite, ut ille aliquid inde levaminis capere possit. his & eiusmodi dictis persuasit illis ut terræ illum in aliquo è sepulchris consuetis sine honore mandarent.

886. *Expositio auxilii inde profecti.*

Ubi mirum est profectò, quod vir ille sanctus asserit, eam funeris magnificentiam defuncto incommodare posse, contra verò prodesse ad quietem, ac levamentum eiusdem funeris humilitatem. Sed admirationi satisfiet, si cogitemus primùm magnificentiam illi obesse potuisse, quòd subsidium animæ impediret; utique illud quod à parentum modestia, atque humilitate Christianâ profectum fuisset, quo pacto funeris humilitas potuit prodesse. Deinde dici potest pœnam illam negligentiæ defuncti, quemadmodum cæteris monachis utilem, ita & piis illius manibus salutarem, non quidem per sese, quasi benè sit illis, quòd cadaveri male, sed quatenus aliis isto exemplo perculsis preces pro defuncto fundendæ plus valituræ erant, utique ex animæ demissione profecturæ. Ad extremum fortè cadaveri illatum probrum ex quadam Numinis misericordia, & velut de congruo merebatur ut animæ solatium aliquod accederet, idque forsitan sancto viro erat promissum. Vide S. Pachomii vitam apud nostrum Heribertum Rosweydum in vitis Patrum. P. 129.

CAPUT

CAPVT TERTIVM.

De eleëmosynæ virtute satisfaciendi pro defunctis.

ARTICULUS I.

Exponitur.

887. *Ex Scriptura.*

NIHIL est Cypriano teste l. de opere, & eleëmosynis, quod sacra Evangelia frequentiùs præcipiant, quàm ut Christiani stipi largiendæ, atque adeò cœlestibus thesauris cumulandis, incumbant. Addere possum vix quidquam esse, quod in veteri instrumento crebriùs impensiusque commendetur, quàm idem genus misericordiæ. Cujus ratio multiplex est, quemadmodum & multiplex illius fructus. Sed nos unicum jam sectamur satisfactionis. Porrò nec ille obscurus cuiquam esse potest. Nam Tobiæ sic Angelus c. 12. *Eleëmosyna*, inquit, *morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam.* Et ipsemet Tobias c. 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Et ante illum Sapiens. *Per misericordiam*, ait, Prov. 15. *& per fidem purgantur peccata*, nempe venialia, & ipsa simul cum suis, nec non mortalium reliquiis, seu pœnis utrisque debitis condonantur.

888. *Similitudo eleëmosynæ cum aqua.*

Id porrò ut altiùs mentibus nostris insideat, varia similitudine illustrat Spiritus Sanctus. Celebris eleëmosynæ cum aqua, quam profert Siracides cap. 3. hisce verbis, *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleëmosyna resistit peccatis*: quasi dicat, sicut aqua ignem, sic eleëmosyna restinguit peccata, ubi innuit & ipsa igni esse similia. Nam quemadmodum ignis corpus urendo lædit, sic animam peccata. Quemadmodum ille flammas, sic peccata excitant pravarum æstus affectionum. Quemadmodum ignis ignem accendit, sic peccati ignis ignem stygis, aut Purgatorii. Cùm igitur hos ignes, & tertium nominatim largitio stipis extinguat, meritò aquæ adæquatur. Est autem alia eleëmosynæ cum aquâ similitudo, & huc quadrat; quod sicut hæc semper ad inferiora defluit, nec nisi vi hæret alibi, ita illa ad infima mundi, id est ad Purgatorium manat, nec quiescit donec ignem illius vel mitiget, vel extinguat. Quamobrem rectè aliàs, idque apud Salomonem Prov. 10. eadem eleëmosyna *fons vitæ* dicitur, ubi enim sic legimus: *Vena vitæ os iusti*, Arabicus ita vertit, *Fons vitæ in manu iusti*, quia ex illâ (quam utique largam esse oportet, si revera justus est) aquæ vivæ profluunt, quæ piis manibus eas ad se derivatas excipientibus, primùm adimunt calorem ignis lustralis, tum eos ad eum sustollunt, qui & ipse verus est fons vitæ, vitæ beatæ, vitæ sempiternæ, cujus ubertate, & *torrente voluptatis inebriantur.*

889. *Cum lytro captivorum.*

Altera similitudo est cum captivorum lytro: unde hæc existunt Prov. 13. *Redemptio viri, divitiæ suæ.* Item 16. *Misericordiâ, & veritate redimitur iniquitas.* Item *Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*; Dan. 4. Est autem hujus lytri ac redemptionis admiranda ratio. Nam piorum animas, quas Christus sanguine suo pretiosissimo redemit, Christianus frusto panis, aut vili nummo redimere potest. Est igitur simile lytrum illi, quod Gaganus Avarum Rex in singula captivorum capita à Mauritio Imperatore exigebat: nam contentus erat duabus siliquis. Siliqua verò quædam ponderis minutia est, quatuor tritici grana pendens, ita prorsus, ut Christianorum capita pro nihilo reddere paratus esset. Et quid, quæso, est nummulus ad Purgatorii pœnas redimendas? sanè nihil. Verùm cùm per se nihil sit, tamen cùm primùm in egentium manus largitione venit, fit pretiosus, nempe quòd illæ manus æs in aurum, & aurum in pretiosissimas gemmas commutent; imò terrenam monetam in cœlestem. Et causâ in promptu est, quia, (quod sæpè diximus)

Christus

Christus per pauperes stipem accipit, & manus eorum pro suis habet, quo fit, ut admissione sua pretium addat, & quidem pretium sanguinis sui. Non est igitur mirum, quod eleemosyna tali aucta pretio pios manes redimat: nec difficile jam intelligitur, quemadmodum hîc in pauperes erogata defunctos in Purgatorio redimat, quoniam ipse, qui per illos eam accipit, Christus, ut hîc misericordiæ sedem, ita illic justitiæ habet.

890. *Similitudo cum hostia.* Venio ad tertiam eleëmosynæ similitudinem. hanc enim Paulus disertè vocat *hostiam* Heb 13. quando ait, *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.* Siracides quoque idem innuit hac gnome c. 7. *Datum brachiorum, & sacrificium sanctificationis offer, initia sanctorum, & pauperi porrige manum tuam, ut perficiantur propitiatio, & benedictio tua*: quasi dicat, inquit Rabanus, *eleëmosyna, quæ datur pauperi est datum brachiorum, quia brachiis robustis & liberalibus confertur; eadem est sacrificium sanctificationis, quia in honorem Dei erogatur, & dantem sanctificat, vel ad sanctitatem disponit, ideóque vocatur initia sanctorum, quia initium sanctitatis & justificationis.* Quibus adde propriè illi convenire, ut propitium reddat Numen, & peccata, eorumque pœnas deleat. Idem insinuat Salomon Prov. 9. ubi sic habet: *Anima, quæ benedicit impinguabitur*, cujus enim est benedicere nisi Sacerdotis? Sacris effatis subscribit Augustinus Hom. 29. ubi, *Sacrificium*, inquit, *Christiani est eleëmosyna in pauperem: hinc enim fit Deus peccatis propitius; nisi autem peccatis Deus fiat propitius, quis remanebit, nisi reus ab iis peccatis, sine quibus vita ista non ducitur? mundantur homines per eleëmosynas.* Sic ipse. Itaque qui largitur eleëmosynam est Sacerdos; victima eleëmosyna, altare manus istius Sacerdotis, quam ne dubites consecratam esse, Deus eam condidit ut aram, in qua vellet sibi à divitibus sacrificari. Denique immolatio, est stipis erogatio. Est autem hoc sacrificium propriè propitiatorium, quia, ejus proprium est crimina expiare. Adeò verò Numini jucundum accidit, ut per Sapientem Prov. c. 16. dicat. *Initium viæ bonæ, facere justitiam, accepta est autem apud Deum magis, quàm immolare victimas.* Quem locum sic explicat noster Salazar, ut nomine justitiæ, *Misericordiam* accipiat his verbis: *Inter reliquas benè vivendi partes, principem locum obtinet misericordia erga pauperes & egenos, & ipsi Deo gratior accidit, quàm hostiæ, ac victimæ.* Quod satis patet ex eo ejus per Oseam effato, *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Oseæ c. 6. Porrò dum ad piorum manium levamen ejusmodi victimæ libantur, tum maximè Deus iis pascitur, sive quia & ipsi manes Sacerdotes earum sunt, quippe qui etiam illas offerant, sive quia & eorum corda sunt altaria, in quibus offerunt, ac propterea idem misericors Pater proniùs iis ignoscit.

891. *Eleëmosyna est efficacior jejunio.* Neque tantùm sacrificiis antiquæ legis eleëmosyna Numini est acceptior, sed & jejunio potentior ad satisfaciendum. Observat id de Lugo tractatu de pœnitentia, affirmatque receptum esse communi consensu Theologorum & ratio adferri potest, quòd hæc misericordiæ, & charitatis actus sit, illud temperantiæ aut patientiæ, quæ virtus procul dubio charitati primas concedit. Adde fortitudinem exigi ad benefaciendum. Quare Siracides beneficum ac liberalem dicit *manu prævalere.* Qui prævalet manu, inquit, servat mandata, quia videlicet beneficentia validum, & heroicum ostendit dantis animum; & verò talem requirit ad superandum amorem proprium, id est tenacitatem, & avaritiam, quâ quisque propendet, ut sua retineat. Quapropter cùm & charitatis, & misericordiæ, & fortitudinis virtus ad stipem pauperibus erogandam necessaria sit, non est admodum mirandum eleemosynam ad satisfaciendum esse efficacissimam.

892. *Eleëmosyna baptismus à SS. PP.* Id quod Sancti Patres satis exprimunt, cùm eam baptismum alterum nuncupant. Audi Ambrosium Serm. 31. & Maximum Episcopum serm. 2. de eleëmosynis: *Mundiùs sanè eleemosyna quàm puteus detergit maculas, quia putei aqua, tantùm corporis cutem abluit, misericordiæ autem bonitas animæ interna purificat.* Et sub finem: *Ita igitur eleëmosyna extinguit peccata, sicut aquæ baptismi gehennæ extinguit incendium. Ergo eleëmosyna quodammodo animarum aliud est lavacrum, ut si quis fortè post baptismum humana fragilitate deliquerit; superest ei, ut iterum eleemosynis emundetur; sicut ait Dominus, Date eleemosynã, & ecce omnia munda sunt vobis.* Audi & Leonem magnum Serm. 2. de Collectis, *scientes præter illud regenerationis lavacrum, in quo universorum ablutæ sunt maculæ peccatorum, hoc remedium infirmitati humanæ divinitus esse donatum, ut si quid culparum in hac terrena habitatione contrahitur, eleemosynis deleatur. Eleemosynæ enim opera charitatis sunt, & scimus quod charitas operit multitudinem peccatorum.* Ita Leo.

893. *Et potior Baptismo.* Quin etiam Ambrosius loco præcitato, eleëmosynam Baptismo aliquo respectu præfert. *Salva fide dixerim*, inquit, *indulgentior est eleëmosyna, quàm lavacrum; lavacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur, eleëmosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris. Hi ergo duo misericordiarum fontes sunt, qui & vitam tribuunt, & peccata condonant: Qui utrumque custodierit, Regni cœlestis honore ditabitur. Qui autem maculato fonte uno ad misericordiæ se fluenta contulerit, & ipse misericordiam consequetur.* Mitto Hieronymum, aliosque Patres idem sentientes, & concludo eleëmosynam, etiam ad pios manes liberandos cæteris paribus jejunio potentiorem, certè quidem perquàm efficacem esse. Quare à permultis defunctorum Amatoribus in eorum gratiam frequentatur. De quibus jam dicendum.

ARTICULUS II.

De fundationibus in gratiam piorum manium.

§. 1.

An præstet totam eleëmosynam statim egentibus elargiri in gratias defunctorum, quàm ex ea Xenodochium, aut orphanotrophium fundare, aliterque in censum dare ad usum pauperum?

894. *Si certa animæ adesse velit totum statim distribue.* Vtilis est ea quæstio, & instituto meo accommodata; pendet enim ex illius decisione magnum piorum manium emolumentum. Est autem ad eam decidendam opus distinctione. Etenim vel largitor eleëmosynæ fertur ad eam largiendam studio certam aliquam animam adjuvandi, vel toti Purgatorio in commune auxiliandi. Si prius posueris, aio præstare stipem simul ac statim totam in manus pauperum distribuere, quàm eam in pensionem annuam dare, sive ad Xenodochium, sive ad orphanotrophium, sive ad aliud pauperum receptaculum. Nam cùm simul ac statim egentibus totam stipem largiris, & dominium pecuniæ, & usum ejus totius illis tradis, atque adeò pluribus egentibus eam tribuis, vel certè eos, quibus tribuis, grati animi vinculo ad plures & ferventiores preces obligas. Et consequenter anima illa plus subsidii ex tuâ stipe accipit, quàm si eam in annuam pensionem occupares: quandoquidem eo pacto dominium quidem totum pecuniæ, sed non usus ejus totius, at quinta dumtaxat, sextaúe portio in manus pauperum venit, idque post anni curriculum, quod ah! nimis longum est in igne isto, summaque tristitia versantibus.

895. *Sitotipurgatorio, da in censum.* Sin autem toti Purgatorio, sive animabus in commune, subsidium ac solatium ferre desideras, existimo satius esse ex tuâ pecuniâ creare redditum annuum, aut xenodochium, aliudúe pauperum domicilium condere. Causa est, quòd ea hypothesi crescit fructus pecuniæ, atque in perpetuum porrigitur, ex eaque quidam fundus existit, unde animæ perenniter adjuventur.

896. *Tibi provide ante mortem.* Quare si quis animæ suæ, vel alterius bene vult, simul, ac statim à morte, vel potiùs ante mortem totam suam stipem distribui curet. Ac prius quidem propter rationem allatam: posterius verò propterea quòd longè difficilius sit, rem tuam, dum adhuc ea indigere potes, largiri, quàm ejus largitionem in tempus mortem secuturum differre; quando non tam tu pecuniam, quàm ipsa te relinquet. Adde eleëmosynam, aliaque opera pia dum post obitum perficiuntur, nullam mortuo novam satisfactionem addere; quòd eo tempore donator non sit in eo statu, quo possit satisfacere. Quatenus igitur ab ipso manare censentur, pro eo facere satis nequeunt. Concesserim tamen cum Lugone prodesse illi posse impetrando, quia pauperes, aliique eleemosynæ participes ejus gratiâ preces fundent. Addit idem Author ipsamet opera, & subsidium pauperibus exhibitum multùm valere ad movendam Numinis clementiam, ut animæ defuncti misereatur, precesque pro eo fusas pronus admittat. Quod posterius dubitanter sanè pronunciem: Quoniam opus externum, prout omninò præcisum ab opere interno voluntatis, uti nihil libertatis, ita nihil laudis sortiri potest: quid igitur habet, cur valeat ad misericordiam Numinis provocandam? quid ad extremam calamitatem depellendam?

897. *Non refert an executor sit in gratia.* Libentiùs itaque iero in alteram ejus sententiam, parum admodum referre sive hæres sit in gratia, sive non, quando largitur legatam à defuncto eleëmosynam; cùm nomine suo illam non largiatur, sitque velut merum instrumentum, per quod à defuncto eleëmosyna ad egentes pervenit. Illud in dandâ pauperibus stipe singulariter observandum duxerim, bonos potissimùm eâ esse impertiendos, quoniam & promptiores sunt ad precandum pro piis manibus,

bus, quorum liberalitate juvantur, & ad impetrandum potentiores.

898. *Quid in dubio an testator sibi an alteri providere voluerit.*

Cæterùm, ut ad propositum revertar, in dubio an testator per stipem datam, animæ suæ, an alienæ prospicere voluerit, censendum sibi voluisse prospicere, quia charitas à se incipit. Dirimetur autem lis omnis, ac dubitatio, destinato sibi bono suffragiorum numero, aliquam pecuniæ vim piis manibus indistinctè largiatur. Atque ea demum in censum annuum poterit converti. Quod quidem peritorum arbitrio etiamtum fieri licitum erit, dum eleëmosyna largior pauperibus certi alicujus loci incolis definitè destinata erit, quos, si eâ totâ statim fruantur, constat inutiliter, aut malè consumpturos; secus si paulatim eis distribuatur. Et tunc enim res defuncti agetur, quatenus ejus gratiâ prodigalitas illa vitabitur, & eleëmosyna prudenter utiliterque dispensabitur.

§ 2.

Exempla fundationum.

899. *Carolus Magnus.*

Etsi nihil frequentius, luculentiusque cœnobiis, xenodochiis, nosocomiis, orphanotrophiis, parthenonibus, aliisque piis domibus ad pauperum, seu religiosorum, seu sæcularium alimoniam, atque ad salutem instituentium, aliorumque piorum manium opem conditis; tamen instituti mei ratio postulat, ut aliqua ex iis depromam, quæ maximè ad levamen aliorum erecta fuêre. Prodeat itaque imprimis Carolus Magnus, etiam in hoc genere pietatis suo nomine dignus. Cùm enim triginta Christianorum millia unà cum Rothardo ab exercitu hostili circa Cæsaraugustam interempta cognovisset, duodecim auri talentorum millia, vestesque, ac cibaria in pauperes pro piis eorum manibus distribui curavit, deinde solum omne, ac ditionem circa oppidum Plevinense Canonicis Regularibus, quos ipse jam instauraverat, addixit, eâ lege, ut pro eodem Rhotardo anniversarium agerent, ut bona proventuum pars in egenos conferretur, ut triginta Psalteria, totidemque Sacrificia, persolverentur. Quin etiam pro iisdem idem ipse ad S. Dionysium ardentissimas preces Deo obtulit, atque ut suas alii adjungerent, vectigalia iis assignavit. Eademque opera pios illos defunctos fecit in æternum sibi vectigales.

900. *Alia conferuntur.*

Non absimile consilium fuit Donaldi Regis Lumacensis in Hibernia. Hic enim monasterium S. Crucis Diœcesis Cassariensis in eodem regno construxit, ac redditibus instruxit circa annum 1169. Cujus donationem confirmavit Joannes Comes Morotoniæ, ac postea Rex Angliæ, hisce instrumenti verbis. *Pro salute animæ meæ, & meorum antecessorum, & successorum meorum, pro animabus militum meorum, qui hic iacent* &c. Alphonsus quoque Hispaniæ Imperator, ut scribit Gaspar Jongelinus, Meirense in Gallecia cœnobium construxit, ac locupletavit circa salutis annum 1443. Abbate D. Vitali S. Bernardi discipulo. Instrumenti verba sunt. *Ego Alphonsus Imperator Hispaniæ unà cum uxore mea Imperatrice D. Rica, & cùm filiis meis Sanctio, & Fernando Regibus, pro amore Dei, & animabus parentum meorum, & pro peccatorum meorum remissione, facio Chartam donationis monasterio B. Mariæ de Meira, & vobis Domino Abbati* &c. Ottocarus etiam Bohemiæ Rex cœnobium à spinea Christi coronâ dictum, anno 1263. exstruxit ad honorem B. Mariæ. Verba instrumenti sic habent. *Construere decrevimus pro animæ nostræ, ac progenitorum remedio, ac salute*, &c. Idem eodem pacto fecêre S. Leopoldus Marchio Austriæ, Alphonsus Princeps Lusitaniæ: idem plerique omnes, qui monasteria à se exstructa redditibus instruxere. Hoc insigne: quod Philippus Bonus Flandriæ Comes, hac inter cæteras lege pacem cum Carolo sexto Galliarum Rege anno 1435. sancivit, ut pro animâ parentis sui (qui parens Joannes Intrepidus vocabatur, fueratque Delphino Franciæ jubente, spectanteque, à sicariis interemptus) in Monstreano oppido, in templo ejusdem oppidi, capellania, ut aiunt, expensis Gallicis fundaretur cum obligatione ad perpetuam Missam *de Requiem*, quam Philippus ipse, cui vellet, conferre posset. Deinde ut circa idem oppidum cœnobium Carthusianorum exstrueretur, ubi Prior, ac Religiosi duodecim alerentur, ad preces pro animâ defuncti, Deo continenter fundendas. Item ut in ponte, ubi erat occisus, Crux erigeretur. Præterea ut Divione in Carthusiæ templo, ubi Joannes sepultus, Missa solemnis *de Requiem* ad magnam aram facienda in perpetuum fundaretur; & ita rectè pacem sibi dulcem fore non credidit, nisi patris manibus pacem procurasset.

901. *Novum genus fundationis in Italia.*

Ad extremum produco novum, & auditu jucundum fundationis genus à Clericis Regularibus, qui in Italia frequentes sunt, piè excogitatum. Horum enim inventum est, loquor verbis nostri Joannis Rho lib. 1. c. 4. exemplo. 1. Mortem, quod mortuo-

„ rum ærarium dici potest, constituere, tam
„ magnâ laude pietatis, quàm multa in egen-
„ tes animas ex illo bona redûndant. Cùm
„ enim pauperum illa æraria, quæ montes
„ pietatis appellamus, in magnâ sint famâ,
„ cur non immortalem hîc mereatur, ex quo
„ suffragiorum, ut Ecclesiæ loqui placuit, ve-
„ luti aquarum arcanis flammis extinguendis
„ derivantur perennitates; levissimâ enim
„ stipe, quam pro se quisque destinato con-
„ fert, ea sacrificiorum multitudo procura-
„ tur, ut morientibus infinita propemodum
„ suffragia comparentur: Iidem augendæ
„ huic pietati secundas quasque ferias ha-
„ bent, propositâ palam divinissimâ Euchari-
„ stiâ, breviqúe ad confluentes sermone,
„ quam exercitationem, ut esset magis fru-
„ ctifera, summi Pontificis indulgentiâ or-
„ nandam censuerunt.

In Belgio. Quam pietatis attem nostri in Gallo-belgica imitati, ut de cæteris urbibus taceam, Insulis quatuor in parœciis gazophylacia posuere, ad stipendium Missarum pro egenis in istâ civitate mortuis faciendarum: eo successu ut in D. Stephani subinde unicum per mensem viginti floreni in gazophylacium conjiciantur: aliàs ut plurimum decem, aut duodecim, aut octodecim. Unde non mediocris sacrificiorum numerus ad altare Privilegiatum singulis annis in solatium pauperum vitâ functorum impenditur. Locus hic quoque fuisset de Anthea Lucensi fœmina in pios manes benignissima dicere, quippe quæ pauperum hospitales domos, ac Virginum Collegia iis expiandis ex conquisita undique stipe ædificarit, sed rem aliàs exposui, nec volo actum agere. Et verò hæc excitando ad hujusmodi ærarii inventionem pio Lectori sufficiunt.

ARTICULUS III.

De aliis eleëmosynis.

902. Mariæ Van Lille pia industria. Excelluit in hoc genere pietatis in pios manes exhibitæ Maria Van Lille, Herentaliæ, quod oppidum est Antuerpiensis diœcesis, Beguina. Hæc enim cœtum instituit Beguinarum, quæ præcipuo illos juvandi studio, quidquid operis factitarent, in usum pauperum primùm, tum in levamen Purgatorii conferebant. Itaque coemptam ab ipsa lanam certatim nere, ex eâ pannos texi curare, eos divendere, pretium ex iis confectum egentibus largiri, aut ipsos in eorum vestes aptare solemne illis fuit. Qui sanctus mos, ne cum Mariâ periret, effecit ipsa quà hortamentis, quà providentiâ singulari, ut ab ipsius obitu continuaretur. Utinam ad alias pias fœminas extendatur! Quàm multas cœlestium vestium textrices habebimus.

903. Eligendâ genus eleëmosynæ quod vitiis defuncti repugnet. Discimus quoque ex S. Birgittæ revelationibus non unam artem stipis in pios manes cum præcipuo fructu distribuendæ. nam præter diversa Missarum genera, quæ fieri pro animâ Ulphonis conjugis sui jussit, ipse ei spectandum se objiciens, rogavit, ut argenteam supellectilem, equosque ipsos, quibus immodicè delectatus fuerat, in expiationem ejus voluptatis, pauperum in usus divenderet. Item ut calices pauperibus templis ad sacrificii usum confici curaret: hoc enim eleëmosynæ genus Numini esse antiquissimum. Extat etiam hæc Angeli ibidem ad ipsam allocutio de particulari juvandi quamdam viri nobilis animam industria. Sicut, inquit Angelus, tu „ audisti, quod anima illius clamavit quin- „ quies væ; ideò dico quinque consolatoria „ sibi. Primùm væ fuit, quod Deum modi- „ cum dilexit, ideò ut ab isto liberetur, den- „ tur pro ejus anima triginta calices, in qui- „ bus Sanguis Dei offeratur, & ipse Deus „ magis honoretur. Secundùm væ fuit, „ quod non timuit Deum, ideò pro isto ab- „ solvendo eligantur triginta Sacerdotes de- „ voti judicio hominum, quorum quilibet „ dicat triginta Missas, quando possunt, no- „ vem de Martyribus, novem de Confesso- „ ribus, novem de omnibus Sanctis, viginti „ octo de Angelis, viginti novem de S. Ma- „ ria: trigesimam de S. Trinitate, & omnes „ intentè orent pro animâ istius, ut ira Dei „ mitigetur, & justitia ejus ad misericordiam „ flectatur. Tertium væ fuit pro superbia „ ejus, & cupiditate; pro isto abolendo reci- „ piantur triginta pauperes, quorum pedes „ laventur cum humilitate, & dentur eis ci- „ baria, & pecunia, vestesque quibus conso- „ lentur, quorum quilibet, tam qui lavat, „ quàm qui lavantur, rogent Deum humili- „ ter, ut propter humilitatem suam, & ama- „ ram passionem suam, dimittat animæ istius „ cupiditatem, & superbiam, quam commi- „ sit. Quartum væ fuit superbia carnis suæ: „ ideò quicumque daret unam virginem in „ monasterium, & unam viduam similiter, „ unamque puellam in conjugium, verùm „ dando cum eis tantum de bonis, unde suf- „ ficienter ad victum, & vestitum subsistant, „ tunc peccatum animæ istius, quod in carne „ commiserat, dimittet Deus, quia hæ sunt „ tres vitæ, quas Deus in mundo stare jussit, „ & elegit. Hæc Angelus Revel. S. Birg. „ l. 4. c. 9. Ex quibus, & ex proximè superioribus, intelligimus, id genus eleëmosynæ efficax esse ad animarum expiationem, quod earum noxis aliquatenus repugnat, id

quod

quod & alibi apud ipsam Birgittam, significatur: ut & hîc ratum sit contraria contrariis curari.

904. *Alere Sacerdotes in defunctorum solatium.*

Insignem aliam artem eosdem manes adjuvandi exemplo suo docuit Andreas Simonis è Soc. Jesu Laicus. Hic enim, ut narrat Joannes Rho de charitate in defunctos exemplo nostrorum quinto, propriis erga pios manes officiis cùm sibi non satisfaceret, quamquam dives alioqui bonorum operum, omnia in illos conferret, Sacerdotes plusculos pauperes alebat, quorum sacrificiis plures juvaret. Id ut conficere posset, emendicare non dubitabat. Cùm enim in Domo probationis ad D. Andreæ in Urbe janitorem ageret, flosculos diligentissimè educabat, quos eleganter evinctos in fasciculos adeuntibus principibus viris, & Cardinalibus gratâ quadam & religiosa simplicitate offerebat, ut Sacerdotibus alendis stipem auferret, nec illi cunctanter dabant, conscii operis atque pietatis. Itaque bonus senex caducis ac brevis ævi flosculis hortulum spolians, honestissimo commercio cœlum æternis floribus conserebat. Et effloruit magnis gaudiis destinata homini fælicitas. nam emarcescente jam vitâ circumstitêre illam agmina beatarum mentium, & priusquam hinc abiret auram afflarunt æternam.

905. *Mittere scedulas mortis indices.*

Celebris est per universum Belgium, ac piissima consuetudo, scedulis vel scriptis, vel excusis nunciandi Religiosorum, ac Religiosarum mortem. Cùm primùm accidit, mittuntur illæ latè per urbium, ac pagorum adjacentium, aut etiam remotiora Cœnobia, & vel in capitulo, ubi id moris est, leguntur, recitaturque communiter psalmus De profundis; vel aliàs in sacrario, ubi se Sacerdotes ad sacrificium amiciunt, collocantur, ut oculos, animosque eorum, qui sacris operaturi, vel servituri sunt, feriant, excitentque ad mortuorum in sacrificio solatium procurandum. Qui mos dignissimus certè est, qui ubique Gentium catholicarum vigeat, præsertim apud eos qui de aliis docendo, concionando, expiando benè solent variis in locis mereri.

906. *Varia genera spiritualium eleemos.*

Sunt & aliæ pietatis artes colligendis nostris egentibus stipem. Scio qui donatitiâ pecuniâ in cantilenas gallicas ad ciendam in eos misericordiam compositas, per sacra profanaque gynæcæa gratis distribuerunt. Scio qui grandiores chartas variis ad eamdem excitandam stimulis impressas ad sacrarum ædium, seu civicarum, seu rusticanarum valvas interiores, ad ostia, vel parietes domiciliorum, ad januas cœnobiorum appendendas coemêre, & gratis magno numero, dispertiêre. Scio qui laminas imaginem Purgatorii, sacræque synaxeos præferentes incîdi curavêre, & aliquot iconum millia ex eâ expressarum per varias, variarumque civitatum domos, ac præcipue per officinas, ac tabernas, scholasq; publicè affixêre, ad eorumdem piorum manium memoriam refricandam. Novimus & qui supplices scedulas ad publicos postes civitatum collocavêre, ut civium preces pro mortuis ad Valencenas obsessas patriæ hujus militibus exorarent. Novimus & qui Missas publicas ac solemnes iisdem collatitiâ pecuniâ procuravêre, quam ab incolis certarum civitatis curiarum mendicaverant. Et ecce nunc Bruxellis scribitur, solemnes exequias anno 1659. in gratiam militum postremis in bellis Belgii vitâ functorum in templo Soc. Jesu celebrari cœptas, hoc ipso anno 1661. opera R. P. Fresnedæ, qui opus cœpit, longè ampliori apparatu, concursu ac pietate 6. Novembris die, qui in Dominicam incidebat, celebratas esse, usque adeò, ut tridui spatio in eodem templo ad quatuordecim millia sacris epulis refecti sint, invitante scilicet indulgentiâ Pontificiâ, ac plenariâ, cum facultate è Purgatorio animam liberandi, utrâque per excellentissimum D. Marchionem de Caracena Belgii Gubernatorem impetratâ: qui & pompam sua ac nobilium sibi adstantium catervâ tertio die ornavit: Quin eodem die Reverendissimus D. Archiepiscopus Mechlinensis ad aram fecit, & idem Fresneda de piis manibus egregiè ut solet, hispanicè dixit. Insuper eodem triduo variis in templis ejusdem Patris operâ facta sunt quingenta sacrificia, & jam perpetuus census in anniversariam hujusmodi celebritatem procuratus est plaudente cœlo & Purgatorio.

907. *Puellarum ars.*

Denique audi puellarum Insulentium non puerile factum. Nuper anno 1656. tempore obsidionis Valencenensis, dum civitas Insulensis instituendis pro liberandâ urbe precibus tota conspirat, puerilis ætas non defuit. In plateâ vulgo Ægrorum coram ædibus cujusdam mercatoris, puellulæ septem, octo, aut decem annorum, excitato oratoriolo Litanias decantabant præcinente studioso paupere figurista. Earum aliqua à transeuntibus stipem emendicabat ad subsidium militum in obsidione vitâ functorum. Forte illac transiit urbi Præfectus, qui rogatus stipem, pataconem in scutellam injecit. Finitis precibus inita cõsultatio quid eâ pecunia fieret, placuitque omnibus Sacra pro militibus defunctis faciêda curare, unique è maioribus ea cura demandata est. posterâ die, aliisque sequentibus sex pro defunctis militibus apud Religiosas

D. Franciſci, quas pauperes Clariſſas vocant, fieri juſſit, quibus puellulæ interfuerunt, & cereos quatuor coram variis B. V. iconibus accenderunt: quos non dubium etiam piis manibus illuxiſſe.

908. *Omnes ſuas dare ſatisfactiones.*

Ad extremum nobiliſſimum, liberaliſſimumque eleëmoſynæ genus eſt, piis manibus ſuas omnes ſatisfactiones addicere. De quo diximus quidem ſuperiùs non uno loco: ſed in auctarium recentiſſimum hic ejus liberalitatis exemplum damus ex litteris annuis Coll. Monaſterienſis in Weſtphalia anni 1656. ubi ſic ſcribitur. Ereptus nobis eſt R. P. Joannes Fabritius. Inter hujus pias exercitationes, animarũ è flammis piacularibus eripiendarum inſigne ſtudium eminebat: cujus tria hæc dedit documenta. Primùm non ipſe modò, quoties licuiſſet, atratus operabatur ſacris: ſed pluribus etiam, idem ut agerent, perſuadebat: quin & ſuperiorum conſenſu diem unum ab univerſis Collegii Patribus obtinuerat, quo pariter omnes pro vitâ functis funebri apparatu litarent. Dein ad eius cubiculi fores auditi noctu quandoque pulſus, quos animarum opem à ſe flagitantium fuiſſe confeſſus eſt. Ad extremum conferenda ſibi à morte per totam Societatem ſuffragia aliis defunctis legavit. Demum cùm ſe viſitandis peſte infectis devoviſſet, & ipſe eâ extinctus eſt: nempe, ut in patrium cœlum ſequeretur, quos eò præmiſerat.

Appendix.

Debitorum ſolutio, piis manibus utilis.

909. *Explicatur.*

Protulimus ſuperiùs binas Eminentiſſimi Cardinalis Lugo rationes, cur mora diſſolvendi nomina defunctorum iis obeſſe naturâ ſuâ poſſit. Prior, quia iis non diſſolutis Deus non tam propensè audiat pia pro defunctis vota, propterea quòd interea eorum causâ creditores patiantur. Poſterior, quòd æquum ſit, ut quamdiu parti læſæ non fit ſatis, reus & graviùs & diutiùs puniatur. licet autem vis earum rationum infringi poſſit, ac nos ſuperiùs infringere conati ſimus; tamen illius ſententiæ probabilitas non propterea perit, imò hiſtoriis iam promendis confirmatur.

910. *Eques mortuus vult debita ſua ſolvi.*

Primùm ex Cantipratano profero, qui l. 2. c. 55. ita ſcribit. Huius rei exempla ſunt plurima, quorum unum familiariſſimum novi. narrante enim fratre Ordinis Prædicatorum his verbis audivi. Pater, ait, meus contra commilitonem ſuum dimicans, & potentem inimicitias exercens fabrum habuit in vicinia, qui equos ſuos, & eorum, qui ſecum erant, multo tempore ſuſtentabat (dicere voluit, ſoleas ferreas, equis induebat) poſt hæc faber cecidit in languorem, & expenſas per oblivionem, aut incuriam nullus ſolvit. Mortuus eſt autem poſt annos ferè triginta pater meus, & apparuit manifeſtè per diem cuidam fideliſſimo ſervo ſuo, gerens in manibus flammantia ferramẽta equorum; dicens, Dicas uxori meæ, ut ſolvat tali homini tale Debitum, quo ſic vexor: poſt hoc non multi dies effluxerant, cùm ecce ſervus ille cum amariſſimis lacrymis venit ad me, & quid vidiſſet expoſuit. Collacrymans itaque ſervo, ambo ad matrem ingredimur, audit illa quid factum ſit, addit & lacrymas, acceſſit ad fabrum diutina tabe penè jam conſumptum; quærit ſi pater meus moriens ei in aliquo tenebatur, tunc ille cum lacrymis ſuſpirans dixit, heu cariſſima Domina! etiam, ferè in marchâ una; ſed affectus longo tædio in monendo, poſtmodum incidi in magnum languorem, & ſic ſilui uſque modo; nec mora mater ſolvit pauperi integrum debitum, & mox ſoluto iſto cum aliis debitis multis, ut mihi ſecretò narravit, ei pater meus in hunc modum apparuit. Videbatur ei videre illum in balneo à ſummo capitis uſque ad ima pedum quaſi reſte longâ totaliter involutum, cui ille dixit, apprehende funem, & ſolve me: mox illa funis initium accipiens paulatim ligatum exſolvit, & ſtatim ei congratulans, & gratias agens, ſic, inquit, prius fueram obligatus in pœna quoad uſque ſolveres, quo tenebar. Ita Cantipratanus.

911. *Defunctus ipſe reſtituit.*

Anno 1638. feb. 4. deceſſit in Hiſpaniâ P. Auguſtinus de Eſpinoſa, dictus *pœnitens* ab aſperitate vitæ, hujus pietas in pios manes ex precibus, ſacrificiis, graviſſimiſque pœnis eorum gratiâ ſuſceptis luculenter emicuit. Quare illis ſubinde concedebat Deus, ut ipſimet ſenſibilem in modum illi ſeſe commendarent. Inter cæteros quiſpiam ſpectabilem illi ſe objiciens, quæſivit, an ab eo agnoſceretur. Affirmavit utique ſe paucis ante diebus exomologeſim ejus excepiſſe, cui non diu ſuperſtes fuerit. Ita habet, ait defunctus; *Porrò huc ad te veni, ut Deum mihi propities, ſimúlque aliqua exequare ad meam liberationem neceſſaria. Quare rogo te, ut me tantiſper comitere.* Auguſtinus ad hæc, *Atqui*, ait, *facultate Præſidis mei opus eſt, ut deſiderio tuo obſequar, præſtolare hic in cubiculo, dum redeam.* It ergo Auguſtinus, & principio quidem reluctantem reperit Præſidem, tum obtinet, ut ſolus comitetur.

Interea

Interea Rector domi preces nostris à somno excitatis indicit ante Venerabile Sacramentum palam expositum ; tum defunctum sequitur Augustinus in silentio. Cùm perventum est ad pontem quemdam, iussit defunctus Augustinum exspectare, donec regrederetur, ac paulò post cum marsupio nummis gravi, quod manu tenebat, *Explica*, ait, *pallium, mi Pater, & huius pecuniæ partem defer, ego reliquum perferam.* Atque eo dicto factoque taciti domum remeant. Ubi in conclave Augustini venêre, scedulam extrahit, atque Augustino præbens, *Ex hac*, ait defunctus, *cui, & quanta pecunia restituenda sit, aliáque ad levamen meum spectantia discе, reliquum pecuniæ vult Deus tuo arbitrio distribui*: actum evanuit. Porrò rem totam cum Præsidi aperuisset Augustinus, ac deinde mandata explesset, rediit post octiduum defunctus, actisque gratiis, istius beneficii gratam æternamque memoriam adpromisit. Nierenbergius in viris istius Soc.

912. *Defunctus debitum suum indicat.*

Anno 1620. ad Superos migravit B. Agatha de Cruce, Seraphici Ordinis Tertiana. Ad hanc, quippe pietate in defunctos celebrem, venit mater adolescentis nobilis, militiæ mortui, cùm sacris Ecclesiæ mysteriis esset communitus, eumque Agathæ vehementer commendavit. Illa igitur in preces se dare, voluntarias pœnas suscipere, denique libertatem adolescentis serio curare. Dum hæc fiunt, nocte quadam precibus pro eo fundendis intentæ se obiicit adolescens, eumque se esse asserit, pro quo oraret, & cùm tantâ charitate sit, petere sese ut matri suæ hæc significaret. Primum, detineri in carcere Purgatorio : Alterum, ephœbum quemdam sua causâ in prœlio interemptum eodem claudi : Tertium, debere se adhuc his & illis certum pecuniæ numerum. Quartum, preces, ac sacrificia, stipemque pro utrisque exaugenda esse. Nihil horum non gnaviter explevit Agatha. Actum demum defunctus gloria inclytus ei se videndum præbens gratias quàm potuit maximas rependit. Joannes de Rechac, in vita eiusdem Agathæ.

CAPVT QVARTVM.

Quantum piis manibus prosit oratio.

ARTICULUS I.

Disseritur generatim de orationis ad opem defunctis ferendam efficacitate.

§. 1.

Theologorum super ea sensus.

HOc est præcipuum, & libri huius, & totius fermè tractatus, caput, discutere, quæ sit orationis virtus ad levamen piorum manium, Quam quidem antea tetigimus : sed impræsentiarum, quia proprius locus est, latiùs explicare habemus, ut celeberrimum hoc suffragiorum genus pro dignitate, ac varietate sua pertractetur. Si quidem ad orationem vel spectant, vel referuntur sacrificia, Synaxes quà consuetæ, quà proprio nomine Generales, preces item simplices seu publicæ, seu privatæ, nec non sacræ peregrinationes, sodalitates, & ejusmodi; quæ omnia hoc capite Deo benè fortunante concludemus. De quibus quia rectè sine ejusdem Numinis ope disserere non valemus, principio illud oramus, ut de oratione pro defunctis sumendâ opportunè ad motum animorum, solatiumque piorum manium disputemus.

DUPLICEM orationi virtutem tribuunt Theologi. Prior est impetrandi, quod petit : posterior satisfaciendi. Prior ei competit ex ipsius naturâ ; quâ enim petitio est, ad obtinendum, quod postulatur apta est, cùm deceat eũ, à quo quid postulatur, nisi quo avaritiæ, aut asperitatis vitio laboret, id quod postulatur concedere. Huc accedit Christi promissio, non paucis, quæ missa facio, locis, quæ securam voti sui reddit orationem, si modo condi-

913. *Impetrandi vis convenit orationi.*

conditionibus necessariis instructa sit; cùm promissioni divinæ nulla fraus, aut error subesse possit.

914. *Propriè.* Est autem hæc impetrandi facultas ita propria orationi, ut aliis virtutum operibus non conveniat, nisi quatenus eam habent sibi conjunctam. Quòd igitur Sancti Patres pronunciant, eleëmosyna ac jeiunio tanquam alis binis orationem sublevari, id ita intellige, quòd hæc disponant hominem, vel ut attentiùs oret, repressâ scilicet vagandi libertate mentis, quippe per auxilia gratiæ, quæ ipsa promerentur: vel ut faciliùs exaudiatur, nempe ob gratiam sanctificantem piis operibus cumulatam. De quo vide Suarium de oratione l. 1. c. 4.

915. *Quid oratio impetret defunctis.* Porrò quæ pro piis manibus oratio habetur, impetrat primùm, ut Cœlites pro iis Deum precentur, tum ut mortalium satisfactiones iisdem destinatæ à Deo admittantur, si quidem, quod postmodum videbimus, possunt pro illis non admitti, quibus sigillatim destinatæ sunt. Deinde obtinet, ut in mentem pluribus veniat, sitque cordi iisdem Numen quà precibus, quà piis operibus propitium reddere. Adhæc impetrare eadem potest, ut piorum manium libertas acceleretur, eâ saltem lege, ut diuturnitas pœnarum intensione compensetur. Addit Suarius dubitanter, in orationis quoque potestate positum esse obtinere, ut Cælitum satisfactiones iis reliquæ, nequedum ulli applicatæ, illis, quos commendamus, nominatim applicentur. Quæ sententia pia quidem est, graves tamen patitur difficultates. Inter cæteras istam, quòd si liceret satisfactiones, quæ mihi superfluæ fuerunt, postmodum mihimet ipsi, vel alteri applicare, liceret certè iam satisfacere pro culpis futuris; quod absurdum est, cùm satisfactio debitum pœnæ, atque adeò culpam supponat. Cæterùm vel ex his satis patet, non sine piorum manium iniuriâ destinari aliis fructum impetrationis, quando totus vel Missæ, vel precum, vel piorum operum fructus iis debetur: Cùm id aliud non sit, quàm *rapinam facere in holocausto.*

916. *An remissio pœnæ proximè impetretur.* Maximè si pœnarum lustralium remissio proximè impetrari possit, quod quidem non semel, nec cum paucis asseruimus: tamen negat Suarius. *Nam per se expedit*, ait, *ut delicta non maneant impunita; atque opera Dei illustriora sunt, quò exactiùs in eis iustitia & misericordia servantur; magis autem servatur iustitia, si hæc remissio semper fiat per modum solutionis. Et in hoc etiam magis relucet misericordia, quòd auxilium detur ad solutionem per se, vel per alios faciendam: & maximè, quando fit per alios, non solum fit beneficium, & misericordia iis, pro quibus solutio fit, sed etiam iis, qui ad eam exhibendam excitantur. nam & ipsi proficiunt, & alios iuvant. Atque hoc modo quæ pro defunctis fit, exauditur.* Hactenus ille de Purg. disp. 48. sect. 5.

Sed respondetur, neque tum, cùm pœnæ remissio proximè impetratur, delicta manere impunita; quandoquidem pro pœnâ iis debita satisfactiones Christi applicentur: quemadmodum per sacramenta, aut sacrificia: in quo ipso iustitiæ divinæ fit satis. Et ipsa quoque misericordia in tali remissione magis relucet, quia & ad eiusmodi impetrationem auxilium cœleste ipsa confert, & gratis donat pœnarum piis manibus solvendarum veniam, & orationis velut vehiculo orantes promovet ad Christianam perfectionem. His adde varias rationes alibi per occasionem sparsas. Cùm enim ab homine veniam pœnæ proximè impetrare possimus, cur non à Deo? Certè confessarius confitenti imponere potest orationem pro defunctis, reservata ipsi suæ orationis satisfactione, unde continuò intelligitur solum impetrationis fructum ad defunctos pervenire, eosque levare. Denique rogat Ecclesia *clementiam divinam, ut intercedente Beata Virgine cum omnibus Sanctis, propinquos, ac fratres nostros qui ex hoc sæculo transierunt ad æternæ beatitudinis consortium pervenire concedat.* Igitur illorum precibus, atque adeò impetratione sola purgantes pœnæ levari possunt, & cœlum mortuis obtineri. Id enim proximè ac disertè petit Ecclesia: non verò ut illarum virtute precum ad levamen eorum mortales excitentur. 917. *Affirmatur.*

Verumtamen certius est, magisque receptum, orationem virtute satisfaciendi cæteris communi non parum pios manes sublevare. Etenim imprimis fide divinâ certum est, illam ut meriti, ita & satisfactionis efficacem esse. Et ratio prioris est, quòd actio sit ex naturâ suâ honesta, atque ex fide procedat: posterioris autem, quòd insuper difficultatem aliquam sibi adjunctam habeat. Nam mentalis quidem oratio, quæ in mentis ad cælestia ascensu sita est, non sine labore stare potest, quippe quòd mens ad ima ac sensibilia suopte nutu semper feratur: Vocalis autem addit mentali verborum pronunciationem, quæ labori ac defatigationi conjuncta est. Quare meritò Tridentinum sess. 14 cap. 13. & unà Theologi, inter opera satisfactoria orationē recēsent. Meritò Chrysostomus Hom. 6. de incomprehensibili Dei natura, *Nec*, inquit, *si casus spectes humanos, tollere vires* 918. *Oratio sua tufacit.*

possunt

possunt orationis, quando & ipsam peccatorum naturam extinguunt, & compendio excidunt, ac delent. Meritò quoque Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, *de quotidianis autem brevibus, levibúsque peccatis*, inquit, *sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum est enim dicere. Pater noster, qui es in cœlis: qui iam Patri tali regenerati sunt ex aqua, & Spiritu Sancto. Delet omnino oratio minima, & quotidiana peccata, delet illa, à quibus vita fidelium sceleratè etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit; si quemadmodum veraciter dicitur: dimitte nobis debita nostra, quoniam non desunt, quæ dimittantur: ita veraciter dicatur, sicut & nos dimittimus debitoribus, id est, si fiat quod dicitur.* Ita præclarè Augustinus.

919. *Maximè inter omnia Suario teste.*

Quin etiam Suarius innuit inter opera satisfactionis potentia primas obtinere orationē. Sic enim habet l. 1. de oratione c. 22. *Solent satisfactoria opera ad tria principaliora opera revocari, inter quæ unum, fortasse potissimum, est oratio.* Neque vir eximius hujus pronunciati sui reddit rationem; quamvis haud scio, an ab aliis hac in parte sit probandus, cùm cæteris paribus illud opus præstet virtute satisfaciendi, quod molestius est, & difficile sit sibi persuadere gravibus corporis aut animi suppliciis sponte susceptis, aut patienter toleratis, ut flagellatione cruentâ, vel remissione non levis injuriæ, aliisque ejusmodi, molestiorem, ac difficiliorem esse. An id igitur forsitan dixit, quòd vis satisfaciendi non modò ab operis difficultate, sed & maximè à susceptione illius, aut laudabili tolerantiâ petenda sit? Oratio autē quia affectibus animari solet seu amoris divini, seu studii ardentis animarum, seu conformationis humanæ cum divina voluntatis, seu aliis ejusmodi, molestias sibi annexas promptiùs, & sanctiùs exhaurire nata est? Crediderim profectò; nec repudiandam censuerim hanc alteram causam, quòd eadem oratio sacrificium, ac synaxim complectatur, quæ duæ res maximâ pollent satisfaciendi potestate. Quibus adde, si libet, quod asseruimus, cætera quidem opera vim habere satisfaciendi, sed solam; imò neque hanc, nisi quatenus orationi seu piæ intentioni conjuncta sunt; orationem verò ornari insuper potestate pœnarum veniam impetrandi, atque hoc respectu inter opera satisfactoria excellere. Ex quibus clarè conficies ad mitigandos expiatorios ignes orationē efficacissimam esse, ac proinde frequenter & copiosè adhibendam.

§. 2.

Res hæc ex litteris sacris, & SS. Patrum sententiis illustratur.

VERUM enimverò facultas hæc ex divinis, ac SS. Patrum sententiis de more explananda est. Quid igitur sacræ paginæ? Imprimis Spiritus Sanctus orationis mercedem appellat *pacem. Creavi*, inquit, Isaiæ 57. *fructum labiorum, pacem.* Quis enim iste fructus labiorum? nempe fructus precum, quæ labiis pronunciari solent. At quæ pax inquilinis Purgatorii parari potest, aut qua ratione à Deo alieni sunt, qui eidem amore conjunctissimi? Vis cognoscere? Audi aliquem ex illis Jobi c. 7. sic Numini inclamantem: *Quare posuisti me contrarium tibi?* id est inquit Pineda, *cùm ardenter petam peccati veniam, cur mavis assiduas mecum exercere inimicitias, & tamquam cum perpetuo hoste agere?* ubi observa pro *contrario* posse reddi ex Hebræo, *oppositum*, in quem scilicet sagittas, jaculaque contorquemus: quasi dicatur, quorsum me tibi è regione propositum habes; quem jaculis tuis configis? *Et factus sum mihimet ipsi gravis*, id est, propterea namque esse, & vivere, molestissimum mihi est, quòd tamquam à te alienus hîc exercear. Audi & illum ore Jeremiæ eodem propè modo gementem Thren. 3. *Tetendit*, inquit, *arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias pharetræ*, & paulo post: *Repulsa est à pace anima mea, oblitus sum bonorum.* Nonne jam intelligis procul à pace abesse, quē Deus sic accipit, quasi in eum unum velut in scopum, iracundiæ suæ sagittas omnes intendat? tantis illum configit doloribus! Ergo oratio piorum hanc piis manibus optatissimam pacem parit, ut velut filii habeantur, ut Patris æterni conspectu potiantur, & velut hæredes regno cælesti fruantur. Et id videtur innuere Scriptura loco statim laudato, addit enim Deus, se *creasse pacem ei, qui longè est, & qui prope.* Quis enim prope, nisi qui Deo per orationem & familiaritatem propinquat? Quis longè, nisi pii manes, qui procul à nobis remoti sunt, & à Deo tamquam divulsi, & alieni? sed pax orantis alia est, alia illorum: illa bello mixta, quia nempe pax adhuc militantis, ac peregrinantis, atque adeò non liquida, non omnino ab omni periculo sincera; cùm pax fidelium Deo animarum, dum parta est, tutissima sit, ac æterna.

920. *Oratio pacem defunctis creat.*

921. *Oratio defunctis thymiama.*

Alterum ex iisdem Sacris litteris elogium orationis petitur ab ejus cum odoramento similitudine. Ita Joannes Apocalyp. 5. *Cùm Agnus*, inquit, *aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores, ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Cætera prætereo, & observo Joannem hîc alludere ad phialas, quibus in Salomonis templo thymiama solebat offerri. Porrò thymiama quatuor ex odoramentis componebatur, galbano, stacte, onyche, & thure. Et galbanum quidem inter reliquas virtutes difficultatem spirandi pellit: Stacte flos, seu lacryma est myrræ: Onyx ostreola est formâ similis ungui, & odore, nardo. Thus notum est odore, & ascensu. Quare rectè thymiamati orationem æquipares, quia & galbani instar aspirandi ad Deum facultatem confert, & myrrhæ in modum noxarum fœtorem abigit, & tamquam onyx, ac nardus odore suo, ac humilitate Deo acceptissima est, ac denique gratissimum more thuris, ab igne charitatis fumum sursum ad astra emittit. Cùm igitur pro defunctis oratio funditur, nimirùm thymiama Numini adoletur, quod iis spirandi, sperandique vim impertit, & graveolentiam peccatorum discutit, omnesque eorum reliquias delet, & suavi odore Deum recreat, unaque omnes Purgatorii incolas, qui vel ob unius orationem pro uno è piis manibus fusam aliquid solatii accipiunt, ac demum piorum manium vota ad Deum provehit, perficitque ut impleantur. Addamus & hanc similitudinem, quod quemadmodum ignis, quo thymiama in Sancto incendebatur, deferri solebat ex altari holocaustorum, quod erat in attio templi. sic ignem quo nostrum thymiama, sive oratio incenditur, ex corde de sese in holocaustum pro piis manibus devovente desumi. O expetitum Purgatorio odoramentum; ô quis phialas eo plenas in illud effundat! nullum illo, vel Deo gratius, vel Purgatorio salubrius atque acceptius esse potest.

922. *Oratio aquæ simili.*

Confert aliàs Spiritus Sanctus orationem cum aqua non uno in loco. Audi Moysen eo afflatum. Sic ille Deuter. 32. *Audite cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei, concrescat ut pluvia doctrina mea; fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina, quia nomen Domini invocabo.* Ubi vides ab ipso pluribus synonymis idem voveri, ut oratio sua seu Domini invocatio, suæ ad populum Hebræorum paræneſi præmittenda, instar aquæ sit, id est, grata Deo, & auditoribus utilis evadat. Et Propheta Regius, *Effundo*, inquit, *in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio.* Psal. 141. Quin & ipse Deus Zachariæ 12. *Effundam*, ait, *spiritum gratiæ, & precum.* fundi autem & effundi proprium est liquoris, & aquæ, ut intelligas spiritum precum, seu studium orationis divinitus mentibus inditum, aquæ esse consimile.

923. *In quibus sit similitudo.*

At quomodo istud, cùm aqua frigida, fluxaque sit, oratio autem fervens, constansque esse debeat? nimirum oratio nostra quatenus à nobis funditur, frigida est, & instabilis, & facillimè, ut aqua, dispergitur, mente pariter dissipatâ. At ubi divino calore incenditur, prorsus est alia. Ut igitur aqua solis ardore penetrata in vaporem abit, sursumque fertur; sic oratio quam sol divinus igne suo inflammat, usque ad cœli penetralia, summique Numinis thronum se attollit. Ut aqua ex alto quò se extulit, in agros defluens, eos fœcundat; ita oratio ad orantem cum multiplici fructu redit, eumque gratiâ divinâ perfundit. Ut aqua, quò altius ascendit, eò magis in deflexu frangitur, ac tenuiore pluvia terram subiens ab ea faciliùs atque aptiùs ad fertilitatem imbibitur: sic oratio, quò altius se provexit, eò majori cum fœnore ad animum precantis redit. Ut aqua semper ad declivia prona est, nec nisi vi superiore loco attinetur, sic oratio ad humilia mentem sanctè abjicit, imò & ad humiles ac miseros deprimit, nec potest piorum manium infrà jacentium oblivisci. Ut aqua in imò tandem quiescit: sic oratio in Purgatorio, ubi summam omnium miseriam deprehendit, acquiescit. Denique ut aquæ maximè proprium est igni adversari; sic orationis iram Dei ignemque lustralem vel extinguere, vel mitigare. Ad extremum ut ex aquis Deus volucres produxit, uti testatur sacer historicus Gen. 1. *Producant aquæ reptile animæ viventis, ac volatile super terram sub firmamento cœli*; sic orationis aqua, pios manes volucres efficit, ut evolare è cavea sua in cœlum possint, & in Deo, nido suo, quiescere.

924. *Eam aquæ sanguis Christi sequitur.*

Fundite igitur & effundite ejusmodi aquam ô Purgatorii patroni, ac mæcenates, & illud perpluite, eò maximè, quòd eam alius liquor sequitur, ad extinguendas atroces illas flammas aptissimus, nempe sanguis Christi. Quemadmodum enim ex ipsius latere *exivit sanguis, & aqua*, quibus ira Dei extincta, & mundus ablutus est; ita orationis aquam sanguis Christi comitatur, eique vim confert mitigandi iram Numinis, & simul animas abluendi.

Præterea

925. *Oratio sacrificium.* Præterea sacri codices orationem pluribus locis vocant sacrificium. Unicus mihi sufficiat, unde simul ejus sacrificii virtutem, adversus ignem purgantem colligere possimus. Audiamus itaque tres illos celebratissimos pueros à Nabuchodonosore in fornacem Babylonis conjectos. Sic illi. *Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium; sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, quoniam non est confusio confidentibus in te* Dan. 3. nec enim ambigi potest, quin sacrificii nomine oratio illic accipiatur, cùm proximè superiùs hæc pueri illi dixerint, *Non est in tempore hoc Princeps, & Dux, & Propheta, & holocaustum; neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam tuam; sed in animo contrito, & humiliato suscipiamur.*

926. *Ejus fructus.* Ita illi: atque ecce sacrificii illius fructum. *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis eius, in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.* O vim opportunam, ac potentissimam orationis! O repentinum atque eximium sacrificii nostri fructum?

927. *In defunctos.* Esi enim optandum potiùs, quàm sperandum sit, ut precibus nostris retineatur ignis, ne omninò animas, pro quibus oramus, tangat, quia preces nostræ trium illorum precibus non possunt æquiparari: tamen eum certo certius mitigare possunt, nam & Angelus nobis præsto est, qui cum piis manibus Purgatorii fornacem intret, & extinguat flammam ignis, & roscidum ventum in eam inducat, saltem ad aliquod levamen. Angelus enim custos vel noster, vel animæ, pro qua precamur, qui certè orationes nostras primùm Deo offeret, commendabitque, tum animæ illi fusas renuntiabit, simulque cum ea Deum pro supplicii levamine celebrabit, dicetque cum pueris istis, *Benedicite omnes religiosi Domini Deo Deorum, laudate & confitemini illi, quia in omni sæculo misericordia eius.*

928. *Probatur.* Et verò si S. Franciscus Assisias, cùm advertendam oculorum distillationem, ac cœcitatem, cauterio inurendus esset, & propterea natura inhorresceret, sensum ignis hac prece à se repulit; *Mi frater ignis, esto mihi hac horâ propitius, precor magnum Deum, qui te creavit ut tuum calorem mihi temperet, quo suaviter urentem valeam sustinere.* Si S. Victor egregius sub Maximiano Christi athleta cùm Mediolani bulliente plumbo toto corpore perfunderetur, hac oratione fusâ, *Domine JESV CHRISTE, propter cuius nomen hæc patior, adiuva, & libera me, sicut liberasti tres pueros immaculatos de camino ignis, & confudisti tyrannum, ut nunc quoque erubescat Maximianus cum satellitibus suis,* illicò plumbum velut aquam de fonte manantem sine ulla corporis adustione sensit: Si denique oratio Theclas, Agnetes, aliasque, & alios plurimos Martyres ab igne vindicavit, quid est, cur purgantes flammas oratio non temperaret? Etsi enim pii manes debitas culpis suis pœnas ab iis patiantur, vim tamen eas deprecandi, amoliendique, orationi tribui, & ad gloriam Numinis confert, & ad promissionis Christi veritatem. Hæc enim est ejus ore expressa promissio. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis:* nec potest non in nomine Christi peti, quod piis manibus petitur, ut Purgatorio carcere liberi Deum in cœlo ferventiùs ament, ac dilaudent: in quo ipso Dei gloria sita est; maximè cùm eadem operâ Justitiæ divinæ fiat satis.

929. *Etiam ex SS. Patribus. Augustino oratio clavis cœli.* A sacris litteris venio ad Sanctos Patres, qui cùm earum interpretes sint, non possunt non eadem cum illis sentire. Et Augustini quidem sententia serm. 226. de tempore, clara est. Hæc enim est sat nunc trita ejus oratio; *Oratio iusti clavis est cœli, ascendit precatio, & descendit Dei miseratio, licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam.* Qui Sancti Doctoris locus ex allato Zachariæ loco illustrior evadet; nam ubi legimus, *Effundam super populum meum spiritum gratiæ, & precum,* Septuaginta Interpretes sic legunt, *Spiritum gratiæ, & misericordiæ.* Itaque illo authore oratio & misericordiæ conciliatrix est, & cœli clavis: ac Regia quidem, quippe quam nullus obex, nulla sera potest fallere. Quocirca si piis manibus velut in manus tradatur, cœlum sibi eâ pandent: neque Justitia divina illi poterit obsistere.

930. *S. Chrysostomo lumen.* Jam Chrysostomus eamdem orationem solem esse pronuntiat. Sic enim ipse lib. 1. de orando Deo. *Quemadmodum sol lucem præbet corpori: sic animæ lumen est precatio.* Quare sicut nitens ac politum speculum lumen sibi affusum non modò in se quasi concipit, sed procul etiam emittit: Sic precantis anima divini solis radiis perfusa eos, dum libet, longè in purgantia spelæa projicit, illaque vehementer illuminat: adeò ut nullus eorum angulus uteumque tenebris obsitus, lætitiâ pariter, ac luce illa divinâ non aspergatur. Et quemadmodum D. Petro Apostolorum Principi, Paulo

item, aliisque plurimis Martyribus simul cum luce cœlesti carcerem illustrante, resoluti sunt compedes, dissolutæ manicæ, & custodia reserata est: sic precum luce in lustrante ergastulo promicante animarum vincula religantur.

931. *Nervi, vita.* Denique idem oris aurei Orator. lib. 2. de orando Deo: *Siquis*, ait, *dicat animæ nervos esse deprecationem, meâ quidem sententiâ, videbitur verum dicere.* Et paulò post alia similitudine usus, *Ut piscis*, ait, *vita est aqua, ita tibi deprecatio. Per hanc datur ex aquis subvolare, cœlumque transcendere.* Ita ipse. Qui igitur iis orationis nervis pios manes instruxerit: qui genus hoc vitæ iisdem inspirârit, illicò languorem iis ademerit, & ad capessendam tenendamque cœli viam vigorem impresserit.

932. *Author ad fratres de eremo, prodigiosa liberatrix.* Author quoque Serm. ad Fratres de Eremo. serm. 22. *Valde servis Dei, & solitariis*, inquit, *est necessaria oratio ipsa, per quam Deus placatur, per quam Deus ad nos inclinatur. Adoraverat enim populus Judaicus vitulum conflatilem, & ait Dominus Moysi, dimitte, ut irascatur furor meus contra eos; cui Moyses, Quæso, O Domine, quiescat ira tua, & esto placabilis super malitiam populi tui. Et ecce placatus est Dominus*, & paulò post. *Ecce enim*, ait, *Hieremias confortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace tripudiant, Iob in sterquilinio nudus triumphat, paradisum de cruce latro invenit. Susanna inter senes defenditur, Stephanus de torrente in cœlum suscipitur: & inter lapidantes pro Saulo exauditur.* Laurentius verò Justinianus de orat. c. 2. disertissimè, *Hæc*, ait, nempe oratio, *Deum mitigat, & velut quoddam scutum ab ira eius protegit.* Denique longus sim, si alia ejus generis testimonia congerere velim.

933. *Defunctis hæc applicantur.* Unicum hîc addo, ea quidem quæ de omni oratione universim dixere illi fidei nostræ parentes, propriè illi preci competere, quæ pro piis manibus concipitur. At hæc nominatim. Primum, velut alteros Jeremias in lacum missos mortalium precibus sublevari. Ut enim Eunuchus ille Æthiops Sedeciam Regem pro vate illo rogaverat, ut inde extraheretur; ita defunctorum Amator Deum eâdem causâ efflagitat, non impari successu, eosque extrahit. Ut Daniel inter leones fame rabidos constitutus, liber, atque integer substitit; tumque Darii studio ac benevolentiâ è lacu eductus est; ita pii manes viventium precibus inferorum leonum furorem evadunt, atque ab ipsis velut à Dariis quibusdam ex caveâ educuntur. Ut tres pueri, quod proximè superiùs dicebamus, orationis vim adversus virtutem ignis illæsi senserunt; ita & pii manes sentiunt. Ut Jobus in sterquilinio patientiâ invictâ perstitit, & propter antiquas ac præsentes preces, inter horrendas cruces spe sua recreatus est: ita & iidem illi pii manes recreantur. Ut denique latro brevi prece Christi benevolentiam, ac paradisum, Susanna Danielis patrocinium impetravit; Stephanus Saulo veniam ac conversionem obtinuit; ita piis manibus, non longâ oratione Christi benevolentia, ac patrocinium, venia item noxarum, ac paradisus comparatur. Id quod agnoscens S. Ephrem dum animam suam fratribus suis in testamento à se scripto commendat, *Comitamini me*, ait, *in psalmis, & orationibus, & assiduè pro meâ parvitate orationes facere dignemini, & quando diem trigesimum complevero, mei memoriam faciatis, mortui enim in precationibus, atque oblationibus, commemorationis sanctorum viventium beneficio afficiuntur.*

ARTICULUS II.

De sacrificii virtute Deum piis manibus placandi.

§ 1.

Declaratur.

934. *De illa quadam positiones Theologicæ.* DE eâ scripsi fusè l. 2. de Sacramento Amoris, quando de sacrificio, & hoc tractatu sparsim aliqua pro re natâ protuli, nec est animus actum agere; tantum hic vel addo, vel in memoriam nonnulla revoco huic tractatui necessaria. Primum inter Theologos in confesso esse, pœnam temporalem hujus sacrificii virtute proximè remitti, idque Apostolicâ traditione in Ecclesia constare. Alterum, inter omnia, quæ ad satisfactionem conferre possunt, sacrificium maximè valere; id quod disertè Tridentina Synodus tradit sess. 25. cùm asserit *Purgatorium esse, animásque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio iuvari.* Tertium, hujus sacrificii præcipuum fructum, esse satisfactionis. Quemadmodum enim sacrificio, Crucis maximè, indita fuit vis satisfaciendi pro pœnâ peccatis nostris debitâ; ita sacrificium hoc incruentum, quod cruenti viva quædam imago est, propriè ac directè institutum est ad fructum satisfactionis ex opere operato nobis applicandum,

dum, adeò ut sicut in scholis loquuntur, quod in illo contigit secundùm sufficientiam, id in hoc secundùm efficaciam fiat. Quartum, ex Henriquezii quidem, & Suarezii sententia, satisfactionis ex sacrificio manantis applicationem prodesse defunctis ex opere operato, & certâ iustitiæ lege; licet indulgentiæ, & privatæ applicationes bonorum operum, dumtaxat per modum suffragii, id est, ex misericordia ac liberalitate Dei eas admittentis, prodesse dicantur. Et ratio est, quòd Concilia, ac Sancti Patres eodem modo asserant sacrificium Missæ offerendum pro defunctis, atque pro vivis; & cùm datur Sacerdoti potestas sacrificandi, dicatur, *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis, atque defunctis*: unde sequitur æquè utrisque, atque ex opere operato prodesse.

§ 2.

Eadem virtus exemplis comprobatur.

935. *Bernardus sacrificiis liberat fratrem Conversum.*

ID genus virtutis non semel demonstravit Bernardus Abbas Clarevallensis, dulce nomen, non mortalibus dumtaxat, sed & vitâ functis, quibus, dum vixit, quàm optimè voluit, ac fecit. Decesserat quidam ex eius monasterio frater Conversus, in alios plus æquo asper atque immitis. Hic viro Sancto lamentabili specie spectandum se præbuit, & ab eo interrogatus, quo statu res ipsius essent, subjecit sese à quatuor dæmonibus Justitiæ divinæ administris vehementissimè torqueri. Quo dicto continuò tanquam turbido aquilone abreptus spectari desiit. Urget nihilominus Bernardus, ut rursum se ipsi sistat, & interea sacrificiis tum per se, tũ per Fratres, Deum illi animæ propitiare conatur; nec frustra, nam pauco post tempore divinitus cognoscit purgante ergastulo liberam esse; quod nuncii mirum in modum eum recreavit.

936. *Item alium.*

Aliàs cùm alter etiam Conversus in eodem cœnobio vita migrasset, quidam grandis natu Religiosus, nec impari virtute, vidit dæmonum legiones in varias cohortes distributas lætissimis vocibus clamitantes *Accurrite, accurrite socii: ecce in manus nostras tandem venit ex hac infestâ valle cucullatus*: Tum senex mœstus in cubile se recepit. Inter qualem qualem soporem ei apparens ille mortuus, *Audisti certè*, inquit, *insanos demonum clamores, super sua præda, meáque calamitate; veni ergo, & pariter vide tormenti genus horrendum, quo me excruciant.* Nec mora, senem ad pũteum adduxit latum profundumque supra modum. *En*, ait, *locus, quo me dæmones frequenter iniiciunt, tantâ rabie, tantóque cruciatu, ut malim centies in eum à mortalibus, quàm semel abiis coniici.* Subinde visa, auditaque ad Bernardum refert Religiosus. At hic ea cœlitus mente præceperat, atque altùm suspirans, illicò totum monachorum suorum cœtum cogi jubet, coactosque fervidè hortatur, vitam ut agant sancti timoris ac vigilantiæ plenam, quando totus orcus in eos insurgit, qui religiosum vivendi genus profitentur: Tum verò universos monet, ut fratrem demortuum precibus ac sacrificiis prosequantur. Non diu id præstiterant, cùm defunctus seni rursum spectabilis, sibi melius esse asseruit. rogatusque quid potissimùm illius dolores levasset, *Ades*, ait, *commonstrabo.* Tum seni ad templi suggestum deducto unde Sacerdotes aris operantes animadverti poterant, *Ecce*, ait, *arma, quibus dæmonum potestate sum ereptus. Ecce victimam qua reconciliatus. Ecce lytrum, quo redemptus sum: cuius tanta vis est, ut nemo nisi contumax, & perire obstinatus, possit illi reluctari.* Aliàs dum idem vir sanctus Missam Romæ facit in sacello Divis Martyribus Zenoni, ac sociis dicato, scalam conspexit, quæ ab altari, ubi faciebat, ad cœlum usque pertineret, pariterque vim ingentem Tutelarium modò ascendentium, modò descendentium animadvertit, quippe quorum ministerio animæ jam purgatæ in cœlum deferebantur. Vide Henriquez, & alios variis locis; & sacris cum pietate operando talem scalam tibi, & defunctis construe.

937. *Mollioris præsidis liberatis per Missas.*

Jam venerabilis Franciscus à Parma Ordinis fratrum Minorum cùm in æde sacra sui cœnobii quondam oraret, jamque diu cum somno velut luctatus fuisset, ingentem dæmonum multitudinem vidit animæ cujusdam è fratribus vitâ functis cruciandæ incumbentem. mox pro eâ, quam ei sua sanctitas tribuerat in dæmones potestate, jussit eos tantisper à cruciando cessare, dum reum interrogaret, quis, & quare ita torqueretur. Respondit illi se munus Vicarii cujusdam Provinciæ gessisse, & quia hominibus magis, quàm Deo se probare studuerat, usque eò, ut nimium libertatis fratribus sibi subjectis permitteret, ideò sic infæliciter agitari. *Tũne ille igitur es*, ait, Frãciscus, *qui solitus eras bonus ac suavis Pater appellari? Et quî factum est, ut tanta Missarum, aliorúmque suffragiorum à nostris fratribus exhibitorum copia te non sublevârit? Imo*, subiecit reus, *perfecerunt, ut non acrioribus doloribus discruciarer. Quare te impensè rogo, obtestórque, eos ut meo nomine*

flagites quo Missas precésque mihi addicere pergant, & tu imprimis mei misereare. Votis, ac supplicationi obsecuti sunt fratres, maximè quòd Patri ac præsidi tantis in tormentis adesse charitas jubebat: nec Franciscus destitit quà Missis, quà suffragiis aliis, Deum urgere, donec è carcere Purgatorio in cœli regiam migrasse sensisset. Ite nunc Rectores, & mortalibus potiùs, quàm Deo placere studete. Heu! disciplinæ communis laxatio quàm rigidè in vobis plectetur!

938. *Virtus Josephi Anchietæ per Missas.* Sed eximius in hoc genere charitatis, virtutisque animas per sacrificia liberandi, fuit admirabilis ille Brasiliæ Thaumaturgus Josephus Anchieta Soc. Jesu. Hic enim illas è flammis purgantibus eximebat citiùs, quàm alii, quorum scire intererat, illorum obitum rescirent. Festo S. Joannis Evangelistæ die, sacrum *de defunctis* fecit pro certo quodam homine. Miratus Collegii illius Præses, Missæ ejusmodi importunitatem (quippe Natalibus festis) facti causam Josephum rogavit. Ille ingenuè, *Mi pater*, ait, *nocte proximè præterita in urbe Laureti, decessit Pater quidam mihi olim condiscipulus; pro eo sacrificavi.* Instituit Rector rogare, num quid de animæ illius statu cognôsset: Tum Josephus, omnino, subjecit. Nam cùm eò Missæ perveniissem, quando ritè dicitur, *Omnis honor, & gloria*, tum cœlo se intulit: nempe ad Numinis gloriam, & sacrificii virtutem æternùm concinendam.

939. *Alium itidem liberat.* Quondam evênit, ut Collegii, in quo degebat, Rectori manè divina meditanti objiceretur hominum turba, quos discernere non posset. Interea tamen vocem exaudiit sic orantis. *Pater mi, Pater mi, Deum pro me precare, ego sum ille*; nomen suum significabat. Animadvertit Rector illam filii sui Bartholomæi esse vocem: nam viduus Societatem inierat: tum ad Josephum adit, quærit, qui se filius suus habeat, nec visum indicat. Rectè, ait, Josephus, moxque sermonem aliò vertit. At anno post Baiâ (urbs est Brasiliæ) ubi Bartholomæus studiis vacaverat, tyro quidam veniens eum mortuum renunciat. Quo audito, Rector Josephum orat, ut pro suo Bartholomæo unum Sacrum faciat, supra ea quæ quisque Sacerdotum nostris in eadem provincia defunctis debet. *Feci*, ait Josephus, *pro eo, nec plurium Sacrorum eget. Id verò cognovi, dum visio tibi ista objecta est; quo tempore filius in cœlum iter habebat.* Ita ipse. Ex quo intelligis filium patrem suum orasse, ut itineris moram contraheret.

940. *Item alium.* Aliàs dum æger in conclavi ægrorum versaretur, unum è fratribus, ægrorum ministrum aliquid esculenti postulans, animadvertit eum litteris Olyssiponem ad sororem suam scribendis intentum. Tum Josephus, *In cœlum*, inquit, *potiùs eas destina, nam soror tua mortua est.* Intellectâ dein vaticinii veritate petivit ab eo frater, ut pro sorore sacrificaret. Ad hæc ille, *Eo ipso tempore, subiecit, quo migravit è vitâ, illo charitatis munere sum perfunctus.* Idem Taumaturgus totidem pro nostris vitâ functis, quot pro Fundatoribus sacrificia patrare solitus, hanc facti rationem addere solebat, quòd illi quidem facultates suas, hi verò seipsos Societati dedissent.

§. 3.

Piorum manium desideria opis per sacrificia obtinendæ.

941. *Multa confirmat ejus desiderii exempla.* Cum tanta sit vis sacrificii ad animarum levamen, mirum non est à piis manibus illud singulariter expeti. Nota est Susonis è S. Dominici familia religiosissimi viri historia, qui cùm socio, pro pacto inito, sacrificia non redderet, sed preces, ac corporis afflictationes, ille graviter quæstus, *Sanguinem Redemptoris* exigere se dixit, quo flammas suas mitigaret. Nota quoque Cantipratani, cujus pater, quotiescumque ille suo mortui bono sacrificare negligebat, miserabiliter conquerebatur. Nota denique apprecatio cujusdam Peregrini defuncti, qui suo ac multorum aliorum nomine instituit apud S. Nicolaum Tolentinatem, ut suâ causâ Missam faceret, quæ omnia fusè retuli, Tractatu de Sacramento Amoris: quando sacrificii vim piacularem exposui.

942. *Defuncti sacrificia Mastrilli exoptant.* Minùs celebris est piorum manium dolor de sua sacrificiorum jactura ex morbo R. P. Francisci Mastrilli profecta. Ægrotabat ille ad mortem, à qua tamen S. Francisci Xaverii beneficio prodigiosè ereptus est, quando Xaverius eum cum variis Cælitibus sæpiùs adibat. Quondam ampliore solito eorum catervâ cinctus illi se præbuit. Scitatus est Mastrillus familiariter, an comites illi essent è piis manibus. Cui Xaverius, *Amici*, inquit, *mei sunt, qui te Deo supplices commendant; quibus non mediocriter dolet ægrum te iacere, quòd sacrificiorum tuorum fructu priventur.* Ergo, reponit Mastrillus, *expedit Patribus nostris commendare, ut sacrificia complura, precésque illis addicant.* Annuente Divo, nec gratiam ingratis conferendam significante, Mastrillus omnes Collegii Patres fratresque

que flagitavit Missas, & rosaria; quæ persoluta sunt. Eodem refero quod de S. Venantio Turonensi Abbate ferunt. Cùm enim quondam sacrificio interesset, & cantantium chorus ad orationis Dominicæ verba illa perveniisset, *Sed libera nos à malo*, è tumulo Sacerdotis cujusdam, cui nomen Brasia, vox lamentabilis audita est, quæ idem repeteret: ut intelligeremus, opinor, sacrificio præsertim sese à maximo illo malo purgantium ignium liberandum esse.

Simul de S. Venantio Abbate.

943. *Detegunt furem stipendii Missarum defuncti.*

Somnia quædam divinitus immitti, tum sacri libri, tum multa experientia comprobat. Inter hæc illud refero, quod, amplius sunt viginti anni, mulieri cuidam viduæ objectum est Romæ. Erat huic mater, quæ octavo quoque die plura piacularia sacra pro expiatione animarum, quæ Purgatorio igne detinentur, facienda curabat, atque eleëmosynam privigno ejus viduæ filiæ, ut diximus, suæ, Sacerdotibus deferendam tradebat, qui numquam totam persolvebat, sed semper partem ejus aliquam avertebat, neque id umquam mulieri subolere potuerat. Verùm vidua illa visa est videre, atque audire in somnis, qui diceret privignum suum eleëmosynam ad sacra facienda tributam defraudare. Proinde matrem admoneret, ut alium fideliorem eligeret. Quod somnium cùm filia matri narrasset, illa primò contempsit. Post venit illi in mentem filiæ somnio aures dare: nec rem illam inquisitam dimittere. Itaque Ædituum illius Ecclesiæ adit, percunctantur quot à puero illo Julios octavo quoque die ad sacra facienda perciperet. Ille sumit codicem, in quem eleëmosynarum ratio referebatur, inspicit, ac reperit puerum ex singulis eleëmosynis singulos minimum Julios solere detrahere, sibique habere. Quare comperit filiæ somnium cum veritate congruere. Atque in eam opinionem adducta est, ut pro certo existimaret, Dei permissu aliquam earum animarum, quarum ea Sacra fieri plurimùm interat, secundùm quietem indicasse filiæ fraudari eam pecuniam, quæ esset ad ipsarum expiationem attributa. Ita Janus Nicius Exemp. 152. Denique præclarum est, & auditu pium utilissimumque quod ex nostro Allegambe de mortibus nostrorum illustribus subjicio. Joannes Cornelius è Soc. Jesu, qui in Anglia fidei causâ inclytam mortem subiit, cùm esset aliàs in defunctos piissimus, & piacularia sacrificia quater ferè per hebdomadem pro iis litaret, quondam eorum vim ex precibus, votisque apparentis sibi animæ manifestò expertus est. Operabatur sacris pro D. Sturrono Barone haud pridem demortuo, cùm ab elevatione ad usque defunctorum commemorationem plus solito cunctatus est. A Sacro præsentes alloqui hortãdo cœpit, ex iis verbis: *Beati qui in Domino moriuntur*, retulitque vidisse se in ea mora, quam duxerat, sylvam vastissimam dira incendia glomerantem, & in ejus meditullio Baronis animam, horridos inter stridores, & miserabiles ejulatus queritantem. Accusasse autem illum vecordiam suam, atque ignaviam dissimulata nonnunquam fide, quando eam testari palam, ex usu fuisset: accusasse item malè perditam in aula protritamque ætatem, & morum documenta præbita, non satis ex officio: demum quòd eorum fuisset è numero, quorum suffragatione Regina Scotiæ innocentissima perierat, quod tamen delictum jam ante pœnitendo induxerat. Solo quidem vertice flammis extare visum, sed è familiari sibi viri calvitie agnitum, vociferantem, *Interea, Miseremini mei, Miseremini mei, saltem vos amici mei.* Hæc ubi dixit concionem octogenûm circiter capitum solvit lacrymantem, plenus ipse lacrymarum. Eadem prorsus omnia Sacri minister sibi objecta affirmavit; & cæteri lucem se quandam in altero altaris cornu, sed tenebricosam, & caligine offusam, & carbonum instar, conspicatos esse memorabant. Ergo, ô Sacerdotes, illorum miseremini qui vos præsertim amicos invocant, quippe quos ratio muneris, & summa potestas ad benefaciendum illis debet impellere.

Opem in sacrificio petunt.

§. 1.

Studium mortalium Missas piis manibus procurandi.

Excelluit in hoc genere S. Odilo, Præsul Cluniacensis, à cujus pietate fluxit in totam Ecclesiam celebris illa dies commemorationis defunctorum. Quem ritum priusquàm tota amplecteretur, recepit in Ecclesiam Leodiensem Notgerus Episcopus, vir apud Leodios illustris, qui Odilonem, minorem quidem natu, ac dignitate, tamen sanctitatis famâ carum, ac venerabilem habebat. haud scio an suppar Odilonis curæ ejusmodi fuerit cura S. Brunonis, Carthusianorum Fũdatoris, qui præter officium defunctorum quotidianum, plurimorumque psalmorum recitationem, innumeras, ut ita dicam, Missas in commodum defunctorum suis indixit. Quare non pauci student in illorum partem venire per communicationem meritorum seu satisfactionum, atque impetrationis, quam esse

944. *S. Odilo, Notgerus, Bruno.*

esse valde fructuosum sequens historia cõmonstrat.

945. *Participationis meritorum fructus.*

Vir quidam honoratus Ordinem illum collatâ stipe non modicâ valdè sibi obstrinxerat; usque eo, ut litteras participationis precum, ac satisfactionum à Capitulo Generali obtentas apud se in scrinio servaret, quo subinde vitâ functo, uxor mortem illius Carthusiensibus significare cunctata est; & ecce strepitus noctu è scrinio crebrescere, totam domum horrore complere, uxorem ad consilium petendum adigere. Qui consulebatur, prudenter censuit scrinium aperiendum, fortè enim in eo latere scedulam alicujus obligationis indicem, quam defunctus velit dissolvi. Sed non aliud repertum, quàm litteræ illæ, quibus lectis æquè prudenter dijudicavit strepitus causam uxoris negligentiæ tribuendam, per quam litteras illas Carthusianis ostendere, ac fidem eorum ad suppetias viro demortuo quà precibus, quà Missis ferendas implorare cunctata erat. Quo peracto scilicet tumultus audiri desiit, quia pius precum clamor in cœlo exaudiri cœpit, & anima in Purgatorio leniùs haberi.

946. *S. Caroli Boromei similis pietas.*

Emicuit in hoc quoque pietatis genere Carolus Boromeus Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis. Siquidem anno salutis 1578. cùm maligniſſima lues Mediolanensem civitatem, ac ditionem miserè vastaret, Mediolanenses impulit primùm ad restaurandam S. Sebastiani ædem sacram, in eaque curandum in singulos dies perpetuum sacrificium, Diemque Sancto festum celebrandum, atque illius pervigilium jejunio honorandum. Tum instituit, ut Lipsanotheca elegans reliquiis illius Divi istic repositis honorificentiùs habendis construeretur, & quod ad propositum facit, attento plurimos ex his, quos pestis abstulerat, neminem habere, à quo quidquam opis, nedum Missam, exspectare possent, exequias defunctorum tertiò pro iis fieri curavit, unas in Cathedrali, ac Metropolitana, cui totus civitatis clerus interfuit, reliquas duas in singulis Collegialibus, quibus proprius cujusque clerus præsens adfuit. Cœtus omnes Religiosi, Curionesque illius Diœcesis idem præstitere, singulique Sacerdotes pro iisdem defunctis semel sacrificavere. Quin etiam epistolâ pastorali per universam diœcesim missâ, omnes utriusque sexus, ac cujuslibet conditionis, ætatisque homines exhortatus erat, ut iis exequiis præsentes se sisterent, ac defunctos illos, quà precibus, quà largitione stipis, quà septem ædium Stationalium Mediolani sitarum pia frequentatione, quà cœteris piis operibus sublevarent. Quod ut propensiùs, pleniusque exequerentur, ingentem tormentorum, quibus excruciantur pii manes, acerbitatem demonstrârat. Sic ille piissimus mortuorum non modò vivorum patronus.

947. *Item S. Ludovici Regis.*

Est etiam digna posteritatis laude pietas ejusdem generis, S. Ludovici Galliarum Regis, quæ tum aliis rebus, tum hoc indicio se prodidit. Circa Redemptoris annum 1257. Ludovicus intellecto nobilissimum virum Engerranum de Concy, sanguine non modò Regio, sed & Imperiâli oriundum, nescio quo œstro percitum, juvenes Flandros studiorum causâ Parisios petentes, in crucem sustulisse, per causam venationis in suis nemoribus exercitæ (cùm illis neque venatici canes, neque ullum venationis instrumentum adesset) primùm hominem carcere inclusit; deinde ad mortem damnasset, nisi Comitum, ac Baronum preces intercessissent. Cœterùm Engerrano mulctam decies mille librarum imposuit, quæ mulcta propter pecuniæ inopiam tunc erat gravissima. Tum trium annorum in terrâ sancta servitutem adjecit, præterea sylvas ejus fisco addixit. In gratiam autem adolescentium mortuorum sacella primùm excitari voluit, ac redditus ad Missas piè faciendas instrui, quos redditus ex nemorum pretio conflandos censuit. Denique illos curavit in iis honorificè inhumandos. Porrò quantum ex Missis solatium ac levamen defunctorum existere arbitraretur, tum maximè prodidit, quando in testamento suo ita filium suum Regni successorem, affatur, *Exhortor, & adjuro te, fili mi, ut si me contigerit ante te migrare ex hac vita, toto Regno Franciæ pro anima mea cures offerri preces, ac sacrificia.* Ita Rex Ludovicus. In Annal. Paris.

948. *Ferdinandus 3. Imp. secretarium liberat.*

Denique Austriacæ Domus liberalitas in pios manes semper fuit Augusta. Ut enim præteream, quæ de Philippo II. ac Clara Eugenia Isabella nuper me narrare memini, ingentem sacrificiorum numerum conjugibus suis fieri mandasse, audi, quæ subjicio. Ferdinandus Cæsar III. Amanuensem habuit consiliorum omnium participem. Is cùm obiit mortem; aliquanto post Cæsari in conspectum venit: quem ille cùm esset intuitus, alacri atque præsenti animo ejus adventus causam exquisivit, sed nullum ab eo responsum accepit, verùm ejus loco dexteram sibi dare conspexit, quàm imperterritus Cæsar accepit. Ita verò ardentem offendit, ut ferri toleraríque non posset. Quamobrem coactus fuit protinus eam amittere, sed vix amisit, cùm ille excessit ex oculis. Tum verò demum

demum intellexit Cæsar, quænam adventùs ejus causa fuisset, cujusque auxilii esset ille egens imprimis. Itaque postero die, aliisque deinceps pro illius animâ, multa piacularia Sacra facienda curavit, quorum vi flammâ illâ præreptum, fit verisimile in cœlum abiisse, non enim aliàs se Cæsari videndum objecit. Hæc ego nobilem virum Polonum, Gottifredo nomine, narrantem audivi, qui tum temporis in aula Ferdinandi versabatur. Ita Janus Nicius exempl. 154.

949. *Uxoris illius par studium.* Imperatori jungenda Augustissima Imperatrix, eademque Ferdinandi II. Inclyta conjux, Anna Eleonora ex Ducibus Mantuanis ad Imperialis tori thronum dignitatemque evecta. Hæc enim cùm singulari salutis ac solatii animarum studio teneretur, authoritate suâ, operaque, multa multis altaria privilegiata in gratiam piorũ maniũ, multasque indulgentias tum sibi, tũ aliis à Summis Pontificibus, Gregorio XV. Urbano VIII. & Innocentio X. impetravit, quibus quà mortales, quà mortui fruerentur. Quas ne inutiles esse sineret, certa serie, ordineque digestas ad usum revocabat, non defunctorum minùs, quàm viventium mater dulcissima. Quæ cùm cetera summa haberet, nihil tamen majus pietate.

950. *Mons pietatis ad stipendia Missarum.* Prætereo cætera, plurima enim hoc toto opere sparsa sunt, inter quæ illud illustrissimum, quod de monte pietatis ad colligenda pro defunctis Missarum stipendia à Cleris Regularibus in Italia excitato diximus. Quem montem iterum dico, velim alibi, atque in hoc nominatim Belgio ubivis erigi. Verè enim mons pietatis esset, unde brevi in cœlum & viventibus & mortuis liceret ascendere.

§ 5.

De variis Missis defunctorum.

951. *Varietas Sacrorum antiqua quantum ad dies.* EXPOSITA Missæ virtute ad pios manes sublevandos opportuna, consequitur ut sigillatim de variis defunctorum Missis agamus. Primùm igitur varietas cernitur in diebus, quibus fiat pro defunctis. Nam & apud Gentiles mos viguit certis diebus pro mortuis litandi. Hinc februa, & novemdialia. Etenim *februa Romani dixere piacula Patres*, quæ per duodecim dies continuos celebrabantur pro defunctorum manibus. Novemdiale autem sacrum erat, ex veteri instituto, nono ab obitu die factum. Unde Horatius, *Novemdiales dissipare pulveres.*

Porrò apud Christianos jam olim pro mortuis Missa ipso die obitus fieri solita, antequam sepulturæ quis mandaretur. Id quod ex Tertulliano erui potest, & satis patet ex Ambrosio, Augustino, & Victore Uticensi, quos videre est laudatos à Josepho Vicecomite de Missæ ritibus l. 4. c. 7. Altera pro defunctis Missa fieri pridem solita est tertio post obitum die, cujus præceptum extat in Constit. Apostolorum l. 8. c. 48. hisce verbis, *Peragatur dies tertius mortuorum in Psalmis, in lectionibus, atque orationibus, propter eum, qui tertio die resurrexit.* Ubi orationum nomine etiam Missam intelligi compertum, pariterque hanc sanctionem ab Ecclesia semper esse observatam. Sequitur deinde mos faciendi septimo ab obitu die, sive quia dies septimus, symbolum est futuræ quietis, sive quia tota vita septem in orbem diebus ducitur. 952. *Primo, tertio, septimo die pro defunctis facta.*

Designatur etiam trigesimus à morte dies ad sacrificandum pro defuncto; qui ritus ab Hebræis fluxit, quippe qui Aaronem, ac Moysen per triginta flevere dies, vel certè ex eo, quòd Christus trigesimo ætatis anno à Joanne baptizatus, vel, quòd maximè probo, quod nos omnes in ea *mensura ætatis plenitudinis Christi* simus resurrecturi. Denique celebris est anniversarius dies litationis pro defunctis jam inde ab Apostolis celebratus, scilicet ad memoriam piorum manium, quæ ipsomet obitûs die post annum recurrente faciliùs refricatur. Postremò Missæ pro mortuis sunt quotidianæ, nempe quòd cùm semper flagrent aliqui, quotidianâ Missarum litatione digni sunt qui adjuventur: imò qui pluribus per unicum diem sacrificiis, uti olim S. Norbertus, aliique sæpiùs unico die sacrificavere. 953. *Trigesimus, & anniversarius, & quotidianæ Missæ.*

Ad hanc quoque distinctionem spectat celebritas Missarum funebrium, quæ postridie kalendas Novembris quotannis celebrantur. Sed propriè tractanda est. Atque originem quidem illarum Petrus Damiani, ac Sigebertus acceptam ferunt S. Odiloni Abbati, qui eo anno vixit, qui fuit à partu Virginis nongentesimus nonagesimus octavus. Occasionem in ipso tractatûs exordio deprompsimus; sed probabile est jam tum celebritatem illam in usu fuisse, cùm Amalarius Fortunatus ducentis prope annis Odilone antiquior lib. de ord. Antiph. cap. 65. in hunc modum loquatur. *Post officium Sanctorum inferui officium pro mortuis, multi enim transierunt de præsenti sæculo, qui non illicò Sanctis coniunguntur, pro quibus solito more officium agitur*: sic ipse. Conciliabuntur sententiæ, si dicamus morem S. Odilonis tempore passim anti- 954. *Dies commemorationis defunctorum.*

quatum fuisse, atque ab illo revocatum, in reliquam Ecclesiam derivatum esse.

955. *Ejus causa.* Causâ porrò cur dies ille nominatim lectus sit ad defunctorum commemorationem, ab authoribus non affertur. Prior hæc esse potuit, quod cùm festo omnium Sanctorum die, de illorum cælesti gloriâ frequens agat, & gratuletur illis Ecclesia, opportunum sit, ac consentaneum, ut proximè à secundis vesperis eam piis manibus voveat: quippe cujus candidati, & tamen miserabiliter exortes sint. Posterior, quòd oratis communiter omnibus Divis, & honoratâ Ecclesia illâ Triumphante, proniùs sit opem eorum Ecclesiæ patienti optatissimam exorare.

956. *Missarum pro defunctis numerus trigesimus.* Altera varietas Missarum petitur ex numero sacrificiorum, estque percelebris tricenarius, cujus occasionem accipe. Justus quidam S. Gregorii Magni monachus cum aliquot nummis apud se sine Præsidum facultate retentis, diem suum obierat. Hunc Gregorius in sterquilinio ad ignominiam ipsius, fratrumque exemplum, sepultum etiam per triginta ab obitu dies omni sacrificio vacuum reliquit. Quibus transactis ejus miseratione motus sic ait, suo Præposito: *Diu est, quod frater ille, qui defunctus est, in igne cruciatur. Debemus ei aliquid charitatis impendere, & eum in quantum possimus, ut eripiatur, adiuvare: vade igitur, & ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium stude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non offeratur. Qui protinus abcessit, & dictis paruit; nobis autem alia curantibus, atque dies evolutos non numerantibus, idem frater, qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri germano suo, Copioso, per visionem apparuit, quem ille cùm vidisset, inquisivit, dicens: Quid est frater? Quomodo es? cui respondit, nunc usque male fui, sed modò bene sum, hodie communionem recepi. Quod idem Copiosus pergens, protinus indicavit fratribus in monasterio; fratres verò sollicitè comparuerunt, & ipse dies extiterat, quo pro ea trigesima oblatio fuerat impleta.* Sic Gregorius. Porrò ex hoc prodigio consuetudo in Ecclesiam fluxit trigesies pro mortuis sacrificandi, quem numerum sacrificiorum Missas Gregorianas appellant.

957. *Missæ, quæ circumferuntur à S. Gregorio non sunt præceptæ.* De quibus non una quæstio institui potest. Primùm enim quæritur, an eæ quæ circumferuntur, necessariò sint faciendæ ad subsidium, quod per Missas Gregorianas exspectari potest, impetrandum? Et responsio est negans; nec enim ullas Missas distinctas fieri voluit Gregorius, sed simpliciter *ut studeret* suus Præpositus per triginta dierum intervallum Missas in singulos dies continuare. Adde Missas illas, quæ proferuntur, variè à variis recenseri, neque apparere cur sic, vel sic distinguendæ sint. Adde rursus, & maximè easdem non quadrare diebus, in quas incidere possunt, ut Missa de Passione in diem Resurrectionis, aut Ascensionis Dominicæ. Quare meritò ordo ille prohibetur.

958. *Non est necesse eas ab uno fieri, neque vim habent peculiarem.* Quæritur deinde, an necesse sit eas ab uno, eodemque Sacerdote fieri? Et similiter responsio est negans, quia neque id petiit Gregorius, sed ut *studeret* ille continuare; neque addidit per se. Relinquit igitur libertatem per alium Sacerdotem tricenarium numerum perficiendi. Quæritur præterea, an faciendum sit quotidie Sacrum de defunctis. Sed patet ex dictis neque id à Gregorio postulatum: & verò ab Ecclesia vetatur, ne Dominicis, ac festis duplicibus fiat, nisi certæ conditiones interveniant. Denique quæri potest, an in eo numero vis quædam insit propria ad pios manes sublevandos? & respondetur non inesse ullam ex opere operato, ut liquet (nec enim ullum illius indicium) vel ex Scripturâ, vel ex Ecclesiæ sensu, vel ex promissione S. Gregorii. Si quæ igitur sit, ex opere operantis fluit, quoniam exemplo S. Gregorii pietas accenditur, ac fiducia fidelium crescit, adeoque & vis impetrandi. Quamobrem ego quidem mallem illico triginta Missas à triginta Sacerdotibus meâ mortui causâ fieri, quàm singulas, per singulos triginta dies patrari, quia præstat mihi ardenti hodie multam affundi aquam, quâ statim restinguam ardorem, quàm eum paulatim per longum temporis spatium mitigari. Et quanti quæso est defunctis uno, duobus, tribus diebus Deo ac beatitudine citiùs perfrui?

959. *Distinctio Missarum ex loco privilegiato.* Ad extremum distingui solent Missæ pro defunctis ex loco, ubi sacrificatur. Et celebres sunt Missæ altaris privilegiati, de quibus hæc pauca accipe. Solent Pontifices Indulgentias altaris privilegiati duobus modis concedere. Prior talis est. *Qui in altari B. sacrificaverit die lunæ pro anima defuncti, seu pro defunctis, animam liberabit ex Purgatorio.* Et eo posito, quælibet Missa, etiam diei, æquè valet ad liberationem illius, atque Missa *Requiem*. Posterior talis. *Qui in altari B. fecerit Missam de defunctis, vel Requiem, à Purgatorio animam liberabit.* quo posito Missa de defunctis sola ad eam liberationem eligenda, ac facienda est, etiam quando in diem Lunæ festum, ut vocant, de præcepto, & festum duplex incidit. Sic enim mentem Pontificis vetantis Missam *Requiem* his

diebus

diebus fieri, licet accipere, ne alioqui privilegium fiat inutile. Et ita docent Barbosa, Gavantus ex Sacræ Congregationis declaratione.

960. *De sacrificio cum numismate extra altare privil.*

Deinde qui obligatus sacrificare in altari privilegiato pro defunctis, alibi sacrificat cum numismate, cui vis inest sacrificando animam à Purgatorio eximendi, Fraxinello, Barbosa, & Gavanto authoribus, mortiferam culpam admittit, tum quòd certius sit privilegium altaris, quàm indulgentia numismatis, de quo dubitari potest, an sit benedictum. Sed longè mitiùs alii, docent ne veniali quidem culpæ vertendum esse. Ita Pellizarius noster, ita Marchinus, Megalius, Garcias, item Leander, Paschaligus apud Dianam. Et rationem reddunt, quòd pactum non violetur formaliter, ut aiunt, sed tantùm materialiter: sola enim indulgentia plena, atque animæ à Purgatorio libertas quæritur, quæ per numisma æquè certò acquiritur. Neque verò refert, quid ex æquipollentibus fiat l. finali §. finali. Et licet inæqualis esset certitudo, non cogor eligere certiorem partem, sed sat mihi est probabilem sequi; saltem sufficit, non adesse mihi probabilem rationem ambigendi an numisma sit benedictum. sed quidquid sit de hac tota ratiocinatione, usus posterioris hujus sententiæ auctoritate Pontificiâ omnino prohibitus est. Atque ut non esset prohibitus, prior certior est per se ipsa, & nefas est sapitque nescio quam crudelitatem in tam dura diuturnaque piorum manium calamitate, certioribus remediis relictis incerta sectari.

§ 6.

Quæ Missæ piis manibus sint utiliores.

961. *Diversis respectibus omnes Missæ æquè prosunt.*

Est sententia Angelici Doctoris satis recepta communiter, Missam Requiem magis eos levare, quàm aliam; facilè tamen secus accidere posse. Sic enim ille. *Dicendum*, ait, *quod in officio Missæ non solum est sacrificium, sed etiam sunt orationes, & ideò Missæ sacrificium continet duo horum, quæ Augustinus enumerat, scilicet orationem, & sacrificium. Ex parte ergo sacrificii oblati Missa æqualiter prodest defuncto, de quocumque dicatur, & hoc est præcipuum, quod fit in Missa. Ex parte verò orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iste defectus recompensari potest per maiorem devotionem, vel eius qui dicit Missam, vel eius qui iubet dici, vel etiam per intercessionem Sancti, cuius suffragium in Missa imploratur.* His adde Missam Requiem, & breviorem aliis esse, & à multis parum attentè ac piè decurri, propter assuetudinem, ut etiam observat Navarrus, & experientia plus satis demonstrat.

962. *Qui præstet Missa cantata.*

Deinde Missa cantata cæteris paribus, haud multò plus prodest defunctis, quàm simplice sono recitata; aliunde tamen præstat. Explicatur: Cùm cætera eadem sint utraque in Missa, eo tantùm differet hæc ab illa, quòd cantus aliquid conferat ad excitandam adstantium pietatem, & fortasse etiam Sacerdotis. Verùm multum & illi pietati detrahit assuetudo cantandi, & præcipitatio, quæ subinde etiam præsentes offendit. 2. quòd plures ad cantandum conveniant, atque ita orationes multiplicentur. 3. quòd ministri Ecclesiæ sic alantur, quod genus quoddam eleëmosynæ est, & defunctis prodest; sed viderint illi ut pietate sua, atque multiplici opere operantis, fructum operis operati ex pauculis Sacris privatis minore sumptu colligendum excedant. Adverte non posse quidem omitti Sacrum solemne mortuale, quia ad illud consuetudo Ecclesiæ aliquod jus dedit ministris, ac sacerdotibus; improbandam tamen esse eorum avaritiam, qui sumptuosas exequias extorquent, quando nonnumquam, licet conditio defuncti honorata fuerit; tamen parum restat ad æris alieni solutionem, viduæque & liberorum alimenta.

963. *Ante mortem cura tibi Missas.*

Quo verò tempore Missæ ad redemtionem pœnarum purgantium sunt faciendæ? Ego sanè ante mortem potiùs, quàm à morte faciendas probaverim, quia præstat providere ut incendium evites, quàm ut ex eo eripiare. 2. quia ante mortem tibi ipse prospicies, curabisque diligentiùs rem tuam, & salutem animæ quàm alii. Etiam videre est frequenter, ô nefas lacrymabile! hæredes de fortunis sollicitos, parum de levamine eorum, qui eas illis reliquerunt, cogitare; sæpe etiam conari legata pia rescindere, ad minimum accidere illa, & partem sibi arrogare, aut parte quidem illorum executioni datâ, reliquum differre, nempe cum defuncti gravissimo detrimento, qui interim ardet, & per negligentiam, aut avaritiam eorum, quibus vitam, & labores omnes impendit, miserè torquetur. 3. quia fructus sacrificiorum, & Ecclesiæ suffragiorum, quæ tibi addixeris, certiùs vivo adveniet, quàm defuncto, cùm disputetur, an defunctis certò & infallibiter obtingant, quæ illis destinata sunt; non item dubium sit de iis precibus, ac suffragiis, quæ sibi quis vivo assignarit. 4. quia dum

pro te vivente sacrificium fieri curas, acquiris fructum sacrificii multiplicem. Nam & meritum, ac gratiam habitualem auges ex opere operantis, & insuper ex opere operato impetras gratias actuales; item bona tĕporalia saluti congrua, & præterea pro pœnis vitæ anteactæ debitis satisfacis, cùm satisfactio meritum comitetur, eique ferè adæquetur. Dum autem pro te defuncto sacrificari jubes, mereris tum quidem aliquid propter istam piam voluntatem, & aliquantum impetras & satisfacis ex opere operantis; sed dum Purgatorio claudêris, non percipies ex opere operato fructum ullum alium sacrificii, quàm satisfactionis, & fortè impetrationis, ut aliqui recordentur tui, & pro anima tua precentur. Adde 5. ut est longè difficilius privare te, dum adhuc vivis, opibus tuis, quàm eas relinquere post mortem tradendas, ita magis meritorium esse pro te vivo curare fieri Sacra, quàm pro mortuo. Atque hæ rationes non paucos impulere ad Missas, aliaque suffragia, sibi dum vita maneret, curanda: & meo quidem judicio prudentissimè.

964. *Solutio objectionum.* Dices: factis sacrificiis, quæ mihi vivo destinavero, novas adhuc noxas contraham per fragilitatem humanam, atque adeò novis pœnis obnoxius ero. Respondeo: hac de causâ suaserim, ut partem Missarum (& eadem est ratio aliorum suffragiorum) ante mortem fieri cures, partem post mortem, pro portione scilicet noxarum, quas ætas anteacta commiserit.

Dices 2. fieri potest, ut, si ante mortem mihi sic prospiciam, Sacra fiant, dum fuero in statu peccati mortalis; quo posito non consequar fructum satisfactionis. Respondeo: saltem consequêris fructum impetrationis, ut in gratiam cum Deo redeas. Deinde vide, ut cùm tuâ causâ sacrificari jussurus es vel crimina tua ritè fatearis, vel actum contritionis elicias.

Dices 3. quid fiet, si legem pecunias ad Sacra mihi demortuo facienda, dum ero reus peccati lethalis? Respondeo. Si nihilominus decedas in gratiâ, ea Sacra tibi sunt profutura, quia cùm fient, fructûs eorum capax eris, & hic pro tua destinatione tibi applicabitur. Imò aio etiam alia pia legata facta in mortali, quodammodo reviviscere, & satisfactionem valere per mortem in gratia obitam, quia testamentum, & legatum per mortem quodammodo perficiuntur. Non enim ante illam valent, possunt ergo ejusmodi, si quidem ante mortem ratihabitio accedat, dici fieri in gratiâ. Quod si tamen æger nec illa rata habuisset, nec de iis ante mortem, & in morte cogitasset, existimo nihil defuncto profutura, quia non potest dici testamentum, aut legatum perfeciſſe, aut confirmasse in morte, qui tunc de illo nequidem cogitavit. Sed de his aliquid etiam antè diximus: & latè apud Theologos disputata reperiuntur.

965. *Missa de Requiem non est pro vivo facienda.* Etsi autem nonnullorum consilium Missam de Requiĕ pro se vivo ac præsente curandi fieri criminis argui non possit, tamen promiscuè probari non debet: neque verò in consuetudinem ullo modo deduci. Probatur prior pars, quia nec lege positivâ, nec divinâ id prohibitum, estque ab Alberto Magno, & Henrico II. Comite de Roteneck Episcopo Ratisponensi, viris sanctis, item à Carolo V. Cæsare piæ memoriæ usurpatum, sive ad religiosam mortis recordationem ingenerandam, sive ad vitæ ac mundi contemptum. Posterior pars etiam probatur, quia mos ille non est conformis menti Ecclesiæ, quæ orationes, & cætera istius Missæ ad defunctos refert, quare ad vivos referri non debent, & si fiat, carebunt fructu, qui à sanctitate, precibusque Ecclesiæ poterit manare. Missæ verò post mortem faciendæ, statim post eam perficiendæ sunt, si fieri potest.

966. *Missæ pro defunctis statim fiant.* Probatur, quia quò citiùs fiunt, eò citiùs fructus earum percipitur, non enim operantur antequam fiant, nec sufficit ad satisfactionem ex eis accipiendam eas legasse, ut multi falsò existimant. Itaque rectè censet Marchinus de sacrificio Missæ c. 34. præstare ad satisfaciendum pro pœnis purgantibus statim à morte dici simul centum sacra, à centum Sacerdotibus, quàm pluribus diebus successivè ab eodem, vel pluribus Sacerdotibus diversis. Quod autem addit in ratione meriti posterius illud plus valere, non satis probarim. Etsi enim divinus cultus posteriore modo ad longius tempus duret; Quid tum? cùm priore modo pluribus locis totidemque Missis Deus colatur. Quare obitus illos, ut vocant, perpetuos, ab Ecclesia approbatos nemo quidem improbare potest, sed tamen ita instituendi, ut maturè pro te mortuo bonum numerum Missarum celebrari cures, quem arbitrio boni ac prudentis viri putes tibi sufficere. Quod si utrumque illud præstare nequis, author sim, ut primo quoque tempore quidquid est Missarum pro te jubeas perpetrari.

§. 7.

De fructu Missæ, qui ex ejus auditione ad pios manes pertinere potest.

967. *Missæ auditio ex opere operantis prodest defunctis.*

CONSTAT Missæ auditionem, cùm sit actus religionis, atque adeò bonus, & honestus, virtute satisfaciendi, impetrandique pollere, eumque utrumque fructum defunctis applicari posse. Satis etiam perspicuum est Missæ auditionem præstare aliis religionis actibus, quandoquidem is, qui illam audit, revera sacrificium incruentum Deo Patri offerat: qua oblatione sublimissima religio continetur: quoniam mystica illa Christi morte, Deus ut vitæ author, ac rerum omnium fons atque origo, sublimissima planeque diuinâ ratione honoratur.

968. *An ex opere operato.*

At discepratur, an eidem auditioni respondeat fructus aliquis ex opere operato, vel impetrationis, vel satisfactionis, & quod ei consequens est, lis est, an qui piorum manium causâ Missæ ritè intereſt, fructum aliquem ex opere operato manantem cum iis possit communicare. Ac Suarius quidem affirmat, quia cùm oblatio hujus sacrificii sit fructuosa ex opere operato, conficitur omnes, qui illud offerunt, fructûs ex opere operato participes esse, atque adeò & eos, qui illi intersunt, cum, ut diximus, revera illud offerant. Quæ sententia pia est, valetque ad commendandam Missæ auditionem. At Vasquez, Coninck, de Lugo contra nituntur, voluntque soli Sacerdotis oblationi fructum sacrificii respondere ex opere operato: propterea quòd ille fructus, sacrificio respondet eatenus dumtaxat, quatenus Christi nomine offertur, sic autem offerre soli competit Sacerdoti.

969. *Fructus impetrationis ex opere operato prodest defunctis.*

Nos lite sub judice relicta dicamus, quod utrique litigatores facilè concedent, & reipsa asserit de Lugo, fructum impetrationis ex opere operato ad audientem pertinere, saltem quatenus Sacerdos Christi nomine pro omnibus circumstantibus sacrificium offert, quos inter Missæ auditor imprimis recensetur. Eum porrò fructum piis manibus ascribi posse ad obtinendam iisdem condonationem, atque ita satisfactionem, & impetrationem ex opere operantis, cum hac impetratione ex opere operato, defunctis majorem in modum prodesse. Addamus id quod Tăburinus rectè conjicit, auditionem aliquot Missarum tantum illos levare, quantum applicationem unius Missæ à Sacerdote profectam. Quæ res egenos solari potest, ac debet, imò universos ad frequentem Missæ auditionem piis manibus destinandam impellere. Nonne quilibet avidissimè Missæ interesset, si vivos parentes incedio vel sic liberare possent? Et tamen quàm distat illud ab igne mortuorum?

970. *Pro defunctis Missas audientium exempla.*

Meritò igitur Christiani eâ causâ frequenter rei divinæ intersunt, meritò parentes cum liberis præsentes adsunt Missis, dum pro suis vita functis fiunt. Quos inter excelluere D. Elisabetha Portugalliæ Regina. Clara item Eugenia Alberti Principis Belgicæ conjux, de quibus superiùs diximus: Maria quoque Caroli Archiducis Austriæ conjux, & filia Alberti Ducis Bavariæ, triumque Regum mater inclyta, inter primas locum obtinet, ut nihil dicam de conjuge. Jam vidua duas quot diebus Missas audiebat, & alteram quidem pro animâ viri, quoniam inter illos convenerat, ut superstes pro mortuo quotidie interesset Missæ, quam fieri curaret. Atque hanc pietatem octo, ac decem annorum spatio, etiam per itinera, negotiaque summi ponderis, intermisit numquam. Quo in genere hoc dignum memoratu. Eo ipso, quo Maria decessit, anno, cùm die festo S. Marci supplicationi, summo item Sacro, ac concioni interfuisset, totumque matutinum tempus insumpsisset cultui divino, memor denique sese id officii bonis maritis manibus per oblivionem nondum reddidisse, licet adulto die, licet adhuc jejuna Sacerdotem è Societate Jesu (quo uti solita erat ad Missas ejusmodi) cõfestim advocat, sacrificare eum in finem jubet, ipsaque sacrificio multa cum sui pectoris devotione interest, nempe aliàs Austriacæ Imperatricis partes sese minimè expleturam rata.

Eadem pietate claruit V. Magdalena Angelica Ordinis S. Dominici. Nam præter assiduam corporis macerationem, frequenter pluribus sacrificiis piorum manium gratiâ præsens continenter aderat. Quare sublevatæ eo charitatis officio animæ sese illi videndas non rarò objiciebant, gratiasque medullitus ei agebant. Imò ex iis nonnullæ illam amplexabantur.

ARTICULUS III.

De Sacræ communionis virtute pios manes sublevandi.

§. 1.

De sacra communione generatim.

971. *Prodest defuncto nũ ex opere operato?*

DE hac quoque lite egimus tractatu de Sacramento Amoris. Quamobrem spicas quasdam velut messe jam collectâ reliquas legimus. Receptum est primùm Sacram synaxim non parum prodesse defunctis posse, si satisfactio illius ex opere operantis profecta iis transcribatur: quandoquidem opus sit summæ religionis, & varios præstantesque virtutum actus comites habere solitum. Controvertunt aliqui, an, ut sacrificium iisdem applicatum, per sese, ac proximè pœnas eorum diluit, ita & sacra communio. Et sententia quidem affirmans hoc argumento niti potest: quòd communio, non approbatio tantùm, sed quædam pars sit sacrificii. Et si quidem de Sacerdotis in Missa communione sermo sit, nonnullis pars est essentialis, aliis integralis. Si verò de Laicâ synaxi agatur, cùm manducatio hostiæ ad sacrificium pertineat, & synaxis etiam Laica sit manducatio hostiæ, consequitur hanc quoque ad sacrificium pertinere, tanquam ejus aliquam partem, ac proinde prærogativam sacrificii participare, ut proximè, atque ex opere operato, sive ultra vim dispositionis ad communicandum allatæ, defunctorum pœnas mitiget.

972. *Negatur.*

Sed sententia negans omnino tenenda videtur. Enimverò SS. Eucharistia cibi instar sese habet, ac sumitur: cibus autem solùm nutrit, exhilarat, ac molestia levat manducantem. Igitur & illa per se soli prodest manducanti. Accedit quod incertum sit, an eadem communio ipsius manducantis pœnas per se, & ex opere operato, dissolvat. multi enim hanc dissolutionem tribuunt actibus charitatis, quos per se excitat communio: quamobrem longè ægriùs adducantur, ut credant eamdem synaxim piis manibus solandis per se ex opere operato prodesse. Nos lite hac indecisâ (nec enim arbitrari nostrum est) synaxim iis non mediocriter opitulari dicamus, modum opitulationis Deo relinquamus.

Et propositionem nostram affirmat hac 973. *Quamquã valde illis prodest, ut patet ex Blosio.*
historia Ludovicus Blosius Abbas Lætiensis in conclavi animæ cap. 6. hisce verbis. *Anima cuiusdam defuncti cuidam Dei amico in flammâ ardoris immensi apparens, dixit, se eâ sola de causâ tam diris cruciatibus torqueri, quòd circa Dominici corporis perceptionem fuisset negligentior. addiditque, si vel semel Venerabile Sacramentum devotè pro ipso accipere dignaretur, se mox liberandam. Quod cùm ille Dei amicus fecisset, sequenti die anima eidem sole fulgentior atque micantior apparuit, unica illa dignissimi Sacramenti huius perceptione ab intolerabilibus pœnis liberata, atque ad cœlum & æternam beatitudinem evecta.* Ita Blosius.

Idem confirmatur ex insinuationibus 974. *Et ex Insinuationibus S. Gertrudis.*
divinis S. Gertrudis lib. 5. cap. 20. ubi sic narratur. Dominica, quâ agitur communis memoria pro animabus parentum congregationis, dum post sumptam sanctam communionem hostiam illam offeret Domino in remedio prædictarum animarum, & statim magnam multitudinem videret, de quibusdam infimis tenebris ascendere, sicut scintillæ sparguntur ab igne, quasdam in similitudine stellarum, quasdam verò alterius speciei, ita perquirens, si numerosa illa multitudo esset ex parentibus nostris, tale à Domino accepit responsum. Ego propinquissimus vester sum, pater, & frater, & sponsus; Ergo affinissimi sunt omnes mei speciales, quos nolo expertes esse à communi memoria parentum vestrorum. Unde cum his sunt intermixti. Et ideò ista disposuit orare semper pro specialibus Domini. Sequenti verò die sub Missa, post oblationem hostiæ, intellexit Dominum dicentem, nos conjuncti sumus cum his, qui parati erant, & venerunt, sed nunc mittamus partes his, qui nondum potuerunt adesse. Idem alio anno, cùm vigiliæ pulsarentur, vidit agnum quemdam nivei candoris, sicut Agnus Paschalis solet depingi, quasi ex vulnerato corde suo emittentem roseos rivos sanguinis in aureum calicem, & dicentem; Ego ipse sum propitiaturus omnibus illis animabus, quibus hodie in loco isto paratur convivium. Ita Christus: ubi per animas illas, quibus convivium parabatur, animas purgandas, quorum bono Sacra synaxis sumebatur, intelligit, ut satis patet antecedentia & consequentia perpendenti.

Huc quoque spectat, quod sequitur. Vi- 975. *Et ex Angelo Joanna de Cruce.*
tam conscleratam ripuerat Deus homini cuipiam, accepto Sacro viatico, priusquam Sacræ species essent consumptæ. non est passus Custos B. Joannæ de Crucæ Angelus

Sacram

Sacram hostiam eo sterquilinio remanere, sed reverenter exceptam ei detulit, jussitque, cujuspiam animæ ex igneo ergastulo liberandæ causâ illam sumere.

976. *Mos pro defunctis communicandi probatur.*

Ex quibus patet maximè probandum, eum morem piorum ac religiosorum hominum, qui aliquo è suis vitâ functo, in ejus gratiam omnes SS. Eucharistiam communiter accipiunt. Id quod V. Antonius Tholosani Antonianorũ Generalis eximia doctrinâ, & sanctitate vir, à Præside suo impetravit, cùm adhuc esset Societatis Jesu, & parentem suum obiisse divinitus intellexisset. Ita hodieque pios manes juvare student permulti, ut mirum sit aliquos id genus pietatis tamquam inutile ac supervacaneum dissuadere.

§. 2.

De communione Generali Doctrina Theologica.

977. *Bulla communionis Generalis.*

Hanc quoque segetem messuimus tractatu de Sacramento Amoris Eucharistici, nunc spicas aliquas relictas colligimus. Ac Bulla quidem Urbani VIII. anno 1634. Societati Jesu super hac concessa, hæc est, *Ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem, cœlestibus thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui aliquam Societatis* Jesu, *vel quamcumque aliam sæcularem Ecclesiam ubique existentem una ex Dominicis cuiuslibet mensis, qua Communio Generalis sollicitudine dilectorum filiorum Clericorum Regularium dictæ Societatis, & quoad Ecclesias sæculares de licentiâ Ordinariorũ locorum, illarúmque Rectorum consensu agitur, devotè visitaverint, & iis Dominicis in prædictis Ecclesiis sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ibique pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, & remissionem, quam animabus fidelium defunctorum applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Volumus autem &c. Datum in arce Gandulphi die* 10. *Maii* 1634. *Pontificatus nostri anno undecimo.*

978. *Communionis Generalis tempus.*

Sunt igitur ad hujus indulgentiæ consecutionem, tres generatim observandæ leges. Prima ad tempus pertinet, ut una ex Dominicis cujuslibet mensis Sacra synaxis sumatur: Altera ad locum, ut in Ecclesiis Societatis Jesu, vel sæcularibus Ecclesiis, ubi nostrorum curâ communio Generalis celebratur, eadem sumatur. Tertia, ad preces pro indulgentia fundendas. Prima autem facilem habet explicatum, nam communioni Generali assignatur una è Dominicis cujuslibet Mensis, una, inquam, dies naturalis: nempe à medio ad medium noctis, ut in diebus jejunii, ac festis: ita ut qualibet hora ejus matutina, vespertinaque communicare, ac frui indulgentiâ possis. Et necesse est, ut sit Dominica: non igitur obtineri potest indulgentia à primis vesperis diei Dominicæ, quia earum tempus, ac dies, sabbathum est, non Dominica. Non etiam festis diebus, nisi fortè in Dominicam incidant. Cùm autem quælibet Dominica sit una ex Dominicis, qualibet ex illis æquè potest obtineri, at unâ tantummodo per singulos menses; quia unâ, sive unicâ ex Dominicis cujuslibet mensis permittitur indulgentia. Sed quem mensem intelligis? non lunarem; sed solarem, seu Ecclesiasticum; adeò ut duodecies tantum per annum veniâ illâ potiri queas, quæ omnia præter verba Bullæ, usus hactenus confirmavit.

979. *An sacellum domesticum sit ad indulgentiam sufficiens.*

De loco autem non æquè prona est responsio. Cùm enim dicitur primùm, *in Ecclesiis Societatis*, quæritur quid Ecclesiæ nomine significetur, an etiam oratoria, ac sacella privata? Et aiens sententia, teste Quintanaduennas, est Granadi, & aliorum, quam quidem ipse probat; quia in favorabilibus hæc omnia nomine Ecclesiæ Societatis accipiuntur. Et confirmatur, quia famuli Societatis, aliarumque religionum ex privilegio satisfaciunt præcepto annuæ communionis Paschalis, si in Ecclesiis Religionum ubi serviunt, communicent; nec dubitari potest, quin si iis communio in sacello ministretur, satis legi fecisse sint censendi. Igitur ædiculæ, ac sacella omnia, quacumque domûs parte erecta, sive ad tempus, sive in perpetuum, idonea sunt ad veniam synaxeos Generalis obtinendam, quia dum consistunt, & Sacra hostia in iis sacrificari, ac servari potest, verè sunt loca sacra Missæ destinata, atque adeò veræ Ecclesiæ.

980. *An in templis seminariorum, & sacellis prædiorum,*

Quæritur deinde, an in Ecclesiis seminariorum Societatis Jesu, ubi scilicet nostri agunt, atque alumnos regunt, acquiri possit indulgentia synaxeos Generalis? Et idem affirmat, tum quia revera sunt Ecclesiæ Societatis, tum quia sic declaravit admodum R. P. Mutius Vitellescus, Societatis Jesu Præpositus Generalis: & stabilitur responsio, quia Ecclesiæ istæ non sunt sæculares, cùm ab Ordinario non lustrentur, ergo Regulares, neque aliorum, quàm Socie-

Societatis, Ergo. Quod argumentum etiam militat pro sacellis prædiorum Societatis.

est de sacellis ejusdem collegii.

981 *An in pluribus templis ejusdem urbis.* Denique disputari potest, an si in eadem civitate plures sint domus, atque Ecclesiæ Societatis, in iis omnibus eodem die eadem indulgentia possit acquiri. Id quod asserit etiam Quintanaduennas, quoniam quælibet earum Ecclesia est etiam Societatis, nec potior est unius, quàm alterius conditio, testaturque R. P Mutium Vitelleschum ejusdem fuisse mentis, quam significavit epistolâ ad P. Bartholomæum de Chaves Rectorem Domus Probationis anno 1630. datâ.

982. *In uno solo templo Soc. acquiritur indulgentia.* Verùm enimverò mihi equidem hæc omnia non sine scrupulo dici posse videntur. Nam in allatâ à nobis Bullâ sic præscribitur. *Qui aliquam Societatis* Jesu, *vel quamcumque aliam sæcularem Ecclesiam, una ex Dominicis cuiuslibet mensis, quâ comminio Generalis sollicitudine dilectorum filiorum Clericorum Regularium dictæ Societatis agitur, devotè visitaverint, & iis Dominicis in prædictis Ecclesiis SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint.* Ubi profectò mens Pontificis eadem est circa aliquam Societatis Ecclesiam, quæ circa quamcumque aliam sæcularem, quantum attinet ad Indulgentiam Communionis Generalis. sed dum celebratur Communio in Ecclesia sæculari, mens ejus non est, ut in alia, sed in ea sola, ubi communio celebratur, indulgentia obtineri possit, ergo etiam mens ejus est, ut in eâ sola Societatis Ecclesia, eadem indulgentia acquiratur, in qua Cõmunio Generalis peragitur. Nec dicas eum Quintanaduennas omnes in una eademque civitate sitas Ecclesias Societatis, non nisi unam censeri posse, non item sæculares Ecclesias. Occurritur enim facilè, non posse plures illas Societatis Ecclesias potiùs unam censeri, quàm plura ejusdem urbis Collegia ejusdem Societatis, unum Collegium, etsi in eadem extent urbe. Et verò in civitatibus, ubi matrix Ecclesia sita est, constat alias ibidem positas illi subjectas esse. nec tamen admittendum in omnibus acquiri posse indulgentiam, si in matrice Communio Generalis celebretur. Accedit Patrum nostrorum Romæ usus, qui hanc nostram explicationem stabilit. Solent enim ex alio quolibet domicilio petere Domum Societatis Professam, dum in ea Synaxis Generalis peragitur, ad indulgentiam acquirendam, ut mihi testes sunt, qui illic per multos annos habitavere.

983. *Dubium* Porrò ex his quoque colligitur, non extra controversiam positum esse, quod dictum est de sacellis ejusdẽ domus, ubi Synaxis in æde sacrâ celebratur. Esto enim sacella illa Ecclesiæ vocentur: non tamen in illis Communio Generalis celebratur. nec dicas eamdem Ecclesiam censeri cum eâ majore, sicut suburbia ad civitatem pertinent, ejusque nomine in favorabilibus accipiuntur: non, inquam, id dicas, quia & loco profano dissitæ sunt ab ea majore Ecclesia, ita ut in unum locum sacrum, aut in unam Ecclesiam coire nequeant, neque illius pars dici possunt, ut suburbia pars urbis exterior. Et quidquid asseras, scrupulum non evelles omnem, atque adeò certum manebit probabile esse, indulgentiam Communionis Generalis, nec in sacellis domesticis, nec in sacellis prædiorum acquiri posse; etsi hoc posterius faciliùs asserendum videatur, quàm illud prius de obtinenda indulgentia in eo domicilio Societatis, ubi non celebratur Generalis communio.

984. *Potest eodem tempore, & in pagis celebrari.* Denique dubitatum alicubi fuit, num dùm Patres alicujus domicilii Societatis Communionem celebrant in urbe, ubi commorantur, alii ejusdem domicilii, vel iidem eodem mense in pago, vel oppido vicino eamdem Communionem possint celebrare. Sed ego quidem rationem dubitandi non video. Nec enim Pontificis Bulla hanc suggerit, nec est, unde eruatur. Certè quidem Pontifex unam Communionem una ex Dominicis cujuslibet mensis vult peragi: sed ea lex, quæ civitatem, aut locum unum respicit, non prohibet, quin pluribus oppidis. plures Dominicæ designentur, pluresque Communiones Generales obeantur, Alioqui per mensem in urbe unicâ obiri posset communio unica, non alibi eodem mense ulla celebrari. Nec refert sive ab iisdem Patribus, sive ab aliis Communio Generalis diversis pagis procuretur, ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

985. *Ubi parochi officium exercere soleat Ecclesia sæcularis.* Quod attinet ad alias Ecclesias, in quibus Synaxim Generalem proponere licet, constat oportere esse sæculares: id enim diserte vult Bulla. Neque tamen propterea Ecclesiam Regularem excluseris, in qua Sacramenta Baptismi, ac matrimonii conferuntur, cæteraque passim Parochi munia à Parocho Religioso exercentur, nam & hæc sæcularis dici potest, cùm sit parochialis. Addit Quintanaduennas Ecclesiam Monialium Episcopo subjectarum ad idem deligi posse, quoniam ea sæcularis dici potest, quòd sæculari sit ditioni subjecta. Sed eadem ratione diceret omnes Monachorum Episcopo subjectorum Ecclesias eligi posse, cùm & ipse jurisdictioni sæculari, ac visita-

visitationi Episcopi subsint; quod ego quidem nolim admittere.

986. *Communio celebretur curâ Soc.* Cæterum ut in Ecclesiâ sæculari indulgentia obtineatur, necesse est, ut Synaxis sollicitudine Patrum Societatis Jesu celebretur, sive ut ii vel confessionibus audiendis, vel Synaxi distribuendæ adlaborent; nec satis est, ut eam peragi mandent, imò nec ut adsint dumtaxat, audeo dicere, neque ut concionentur, Parocho cum sacellanis reliquum præstantibus. Quia eo pacto non perageretur eorum sollicitudine Communio, sed sæcularium; quamquam solum mandatum cum aliqua cura, ut Sacerdotes sæculares confessionibus excipiendis, ac Synaxi populo impertiendæ vacent, sufficere videatur.

987. *Consensus Episcopi, & pastoris.* Requiritur porrò ut in Ecclesia sæculari Communio peragatur, licentia Ordinarii, non quidem ad designandam Ecclesiam (id enim est hominum Societatis) sed ad facultatem in designata Ecclesia Communionem peragendi: & tacita sufficit, quin & ratihabitio de futuro, ut rectè idem author; quamquam eam exquirere longè sit consultius. Denique requiritur & consensus Parochi, seu Rectoris illius Ecclesiæ, id enim disertè mandat Pontifex, quare eo deficiente, etsi obiretur Communio, indulgentia nulla esset; nisi fortè contra rationem negaretur, quo posito supremi Pastoris, seu Pontificis consensus jure præsumeretur: sed parum consultò vis aliqua fieret. Cæterùm in sacellis separatis, ubi nullus Pastor præsidet, sed solus sacellanus, ac confraternitas aliqua, non videtur opus eorum consensu, quia strictè illius Rectores non sunt, & in hac materia, cùm sit odiosa, strictâ interpretatione utendum est. Ita idem author; sed & sic minùs prudenter Cõmunio perageretur, tum propter oblocutiones, tum propter loci angustias, cùm ea res celebritatem ac frequentiam populi, ac proinde loci amplitudinem exigat.

988. *Locum designatum adire necesse,* Ad extremum observa extra locum designatum Communionis indulgentiam nullo modo posse obtineri (cùm eum omnino ad illam requirat Pontifex) atque adeò nec ægris, nec carcere detentis, nec monialibus, aliisve ullibi clausis posse obtingere. Id quod stabilitur ex eo, quòd quando ejusmodi detentis favere vult Pontifex ut indulgentiam Jubilæi possint consequi, solitus est modum ab aditu Ecclesiæ diversum exprimere.

989. *Sint preces mediocres.* Jam ut ad preces veniamus, non sum in eâ sententia, ut credam etiam minimas ad plenam indulgentiam, qualis hæc est, sufficere. Alioqui enim sufficeret dicere cum Publicano, *Deus miserere mihi peccatori*, cùm precum nomine hæc precatiuncula intelligi possit. Deinde non plures preces ad indulgentiam plenissimam forent necessariæ, quàm ad indulgentiam unius diei, quod creditu difficile est. Est enim Pontifex œconomus, neque pro arbitratu suo valet qualibet conditione quidlibet ex thesauro Ecclesiæ concedere. Id enim Christus ejus Dominus, ratum non haberet. Cùm ergo indulgentia est plenissima, qualis hæc, quæ etiam potest Purgatorii animabus transcribi, preces saltem mediocres fundendæ sunt, illæque, ut certiùs obtineatur, vocales. Talis videtur esse recitatio *Miserere*: quinque Pater, & Ave, & hujusmodi. Sint etiam aliunde non debitæ, ad eamdem indulgentiæ consequendæ securitatem, illæque medullitus depromantur; nec refert quod objicit Quintana-duennas, quod Paulus III. Pontifex Maximus indulgentiam plenariam Anno 1549. Societatis Jesu hominibus concesserit sub conditione recitationis Pater, & Ave, nullâ ad eam requisitâ Communione. Id enim velut extra ordinem factum, cùm alii Pontifices tam levem precatiunculam disertè exigere soliti non sint, & factum quidem non promiscuè, sed viris de Ecclesia benè meritis, viris Religiosis in primævo Societatis flore mira per orbem, & plurima summo cum labore, perpetuaque sollicitudine, & propter vitam innocentissimam lytro non magno indigentibus.

990. *Tempus precum.* Porrò perinde erit, sive ante, sive post Synaxim preces pronuntient, quamvis suadendum, ut illi postponantur, scilicet quia tunc animus Christo magis conjunctus noxarum veniam faciliùs impetrare potest, præsertim si adhuc Sacrum convivium duret, id est, si species Sacræ necdum sint consumptæ; quo tempore, saltem ex opere operantis sacramento adhuc alimur, & Christus ipse amore nostro, aliisque virtutum actibus magnâ cum voluptate pascitur. Postremò preces illæ ad fines consuetos sunt dirigendæ, & directio tacita sufficere videtur, nempe ut mens eas destinet saltem, quò sunt destinandæ.

§. 3.

De indulgentia Communionis Generalis, aliaque defunctis applicanda, Theologica doctrina.

991. *Non applicentur defunctis* RECEPTUM est omnibus Theologis. 1. Pontificem posse piis manibus indulgentias concedere. Cùm enim quisque

indulgentiæ vivis conceſſæ.

privatus poſſit ſatisfactionem ſuam iis applicare, nulla ratio eſt, cur non valeat Pontifex ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, cùm ſit earum œconomus, & hi Chriſti membra ſint, æquè ac vivi. 2. Exploratum, indulgentias vivis conceſſas non poſſe ab iis in defunctos conferri, niſi ea facultas in bullâ exprimatur, quia id pendet à concedentis voluntate, quam exprimere ſolet, dum adeſt, ut in bullâ Communionis Generalis, ubi Urbanus VIII. ſic ait, *Plenariam peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, quam pro animabus fidelium defunctorum applicare poſſint, miſericorditer indulgemus.* Adverte autè iſtam applicationem non ſic intelligi, quaſi vivus priùs obtineat indulgentiam, quàm defunctis tribuat, quippe eam obtinendo, pœnæ peccatis ſuis debitæ obligationem diſſolveret, ac tum in eam ſe denuo indueret, non novas culpas admittendo, ſed charitatis officium in defunctos exercendo: quod abſurdum eſt. Applicare igitur indulgentias defunctis, eſt eas quas ſi velles, tibi ſumere poſſes, defunctis tranſcribere.

992. *Non eſt opus ſtatu gratiæ.*

Dubitatur porrò an ſtatus gratiæ requiratur in eo, qui indulgentiam piis manibus tranſcribit; & probabilior eſt reſponſio negans: tum quia nec vivus, qui ſibi vult indulgentiam applicare, neceſſe eſt, ut omne opus, quod ad obtinendam indulgentiam requiritur, faciat in gratia; ſed ſufficit, ut ultimum in eo ſtatu peragat, quia tunc conceditur indulgentia, ſeu remiſſio pœnæ, quæ culpam remiſſam ſupponit.

993. *Qui defunctis favent certiùs juvantur.*

Porrò gravis, & acriter controverſa quæſtio eſt, an indulgentia certò profit defunctis de qua dixi tract. de V. S. unum hic addo verbis Dicaſtillo authoris nobilis, etſi recentioris, qui tract. de pœnit. Appendice de Purgatorio ſic ait. *Valde probabile apparet, quod docet Henriquez, Rodriguez, Layman, & alii multi recentiores, Deum longè facilius acceptare indulgentias oblatas pro animabus fidelium, qui ſe in hac vita digniores de congruo reddiderunt tali acceptatione, ut qui pro peccatis ſuis ipſi etiam ſatisfaciebant, & indulgentias à Paſtoribus Eccleſiæ conceſſas lucrari ſtudebant, & pro aliis defunctis, dum viverent, diligenter orabant. Quod mihi maximè rationi conſentaneum videtur. Imò crediderim in gratiam talium animarum, quæ in vita piiſſimæ fuerint erga defunctos, piiſſimum Dominum excitare pietatem aliorum fidelium, ut pro illis orent, ſuffragia offerant, & indulgentias lucrentur, in eíſque etiam ea via impleatur promiſſio Chriſti, Date, & dabitur vobis, & qua menſura menſi fueritis, eâdem remetietur vobis. Abſolutè tamen verum eſt eo ipſo, quo anima in Dei gratia deceſſerit, dignam eſſe, pro qua Deus indulgentias, & ſuffragia ſpecialiter in eius favorem oblata, miſericorditer acceptare dignetur, quamvis contrarium ſenſerit Henricus, Caietanus, Navarrus, quibus favere videtur Auguſtinus l. de cura pro mortuis c. ult.* ita ipſe.

§. 1.

Præſtantia Communionis Generalis ex omnibus eius adjunctis.

PRÆFATIO.

994. *Inſtitutio illius divina.*

EX quo Societas Jesu à magno Patrefamilias in agrum Dominicum miſſa fuit, ſtygiâ, mundanâque invidiâ teſte, variis ac miris modis, indefeſſaque induſtriâ eum excoluit, pergitque, ac perget porrò ad extremum excolere. Sed haud ſcio, an quidquam excogitarit hactenus, vel ad viventium ſpirituale commodum utilius, vel ad vitâ functorum ſalutem fructuoſius Communione Generali. De hac Theodorus Amydenus tract. de pietate Romanâ l. 2. c. 7. ſub ejus exordia ita ſcribit. *Jeſuitarum recens inventum eſt promiſcua quædam omnium ordinum ad ſumendam Sacram Synaxim conventio. Hanc Communionem appellant Generalem, ad quam tantus mortalium concurſus, ut quandoque uno die triginta hominum millia ſpirituali convivio refecta reperiantur. Inſtitutum omnium maximè ſacrum, iam nunc valde ampliatum eſt. Semel exhibetur in menſe in diverſis Urbis, ut omnibus uſui eſſe poſſit, Eccleſiis. Quibus ne inſigne pietatis opus diſpendio ſit, illi aggregata eſt Laicorum ſodalitas, quæ cereorum, ac reliquorum ſumptuum expenſas benignè ſuppeditat. Concurrunt ex ſingulis Ordinibus Sacerdotes, qui peccata confitentibus dimittant. Qui egregiam præ reliquis navat operam, Petrus eſt Garavita Societatis* Jesu *Profeſſus.* Sic Amydenus. Qui tamen illud ſolummodo tempus ſpectat, quo necdum indulgentia Synaxeos Generalis ad vitâ functos authoritate Pontificia transferri poterat, ut ex proximè conſequentibus apparet. Quæ tranſlatio, ut miros excitavit motus animorum, ita frequentiam tum Romæ, tum in cæteris propè omnibus Chriſtiani orbis partibus vehementer auxit. Quare inventum illud non tam Jeſuitarum, ut ait, neque tam humanum, quàm divinum fuiſſe uſus edocet. Et mihi quidem

dem Communio Generalis cum arbore vitæ, qua cælestis paradisus gloriatur, conferenda videtur.

Pars prima.

Templa, Paradisi.

995. *Templum Cælum.*

Templa Christianorum cœlo esse persimilia nullus ignorare potest. nam in templis nobilissimo quodam modo Deus est, & Christus in Eucharistiæ throno magnificentiùs, quàm in cœlo residet, ut non semel tractatu de V. S. disseruimus. Deinde in templis quoque, essentia divina, non videtur quidem, sed excellenter, licet in umbrâ, cognoscitur, & ea cognitio amorem gaudiumque affine beatifico in piis animis creat, eosque ad laudes Numini concinendas exsuscitat. Quin & Diva Virgo saltem mente, ac cogitatione filio Dei, ac suo adest in solio Eucharistico sedenti (ad Matrem enim, ac Reginam spectat, nosse ubi Rex commeretur) & Angelorum agmina adgeniculantur summâ cum veneratione. Præterea Empyrei etiam nomen paradisis nostris convenit, cùm revera igne ardeant & divinæ charitatis in præsentes, nominatimque convivas, & amoris convivarum Eucharisticorum in Christum. Adhæc, quod Joannes de cælesti Jerusalem prædicat hisce verbis (*Et ambulabunt gentes in lumine eius, & Reges terræ afferent gloriam suam, & portæ eius non claudentur per diē; nox enim nō erit illic, & afferent gloriam, & honorem gentium in illam*) De nostris quoque templis rata sunt: ad quorum utique lumen ex SS. Eucharistia coruscans contendunt anhelantque populi Christiani, & Reges terræ gloriam suam illi submittunt: Neque verò eorum portæ clauduntur, cùm omnibus pateant, & ipsi etiam hostes, quorum metu portas occludere moris est, in gratiam cum Deo, hominibusque redeant, dum templa subiere, & culpas odiaque ad Sacerdotum pedes deponant, quo pacto nox peccatorum templis exulare dici potest.

996. *Paradisi Delicie.*

Verùm enimvero, quemadmodum cœlo nomen paradisi, sive horti rectè adscribitur, ita & templis, ubi præsertim Synaxis Generalis instituitur, competit; quod sensim ostendo. Ac cœlo quidem id nominis tributum est, ob variam cum paradiso terrestri similitudinem. Nam sator utriusque Deus est, Ait enim sacer historicus: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio.* Gen. 2. In quo ipso tum dignitas paradisi, tum etiam mirifica Numinis plantantis industria demonstratur, ut rectè Rupertus Abbas l. 2. cap. 25. in Gen. Est autem uterque hortus; quòd ad delicias factus, & consitus sit, & propter earum vim eximiam, additur *hortum* esse *voluptatis*. Siquidem ut in paradiso terrestri nihil triste obversari poterat, propter statum beatitudinis naturalis, & propter eumdem omnia summè jucunda gratáque accidere oportebat; ita multò potiùs in paradiso illo cælesti omnia deliciis circumfluunt, nec luctuosum quidquam potest obtingere. Cujus Joannes testis in Apocalypsi cap. 21. *Et absterget*, inquit, *Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra; quia prima abierunt, & dixit, qui sedebat in throno, Ecce nova facio omnia:* nempe ut intelligamus nihil umquam in terris simile aut secundum deliciis horti cælestis extitisse. His adjice cùm terrestris, tum cælestis paradisi arbores egregias. *Produxit enim Dominus*, ait Moyses Gen. 2. *omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave.* Porrò etiam in cælesti paradiso veras arbores, veros flores, ac fructus, cæteraque sensuum oblectamenta revera extare, vel certè post resurrectionem extitura docent S. Thomas, Suarez, Soto, Henricus, Major & alii: nempe ut etiam corpus propriâ mercede, propriisque deliciis in cœlo perfruantur.

997. *In eo arbor vitæ.*

Cæterùm nihil adeo exornat paradisum vel terrestrem, vel cælestem, quàm arbor vitæ. nam terrestris quidem immortalitatem corporibus tribuisset: Et si SS. Patribus Irenæo, Hilario, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, Epiphanio, aliisque fides habenda est, plenam & absolutam: nec ratio deest.

998. *Dans immortalitatem.*

Cùm enim in manu Dei esset efficere, ut arbor vitæ hominem pristino vigori semper restituisset; cur id effeciisse negetur? nec refert quod & arbor, & ejus fructus essent corruptioni obnoxia. Poterat siquidem arbor propagari, ut aliæ, hactenus, ac deinceps: & quod una fructûs illius manducatio non præstitisset, neque duæ, tresúe; poterant plures præstare. Accedit quod Bonaventura, Molina, & alii vim, illi supernaturalem reparandi humidum radicale assignent. Et sanè cum Justitia Originis multa supra naturam inveheret, cur non etiam talem ab eâ arbore immortalitatem?

999. *Est etiam in paradiso cœlesti arbor vitæ.*

De cælesti porrò arbore vitæ aliter philosophandum: de qua sic Joannes Apocalypsis 2. *In medio plateæ eius, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per mēses singulos reddens*

fructum suum & folia ligni ad sanitatem Gentium. Ubi animadverte lignum illud vitæ non aliud esse, quàm divinam essentiam, cujus beatissimo intuitu pascuntur Cælites cum incredibili voluptate : quia visio beatifica & amorem, & gaudium beatificium procreat. Et quoniam visio illa fixa, permanensque sit necesse est, ne beatitudo instabilis sit, ac fluxa, atque adeò desinat esse beatitudo; cibus ille divinus Beatis immortalem vitam conferre dicitur, ac proinde additur; *Lignum vitæ singulos fructus reddere per singulos menses*, quia semper æquè jucunda, ac fælix visio est, semperque ideò recens, ac nova dici potest. Quare non mirum, si Beatorum canticum novum esse à Joanne memoretur; dum ait, *Et cantabant canticum novum.* Porrò illius arboris folia Cornelius quidem interpretatur dotes seu animi, seu corporis Beatorum: sed cùm folia ad arborem pertineant, eamque exornent, malim attributa, seu perfectiones divinas foliis illis adumbrari, ita ut essentia sit velut radix omnium, infinitas truncus, rami sapientia ac bonitas : cætera prout modo nostro intelligendi longiùs ab essentia dimanant, foliorum nomine accipiantur. Cæterùm & ea dicuntur conferre *ad sanitatem Gentium*, non quidem instaurandam, aut augendam, sed conservandam: id est, immortalitatem quoque parere. Et enim quidquid in Deo est, Deus est, ac proinde sui conspectu pascit, ac beat, quippe quòd Deus bonum sit omni respectu infinitũ, & cùm sui visione possideatur, possessio boni infiniti, non possit videntem non beatum reddere.

1000. *Templa paradisi.* Porrò hæc quoque templis Christianis adesse, ac propterea paradisi nomen iis etiam competere, nunc demonstratum eo. Siquidem & hæc à Deo velut consita sunt, quia etsi homines ea construunt, non sunt tamen templa, nisi Deus per Ecclesiæ Pastores ea consecret, & tum demum sacratissima sunt, cùm Christus Dei Filius præsentiâ suâ Sacramentali ea dedicavit. Deinde ad delicias omnium quidem communiter, sed mentium præsertim Deo devotarum constructa sunt, quæ tantæ sunt subinde, ut redundent, & simul cum lacrymis pietatis testibus, per oculos velut exundent : quare paradisi voluptatis possunt appellari. Et verò etsi oratio, familiaritas que cum Deo, ubivis locorum suavis sit, tamen in templis præsertim deliciis affluit, præsente etiam quà homo est, & plenus humanitate, animarum Sponso. Ac proinde Dominici, Xaverii, Borgiæ, aliique innumeri haud paulò avidiùs, frequentiusque in ædibus sacris, quàm in profanis precari Deum soliti. Neque dicas non quadrare templis, quod paradiso, cùm ex eo luctus exulet, in templis autem abundet maximè; quia in iis peccata deflentur: exploratum enim est solas illas pœnitudinis lacrymas non esse amaras, quin & dulcedine perfusas esse, præsertim ubi Christi sanguini ac meritis immiscentur, videlicet in confessione sacramentali, aut divinâ synaxi.

1001. *In quibus arbores pulchræ.* Incumbit igitur jam nobis ostendere nullum pulcherrimarum arborum genus in hoc paradiso desiderari. Et ecce eas nobis digito commonstrat Vates Regius, ubi de Numinis cultore sic canit, *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia, quæcumque faciet, prosperabuntur.* Et Christus *Arbor bona*, inquit, *bonos fructus facit.* ubi liquet de viro justo illum agere. Atqui pleni sunt paradisi nostri ejusmodi arboribus, & hæ frondibus, floribus, ac fructibus refertæ. Et frondes quidem, id est, cogitationes bonæ, piæque, ubi frequentiores, vernantioresque, quàm in templis, in quibus Zephyrus ille divinus, Spiritum Sanctum intelligo, afflatu suo, pluviaque cælesti hortos animarum mirè fœcundat, & quidquid oculis obversatur, ad sanctas cogitationes hominem invitat? Flores quoque, seu pia desideria in paradisis nostris ubertim pullulant, vigentque, sive quia ex sanctis cogitationibus ortum habent, sive quia orando pariuntur, sive quia sol Justitiæ Christus arcanis suis influxibus, seu influentiis, ut vocant, illa ex animis elicit. De fructibus quid dicam?

1002. *Aurifera.* Sunt enim, qui non nisi in templis fructum ullum pietatis efferunt. Sunt, qui fructum aureæ charitatis multò veriùs ferunt, quàm arbor illa in Hispaniolâ: de qua sic Petrus Major apud Nierembergium Hist. naturalis l. 14. c. 2. *Quacumque pateat iter, per apertas, mollesque scatebras, ramos ad superna supercilia montis emittit, neque umquam datur quiescere, donec cœli auram assequatur. Formare ibi viso æris fulgore bracteas, & grumos pro fructu animadvertitur. Hæ sunt, quæ per universam disseminantur insulam, per alluviones raptatæ ad ima de naturâ ponderosorum, non autem illic procreari putant, ubi leguntur, in ficco præsertim. In fluminibus aliter: radicem arboris aureæ tendere ad terræ centrum inquiunt, & ibi coalescere: quò namque profundiùs effodiatur, eò truncos reperiunt crassiores, si per montis scatebras liceat. E ramis filo subtiliores aliquos captãt,*

digitos

digitos æquantes alios, pro scissuratum hiatu. Accidit & incidisse in cavernulas auro fulvas, per ramorum tamen ascendentium vias, quibus repletis ex substantiâ trunci serpente, ab imo carpit iter ramis qua pateat. Interciditur sæpe saxi soliditate. In cæteris rivis tamen nutritur ex virtute & habitu radicum. Hæc ille.

1003. *Omnis generis.* Sunt etiam, qui in paradisis nostris fructum contritionis, ac sancti doloris ferunt, similes illi arbori, quæ cùm unica sit in insulâ Ferreâ (quæ inter Canarias numeratur, caretque fontibus, ac fluviis) tamen ex foliis tantum stillat liquoris, quantum hominibus, ac pecoribus potandis sufficit. Sunt præterea, qui in iisdem patientiam fervidâ prece obtinent, quos rectè compararis illi arbori, quam ferunt in Javâ Majore nasci: esseque medullæ ferreæ, exilis quidem, sed quæ ab imò porrigatur ad summum plantæ fastigium, cujus fructum qui gerat, ferro aiunt esse impenetrabilem, vide Nieremb. hist. nat. l. 14. c. 49. Adhæc in iisdem paradisis crescit quasi sponte intima animi devotio ad SS. Eucharistiam, quæ sui compotes reddit similes illis arboribus quæ Plinio authore lib. 18. cap. 18. eo anno, quo victus est Hannibal Pub. Ælio. & Cn. Cornelio Consulibus, fruges pro fructibus dedere. Ad extremum plurimi fructum pietatis in illis paradisis pariunt, quam cùm Paulus ad omnia esse utilem affirmet, cognoscimus palmæ Indicæ similem, ex qua indigenæ quæcumque ad vitæ usum necessaria sunt, omnia depromunt, usque eò, ut etiam funes nauticos submministret.

Pars secunda.

In templis Sanctissima Eucharistia, est arbor Vitæ, quatenus per Synaxim generalem sumitur.

1004. *SS. Eucharistia arbor vitæ.* Verùm enimverò quemadmodum præcipuum decus paradisi cùm cælestis, tum terrestris est arbor vitæ; ita paradisorum nostrorum princeps gloria est. Sed quæ in his arbor vitæ? nempe Jesus Christus Dominus noster quatenus adest in SS. Eucharistiæ Sacramento. Cur ita? Primùm quia sic docet Angelicus Doctor Opusc. de Sacramento Altaris c. 6. Cujus hæc est oratio. *Sicut initium corruptionis, & mortis cæpit à cibo vetito, scilicet à ligno scientiæ boni, & mali; sic initium iustificationis, & vitæ, incipere debet à cibo, scilicet ligno vitæ, id est, à corpore Domini.* Ita ille, qui dicta confirmat ex illo Christi apud Joan. c. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.* Et eam sententiam illustrare licet: Quod Beda, Rupertus, Ansbertus, Ribera, & alii per lignum vitæ, quod in paradiso cælesti vidit Joannes, eumdem Christum intelligant, cujus folia volunt esse verba, quibus ipse Beatos omnium gentium mulcebit, ac consolabitur, quem in sensum Petrus, *Domine*, ait, *quò ibimus? verba vitæ æternæ habes.*

1005. *Patet ex effectis.* Ex quibus colligere licet eumdem Redemptorem, divino illo Sacramento pariter hoc nomine arboris vitæ appellari posse. Et sanè proprius hujus Sacramenti fructus est virium animi reparatio, cujus extat disertissimum S. Basilii testimonium in c. 3. Isaiæ. Verba attexo. *Quemadmodum enim corpora nostra convalescunt, ac firmantur, subalterna sumptione congruentium alimentorum: ita quiddam est, quod consentaneè pascit animam, eique suggerit vegetas vires ad bonitatem consectandam. Quid illud tandem est? nimirùm quod dixit Dominus, quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ita ipse. Cui adde Prophetam Regium, qui panem, Eucharistiæ figuram, (aspiciens opinor, ad veritatem) modò *Cor hominis confirmare, modò pinguem esse, modò substantificum, & adiposum asserit.* Mitto alia ejusmodi, ne vel hîc actum agam. Illud solum moneo, corporis immortalitatem Eucharistico convivio deberi, ut latè probavimus non uno loco tractatus de V. S. Id nunc ago, ut eumdem Servatorem ostendam in Communione Generali nominatim, arborem vitæ esse, ac dici debere. Quam rem ut pro dignitate pertractem, ab omnibus adjunctis, seu circumstantiis arboris vitæ, decus illius colligo, & Synaxim Generalem undequaque perillustrem demonstro.

1006. *Quis? Deus eam plantavit.* Atque arborem quidem vitæ asserendum est à Deo ipso plantatam, seu potiùs primùm productam fuisse: nec enim plantari poterat, quæ alibi priùs minimè extaret, ut vel ipsa, vel ejus germen, ac surculus plantari posset. Id quod ad illius nobilitatē spectat, cùm eæ arbores, ac luci, majore sint in pretio, ac honore, qui à Regibus, ac Magnatibus sunt consiti. Porrò Sanctissimam Eucharistiam à Deo inventam, perfectamque esse, cùm ipsius Christi in ea effectio, tū vis immensa prodigiorum eâdem contentorum, tum effectus ejus divini plus nimio comprobant. Quà autem Communio Generalis est, non potest, ut diximus, alium à Deo agnoscere authorem.

1007. *Non Societas.* Etsi enim Societas Jesu eam instituit, primùm inducendis ad frequentiorem Sy-

naxim mortalibus sub Paulo V. (quo tempore indulgentia ad illos solos pertinere poterat) tum juvandis piis manibus, ad quos eamdem plenam Indulgentiam authoritate Urbani VIII. porrigere licuit, Tamen fatetur lubens Societas Synaxim illam suum opus dici non posse, nec debere. Etenim jam inde ab ejus ortu prodigio simile fuit adeò illam celebrari, ut dici posset, *Digitus Dei hic est*, hic Deus agit, & divinitus aguntur homines ad frequentandam Synaxim, ubi ubi Generalis communio instauratur. Deinde pares exordio fuere progressus, & contra quam in ejusmodi institutis avidè, ferventerque cœptis evenire solet, non defervescit sensim ea pietas, neque defloreſcit Synaxis Generalis: sed suo in vigore permanet. Itaque hac sanè in re authorem suum non hominem, sed Deum prodit.

1008. *Idq; indicavit.* Quin & ipse per se aliâ, & insuetâ ratione indicavit. Nam Romæ anno partæ salutis 1615. in Domo Professa Societatis Jesu quidam è nostris hoc prodigii è suggestu retulit. Istomet anno currente, cùm Synaxis Generalis ad Divæ Mariæ trans-Tiberim celebraretur, quemdam Italum eò se ex merâ spectandi cupidine contulisse. Cùm autem in areâ templo illi objacente deambulat, quemdam in speciem egenum, stipem ab eo petiisse, tulisseque non semel repulsam. Tum verò insueto Numinis afflatu ad eum inopem se convertisse studio illam largiendi. At hunc subjecisse, nec opis, nec stipis sibi opus esse. Quamobrem marsupio manum abstineret. Quippe è monte Gargano illuc se profectum, ut eum de corrigendâ vitâ, quam abhinc annos viginti depravatam duxerat, neque umquam interea legitimâ confessione noxarum expiarat, admoneret. Alioqui imminere capiti ipsius vindicem supremi Judicis manum, tot scelera castigaturam. Obstupuit homo ad ea nuncia, maximè quòd neminē, Numine excepto, animi sui consciũm esse sciret. Cumque subitò mendicus ille, & speciem, & sui conspectum oculis attoniti eripuisset, templum subit, meliora decernit, noxas apud Sacerdotem deponit, Synaxi Generali non vulgari pietate perfungitur, facitque copiam confessario rem gestam patefaciendi. Eam tum temporis ex ipsius Concionatoris ore audivit R. P. Tossanus Bridoul, mihique retulit. Ubi cùm fictus ille egenus Gargano de monte veniens, verum Michaëlem indicet, isque Ecclesiæ Catholicæ sit Patronus, scilicet abundè patet, & Divo illi Synaxim Generalem probari, tamquam Ecclesiæ utilem, & Numini charam esse, atque adeò ejus instituendæ consilium Societati divinitus inspiratum fuisse. Quocirca rectè Theodorus Amidænus proximè superius à me laudatus eam nuncupat *Institutum omnium maximè sacrum*. Rectè alii *sanctissimam artem* divini Amoris; ego *Arborem vitæ* à Deo plantantam rectè pronuntio.

Atque ecce quadam orationis sponte venio ad secundam circumstantiam, & quid propriè Communio Generalis sit, significo. Est, inquam, arbor vitæ. Dixi equidem, & ni fallor, satis ostendi, Christo, quatenus in Eucharistia spectatur, nomen, ac virtutem arboris illius convenire; sed tamen habet aliquid Communio illa, quo & cæteras exsuperet, & Christo sibique nomen illud præ cæteris mereatur. Cùm enim à vitâ, & immortalitate mortalibus impertiendâ arbor vitæ diceretur, Communio Generalis eò potiori jure talis dici potest, quò vitam diuturniorem, & pluribus, quàm reliquæ synaxes, hominibus impertit. Porrò diuturnitas vitæ spiritualis ex gratiis actualibus, fortioribus, & opportunioribus, itemque frequentioribus pendet. Harum enim beneficio homo diutiùs in statu gratiæ sanctificantis permanet, atque adeò diutiùs vitam vivit Filii Dei, ac divinam. Quò autem quis ardentiori cum pietate Eucharisticis epulis vescitur, eò perspectum est, sive ex opere operantis, sive ex opere operato, & efficaciores, & crebriores gratias actuales ex Sacramento illo Sacramentorum percipere: quoniam pro dispositione, seu apparatu epulantis agit, ac proinde eò potentiùs, quò amplior est dignioreque apparatus. Atqui dum obeunda est Communio Generalis, non pauca sunt, quæ hominem ad delicias illas Eucharisticas avidiùs deguſtandas excitare consuevere. 1009. *Quid Synaxis Generalis? arbor vitæ.*

Quorum ego quidem non infimum esse arbitror, quòd cùm providentia Numinis eò Societatem Jesu condiderit, ut Sacramentorum pœnitentiæ & Eucharistiæ usum in pristinum vigorem restitueret, eumque tueretur (ut experientiâ manifestum evasit) peculiarem illi gratiam ad eum finem assequendum largiatur. Quemadmodum solet cuique propriam ad suum munus præstandum concedere. Quâ gratiâ factum est, hodieque fit; tum ut accommodatas ad id industrias ei suggerat, tum ut mortales ad eas benè afficiantur, quidquid de more oblatret dæmon, & mundus, adeò ut ii ipsi, qui palam obloquuntur, clanculum exercitiis pietatis, quæ Societas instituit, se inferant, eaque lubentes obeant, atque adeò eveniat, quod 1010. *Dei providentiâ fit ut Synaxis Gen. avidè obeatur.*

Regius

Regius Psaltes de viro justo vaticinatus est Ps. 1. *Et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.*

1011. *Eodem cõfert indulgentia pro defunctis.* Accedit propria huic instituto ratio, quod indulgentia plena noxarum, Synaxi Generali annexa sit, quam transcribere piis manibus integrum est. Ex quo consequitur, ut eò avidiùs, ardentiusque obeatur à mortalibus, & mortui, mortuorumque Tutelares Angeli, quorum valde interest ad levamen tantæ calamitatis, Synaxim cum eximia pietate celebrari, sacros conconvivas ad officium suum hujus generis excusitent. Ac de Tutelaribus quidem satis exploratum mihi est ob summam eorum benignitatem, misericordiamque in clientes tam infaustos, tum potissimùm divino pietatis ardore convivas accendere, omnesque esse Urieles.

1012. *Et piorum manium adhortatio.* De piis autem manibus, iis nempe, qui in atrio cœli ad beatitudinem aspirant, perquam mihi simile vero videtur eos quoque parentes, amicos, aliosque ad Synaxim invitare, turbis communicantium sese insinuare, hortari, monere, ut Synaxim precesque ad indulgentiam necessarias piè diligenterque expleant: tum quia mediocre ex indulgentia sibi applicata subsidium expectant, tum quia ejusmodi excursionem à Deo flagitare, atque adeò impetrare possunt. Quin etiam defuncti illi, qui Purgatorio detinentur, cùm dies synaxi destinatas recordentur, iis ipsis preces suas ad Deum accẽdunt, ut Sacris convivis pietatem indat, atque eosdem excitet, ut segete lætiori, florentiorique uberiorem ipsi messem solatiorum colligant; præsertim quia experientiâ noverunt, multos ex suis velut contribulibus, tempore ac virtute Synaxeos Generalis ergastulo illo assertos fuisse. Quibus omnibus accedit ingens vis hominum Synaxim illam celebrantium. de qua sigillatim postmodum. Nam frequentia precantium omnes, qui precantur, inflammat igne pietatis. Quippe & languidi fervidiorum præsentiâ, conspectuque accenduntur, & fervidi illorum frequentiâ magis exardescunt, & denique Spiritus Sanctus, quòd amor sit ac vinculum Divinitatis, cœtibus ad suam gloriam coactis interesse amat, scilicet ad munera, favoresque suos singulis & universis largiendos.

1013. *Ad indulgentiam confert pietas communicantis.* Quanti porrò interfit ad indulgentiæ plenæ quæstum hæc fervida pietas, disce ex Theologis. Petrus Discastillo, nobilis Theologus append. de Purgatorio art. 8. sub finem sic ait. Advertendum est primùm quãvis de facto sit sufficiens causa, ut „ indulgentia v c. plenaria concedatur, fieri „ nihilominus posse, ut in particulari non „ quicumque integram consequantur indul- „ gentiam; quando scilicet aliqui multum „ pœnitentiæ debentes pro peccatis com- „ missis, opus injunctum tepidè nimis, & „ minùs utiliter ad finem indulgentiæ pro- „ positum peragunt, ac proinde causâ tantæ „ remissionis ipsorum respectu finis deficit. „ Id videtur expressisse Bonifacius VIII. in „ Extrav. de penit. & remiss. ubi postquam „ pro Anno 1300. visitantibus Basilicam SS. „ Apostolorum Romæ, plenissimam omni- „ um peccatorum indulgentiam concessisset, „ subjunxit: unusquisque tamen plus mere- „ bitur, & efficaciùs indulgentiam conse- „ quetur, qui basilicas ipsas ampliùs, & de- „ votiùs frequentabit. Idemque tradit Bo- „ naventura, Navarrus, Coninck, Layman, „ & alii viri docti, qui hac ratione respon- „ dent difficultati communi, quomodo fieri „ possit ut qui alioqui paulò ante mortem ex- „ hibuere opera præscripta pro indulgentiis „ plenariis, nihilominus in Purgatorio per „ multos dies extiterint, nõ tantùm pro pec- „ catis venialibus tunc fortè, quando opera „ exhibentur, quoad culpam nondum remis- „ sis, sed pro aliis peccatis etiam mortalibus, „ quorum remissio quoad culpam procul du- „ bio facta fuerat in hac vita; & tamen non „ obstante indulgentiâ plenariâ diu multum- „ que passi sunt, ut viris sanctis in variis ap- „ paritionibus significarunt: nimirùm quia „ opera exhibita pro lucranda indulgentia „ non ita fervidè, ut par erat præstiterunt, „ ut dictum est. Ex quo fit, ut multi viri ti- „ morati, ac pii, quando opus præscriptum „ iterum, ac sæpiùs repeti potest, intra tem- „ pus designatum id faciant, ut quod semel „ negligenter actum fortasse fuerat, iterùm „ redintegrando opus resarciatur. Hactenus „ Dicastillo. Quare cùm id negligentiæ per Synaxim Generalem vel omninò, vel magnâ ex parte tolli solitum sit, quanti facienda sit, liquet. Certè apparet cur rectè huc accommodes illa Ecclesiastici; *Lignum vitæ est his, qui apprehenderunt eam*, nempe Sapientiam increatam Sacramento Eucharistico contentam, quando per Synaxim præsertim Generalem percipitur.

1014. *Vbi? ubique.* At ubi tam bona fors obtingere potest? Quæris ubi, cùm jam universum orbem pietas illa Synaxis Generalis complexa sit? Quære potiùs, ubi non celebretur, & invenies illic dumtaxat, ubi homines mortui sunt hæresis veneno, vel aliâ peste infidelitatis; vel certè ubi de vitâ immortali, æternaque non laborant. Est autem inter arborem vitæ, quæ in paradiso terrestri sita erat, nostramque similitudo proposito nostro consentanea.

Quem-

Quemadmodum enim, Bonfrerio authore, in paradiſo unica tantum fuit arbor vitæ, ſive quòd id ſacris litteris magis conſonum, ſive quòd duo dumtaxat homines eſſent, multoque pluribus unica arbor ſuffeciſſet, quippe cius fructu non ad quotidianum cibum, ſed ad medicinam ſubinde tantummodo uſuris: Ita primùm dumtaxat Romæ, quæ ob loci ſanctitatem, amœnitatemque, & elegantiam paradiſus terreſtris nuncupari poteſt, Communio Generalis cœpta, & noſtra vitæ arbor plantata fuit. Quemadmodum etiam propagato hominum genere, propagata fuiſſet vitæ arbor vel in paradiſo, vel etiam, & veriùs, extra paradiſum ne ab hominibus quaquaverſum orbem habitãtibus fructus illius tam procul petendus fuiſſet. Ita Communio Generalis Româ in reliquam Italiam propagata fuit. Tum verò latiſſimè in Hiſpaniam, Belgium, Germaniam, Poloniam, Galliam diſperſa. Quid? quod utraſque Indias, quod Antipodas pervagata ſit, uſque adeò, ut Paraquarienſes, gens olim fera, & anthropophagiæ dedita, ejus fructu frequenter utantur. Quamobrem nonne tibi videtur noſtra hæc arbor vitæ hac quidem re ſimilis eſſe illi ficui Indicæ, de qua ſic Theophraſtus l. 4. de plantis c. 4. Gaudet India fico, arbore, cujus anniculi rami in humum deflexi, actis radicibus denuo ſurgunt in novas propagines: adeò ut in orbem circa primarium truncum ſilvâ factâ, quaſi diverſas porticus fornicato opere efficiant. Iſtarum arborum aliquæ 60. paſſus in orbem complectuntur, effundentibus ſeſe novis ſemper ſtolonibus ultra priorum ambitum circum parentem. Altitudo verò tantum attollitur, ut ad 250. paſſus umbram ejaculentur. Ingentium ramorum maxima denſitas; folia peltæ magnitudine: fructus non maior cicere, fici effigie, unde Græci ficum appellant. Ita Theophraſtus. Et verò Malvenda lib. de paradiſo terreſtri c. 16. conjectat ex hujus Indicæ ficûs, quam in paradiſo conſtituit, foliis, Protoplaſtos perizomata ſibi, ſive cinctoria conſuiſſe, quorum unum à fronte, alterum à tergo, propter magnitudinem, totum hominem contegere potuerint. Quæ res utcumque ſe habeat; conſtat illius arboris inſtar, noſtram vitæ arborem circum circa Romam, ubi primum plantata eſt, quaquaverſum ramos diffudiſſe, & ingentem ſilvam ſui propagatione effeciſſe: fructumque illius, etſi cicere haud multo majorem, totum ferè orbem alere ac folia hominem tegere, non quidem ad arcendum pudorem, ſed peccata, & ad flammæ purgantis vel levamentum, vel extinctionem. Cæterùm quod attinet ad ejuſdem fructum, atque alimentum, in eo quoque quod per ſe, ac ſeclusâ convivarum diſpoſitione in omnibus æquale eſt, ſimilis eſt arbori vitæ paradiſi terreſtris, quam profectò neceſſe fuit æquales fructus ubique parere, ne vitam ubique non æquè reſtauraret, atque adeò ubique non conferret immortalitatem. Denique in iſta propagatione Synaxeos Generalis duæ res admiratione dignæ apparent. Prior, quòd præter cæterarum arborum modum quolibet cœlo fructum ubertim ferat, creſcatque, atque alios ex ſe progignat: Poſterior, quod quò latiùs funditur; eò ubique lætiùs proveniat, dulcioresque fructus proferat, quoniam dum quiſque ſacrorum convivarum audit Synaxim ita diffundi, ad eam piè celebrandam, frequentandamque magis accenditur.

1016. *Quibus auxiliis? beneficio indulgentiæ tantus fructus.*

Sed nunc juvat intelligere, quibus nitatur auxiliis, ſive unde virtutem tantam arbor iſta mutuetur. Duplex eſt, ut antehac diximus, fructus Communionis Generalis, prior ad viventes pertinet, poſterior ad vitâ functos, Illos alit ad immortalitatem, & hanc vim à Sacramenti ratione ſortitur. Hos autem expurgat, aptatque, vel ſtatim expedit ad eamdem immortalitatem, ſoluto Purgatorii lytro, & hanc virtutem mutuatur ab indulgentia. Sed enim quid ad arborem vitæ ſpectat indulgentia? omnino ſpectat, ut folia ad arborem, ornat enim illa Communionem Generalem, & velut veſtit, ut folia arborem. Porrò foliis arboris vitæ, maximè cæleſtis, affinis eſt. De his enim Joannes, *Et folia*, inquit, *eius ad ſanitatem Gentium*. Enimverò nonne tibi videntur folia noſtra conferre ad ſanitatem Gentium, quando indulgentiæ piis manibus addictæ beneficio, illi heu! febri ardentiſſima, ſimulque moleſtiſſimo aſthmate, tantùm non confecti curantur, ſanantur, & beata immortalitate donantur? At cur defuncti *Gentes* vocantur? An quia remoti ſunt à nobis? an quia etſi parentes, & amici, velut exteri habentur; An quia permulti ſunt, & diverſis ex gentibus in Pugatorio tamquam novum orbem conſtituunt? Quidquid dicas, miſerrimi ſunt, & folia illa vehementiſſimè deſiderant ad ſanitatem.

1017. *Eſt ſimilis foliis axochiatl.*

Et ſanè hæc ſimilia illis ſunt, quæ gerit herba Indiæ Occidẽtalis, quam Axothiatl, ſeu *Florem aquæ* nominat. De qua lib. 15. c. 45. hiſtoriæ natur. ſic Nierembergius. *Radicem raphani fibratam fundit, & ex ea caules aliquantum purpureos, folia ſalignis proxima, florem oblongum, & luteum, & invaſculis longiuſculis ſemen.*

Radix

Radix est subdulcis, glutinosáque naturâ, ac frigefacientis, humectantíque temperiei. folia resoluta ex aqua, epotáque pugilli mensura, aut corpori illita febrem dicuntur expellere, ac mederi lassitudini; asthmati item sumpta, strumísque apposita diarrhœis, ustionibus, ulceribus internis, atque externis, renum ardorem mitigare, & corpora fulmine contacta fovere. Ita ferè ipse. Nemo autem negabit folia nostra, id est indulgentias febrim animarum purgandarum extinguere: mederi etiam earum lassitudini ex mora Purgatorii contractæ: Asthma quoque ex aspiratione ad cœlum perpeti enatum curare, ustiones item ab illo igne acerrimo profectas, & ulcera conscientiæ mitigare. Denique animas fulmine sententiæ Christi in particulari judicio tactas solari, ac fovere. Quare singulari quodam, ac præcipuo jure ad sanitatem Gentium illarum conferre dicuntur, & præterea flos aquæ, quoniam instar aquæ peculiaris, flammas purgantes, aut temperant, aut extinguunt.

1018. *Communionis Generalis ornamenta.*

Atque hæc subsidia meritò voces intrinseca, alia sunt extrinseca, seu externa, quæ ad celebritatem Communionis, atque ad piorum manium amplius solatium conferre possunt. Tale est æris campani pulsus solemnis, ædis sacræ singularis apparatus, modulatio musica, numismata, quæ Romæ quidem singulis convivis tribuuntur, conciones, supplicationes, & id genus alia. Atque ut supplicationis aliquod exemplar hîc extet, visum est supplicationem Arschotanam nuper fæliciſſimo successu institutam propè ad verbum, prout ad me missa est à R. P. Judoco Andries, & ab ejus institutore P. Judoco Vandermesch perscripta, hic referre; enimvero lucem tractatui affundet.

ENARRATIO

Supplicationis, & Communionis Generalis habitæ 27. Augusti Anno 1656. in urbe Arschotana, Quæ tertio lapide distat ab urbe Lovanienſi.

1019. *Exemplū supplicationis pro Synaxi Generali.*

„ ARSCHOTI celebravimus Communionem Generalem, quam finitimis in pagis quindecim, Theologi nostri „ pro concione, ut Antecinerales Indulgentias solent, latè promulgaverant. Promulgationis dies fuerat D. Bartholomæo sacer. „ Hoc pietatis opere feriis autumnalibus „ præluſimus. Communicaverunt bis mille, „ & ducenti circiter. Toto oppido non nisi mille, & 500. qui sacro reficiantur „ pabulo, numerantur. Undique certasse „ videtur ardor rusticorum, qui accurrerunt, cum civium pietate. Haud dubiè „ plures accurrissent, nisi binis in pagis, ex „ maximè urbi vicinis templi dedicatio, quæ „ in eam diem inciderat, accolarum animos „ in alias curas avertisset. Ductore R. P. „ Rectore decem è Nostris Patribus confes- „ siones excepêre. Ipso die mane horâ „ septimâ per nostrum habita de animabus „ concio; altera à meridie cum gratiarum „ actione de eodem argumento vesperas inter ac laudes: ne abeam longiùs, à summo „ sacro, per præcipuas oppidi vias processit „ supplicatio hoc ordine. Præferebat civium aliquis atri coloris labarum cruce supernè eminente. In medio depictæ inter „ flammas animæ sublatis oculis, manibusque B. Virginis Mariæ in ære conspicuæ „ opem implorabant. Sequebantur Angeli „ Duo, qui hunc gestabant titulum, *Indulgentia Plenaria, pro vivis, aut defunctis.* „ Tabella erat, quæ ad valvas templi pependerat: sub imagine supplices in ignibus animæ. Proximè in scuto puellæ binæ illud 2. „ Machabæorum 12. ostentabant. *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare.* Quem titulum sex spectacula, quæ „ enumerò, exponebant. Singula spectacula suos habebant titulos, quibus exponebantur: Sic ego eos variis notis distinguo. „ Spectaculi primi hoc erat in scuto argumentum. pietas in animas Purgatorii in veteri testamento commendata. Titulus 1. „ historiæ. Judas Machabæus liberalissimam „ eleëmosynam olim in veteri lege transmisit Hierosolymam pro sacrificiis in gratiam „ militum prostratorum. 2. placuit cœlo pietas. Biennio ergo post secundam quietem vidit Oniam dudum defunctum Pontificem pro omni populo deprecantem. 3. „ Vidit & Hieremiam Prophetam, qui ei „ gladium aureum donabat, hac additâ tesserâ, *Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel.* 4. Commisso deinde prœlio Judas cum „ tribus dumtaxat millibus, triginta quinque „ hostium millia prostravit. his præmissis ferebatur pictura, quæ rem gestam exhibebat, visionem scilicet, & victoriam. „

Spectaculum 2. Argumentum in scuto. „ Animæ precibus adiutæ mortis periculo „ suum vindicem eximunt. Titulus 1. Civis „ Vallisoletanus, quoties Deiparæ pertransibat cœmeterium, toties precationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro „ defunctis recitabat. 2. hic noctu dum per „ idem cœmeterium iter intendit, repentè „ inimicorũ strictis gladiis irruentium turbâ „

undique cingitur. 3. Illicò armati magno numero manes prorumpunt è tumulis, fugatisque sicariis defensorem suum mortis periculo liberant. Hiero. Gratianus l. de Jubilæo; tum res appparebant in imagine: terribiles scilicet visu manes, & armati suæ quondam artis instrumentis, ligonibus, tribulis, malleis, falce, hastis, gladiis, quibus libratis in ictum, hostes precantis flexis genibus vindicis fugientes persequebantur.

Spectaculum 3. Argumentum. Liberatæ purgatorio animæ suppetias veniunt laboranti vindici civitati, quæ ideò Dei civitas nuncupata est. Titulus 1. Eusebius Dux Sardiniæ, unius civitatis vectigalia in solatium defunctorum impendit. 2. Interceperat hanc urbem Salæ Princeps Ostorgius. Ex insperato Eusebio 40000. armatorum millia candicantibus armis ac vexillis suppetias venêre. 3. Professi sunt sese è summi Imperatoris familia esse, denique Eusebio auxiliares fore. 4. Porrò urbem Eusebio recuperarunt: quo facto eorũ Princeps ad Eusebium conversus, Hi milites, inquit, animæ sunt, quas Purgatorio exemisti. 5. Insiste precari, tibique persuade, quot animas adjuturus es, totidem apud Deum tibi fore oratores. Pinelli de altera vitâ l. 1. c. 28. Hîc videre erat in imagine urbem, & animas juvenum specie candicantibus vexillis ac vestibus Duci Eusebio suam operam deferre, nec mortuis tantum coloribus, verùm etiam per pueros equites, qui imaginem sequebantur res adumbrata est. Quos inter puer nobilis Ducem Eusebium splendido cultu, armisque: cæteri Eusebii proceres habitu referebant.

Spectaculum 4. Argumentum in scuto. Solatium animabus præbitum solatio morientis pii manes compensant. Titulus. 1. vario pietatis studio animas non paucas piacularibus flammis exemerat vir plurima virtute nobilis. 2. Correptus ægritudine fatali dum anxiè nimis secum super animæ suæ salute disputat, 8000. circiter Cœlitum armatorum millia referato cœlo vidit descendere. 3. Macte animo, inquiunt, ne trepida, dimicanti tibi adsumus animæ, quas tuis olim conatibus cœlo asseruisti, jam jam te rectà in cœlum deducemus. 4. mirè hoc spectaculo recreatus æger placidissimè desit vivere. Moriatur anima morte justi hujus. Binettus de statu animarum c. 1. ex Baronio. hic spectabatur depictus æger fatali in lecto porrectis ad animas multa in luce descendentes manibus; parte alia dæmonibus anxietatis authoribus à lecto sese propipientibus.

Spectaculum 5. Argumentum, ac cætera in scuto. Sacra Communio lytrum est purgantium animarum. Titulus. 1. fuit, teste Blosio, qui ad Synaxim infrequens accederet, eamque piaculari flammâ negligentiam penderet. 2. Stitit ille spectabilem sese amico quondam suo, & si vel semel, inquit, mei causâ, sacrâ mensâ te receperis, illicò liberabor. 3. Recipit amicus id facturum sese: sumptâ Eucharistiâ, percepit actutum sui supplicis libertatem. hic in imaginis parte una amico supplicabat anima flammis circumdata; parte alia ubi de manibus Sacerdotis Eucharistiam amicus susceperat anima veste candida multaque luce coruscans ferebatur in cœlum. Blos. in Monili. Spir. c. 8.

Spectaculum. 6. Argumentum. Pietatem in animas, quo potes studio promove. Titulus 1. magnus ille Thaumaturgus Franciscus Xaverius Indiarum & Japoniæ Apostolus. Tit. 2. Post solis occasum cives Malacenses tintinnabulo excitos solemni carmine ad solatium defuncto. rum invitabat. Sequebantur puellæ quæ gestabant rem coloribus adumbratam. Ibat Xaverius per plateas, compitaque, quæ ars expresserat, sine pallio, aperto capite, lævâ tenens tintinnabulum, dextram in cives, qui tristi excitati sonitu hinc inde è fenestris prospectabant, intendebat. proximè legebatur illud Jerem. c. 8. *Tu quoque clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Accurrite, accurrite: Dei, & nostri amici jacent in ignibus. hoc loco alternis ingeminare debebant parvuli tintinnabula agitantes, 1. *Miseremini mei.* 2. *Miseremini mei.* 3. *Saltem vos.* 4. *amici mei.* hactenus procedebant pueri, & puellæ habitu potiùs ad pompæ ostentationem splendido, quàm ad exprimenda, quæ titulis, & imaginibus exprimebantur, accommodato, personati tamen ut Angeli, & virtutes. Cætera subsecuta turba pœnas Purgatorii, animasque juvandi methodum variam, titulis, habitu, symbolisque denotabat. Præibant animæ pœnarum Purgatorii simulacra; suus cuique adhærebat comes Angelus Custos. Animæ primæ hoc erat lemma, pœna sensûs, *Manus Domini tetigit me.* Animæ 2. tetigit me tam miris, quàm horrendis modis. Angeli Custodis hic erat titulus, servatis justitiæ legibus. Animæ 3. titulus, miseram me pro levibus noxis! Angeli titulus, ob leves noxas in oculis hominum. Anima 4. in scuto ostentabat, pœna damni, *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Angelus: omnibus persolutis debitis. Anima 5. *Hei mihi! quia incolatus meus prolongatus est.* Angelus;

» lus; *quia dereliquerunt te propinqui tui, & qui te noverant, obliti sunt tui.* Job. 19.

» Spectaculum 7. pœna temporalis: miseram me, cui spatium breve est sæculum! » Angelus: hoc supplicium exigit brevis » olim tua, sed noxia vanitas. Anima 7. » miseris opem ferte, quam potestis. His » accedebant, quæ ex suis symbolis dignosci » poterant, varia bona opera. primũ Opus » bonum, seu virtus prima, in tabella inscripta præferebat: Suffragari animabus potestis per orationes, hæc gestabat rosarium, » & libellum. Virtus 2. per jejunia, In patina » uvas passas, amigdalas, &c. Virtus 3. Per » eleëmosynas, cui symbolum, marsupium è » quo porrigebat pecuniam. Virtus 4. Per » sacrificium Missæ; Symbolum ejus missale, » cæteraque supellex sacra. Virtus 5. Per » Indulgentias; Symbolum ejus, diploma » Pontificium. Virtus 6, Per corporis afflictationes, Symbolum ejus flagellum, &c. » Agmen claudebat Jesulus hac sententia: » *Quod uni ex minimis meis fecistis, hoc mihi » fecistis.*

» Porrò cùm ad supplicationem hanc tum » ad illam Indulgentiam eo die acquirendam » tantus fuit concursus ac pietatis ardor, ut » R.D. Decanus affirmarit universos, qui per » annum illic communicant in honorem » Rosarii, funiculi S. Francisci, & Scapulares » (quorum Sodalitates in eâ urbe sunt, quamvis non sint eorum directores Ordines Religiosi) ne mediam quidem partem attingere illius numeri, quem supra eo die fuisse » significavi. Porrò præter hactenus enumerata, in supplicatione multæ pro oppido » illo adluxere faces quas cives in honorẽ V. » S. circumferebant, Et tanta V. S. comitantium turba, ut quà ibamus vix ullus spectator appareret. Incolæ numquam simile à » se visum dictitarunt. Hactenus ipse.

Pars tertia.

Ex cæteris adiunctis Communio Generalis expenditur.

1020. *Causa indulgentiæ Com. Generalis.*

Satis equidem ex dictis elucet Synaxeos & arboris nostræ præstantia: satis ubertas illius fructuum. Verumtamen alia restant, nec præteriri possunt, quæ longè, nisi fallor, ampliùs eam illustrant. Ac primum occurrit causa, cur indulgentiæ Synaxeos à Pontifice concedantur: *Ad augendam*, ait, *fidelium religionem, & animarum salutem.* Igitur causa hæc est duplex. Prior ad religionem, maximè scilicet, ac ferè propriè in Eucharistiæ augustissimum mysterium. Posterior ad salutem animarum procurandam. Cùm ergo eò certior indulgentia sit, quò causa illius concedendæ dignior, hujus utriusque causæ dignitas tantisper nobis metienda est. Quid vero sublimius? quid divinius eo mysterio? quid igitur augmento religionis in illud nostræ sanctius, aut veniâ noxarum dignius? Cùm enim religio illa sanctissima sit, propterea quòd Deum pariter atque hominẽ, Christum, in Venerabili illo Sacramento fide maximè arduâ credat, & velut principium rerum omnium simul cum transubstantiatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi protestetur, & colat, augmento illius nil potest esse sanctius. Et cùm Sacramentum illud summi pignus amoris sit, abesse nequit, quin in eo servator noster ad amorem ac benignitatem summoperè propendeat. Jam quî meliùs eam religionem amplifices, quàm epulis divinis accumbendo, quandoquidem Communio, ac Generalis præsertim, publica veritatis Eucharisticæ declaratio sit, non voce, sed facto ipso, & simul ex opere operato amorem in Christum augeat, ac proinde illius venerationem? Quibus adde inter eam obeundam palam exponi in hierothecâ ipsum Christum, cujus aspectus, cultum, amoremque in animis intuentium ciet. Adde quoque eum cultum solemniore apparatu, & musico cantu exsuscitari. Quibus omnibus salus animarum, quæ posterior indulgentiæ largiendæ causa est, non mediocriter augetur. nam eâ profectò charitate præsertim stabilitur, cujus illicium, fomentumque est divina Communio. Cui cùm præmitti vel debeat, vel solita sit sacrmentalis exomologesis, si gratia sanctificans deerat, per eam in animam invehitur; si aderat, cumulatur. Accedit cruciatuum lustralium commemoratio, quæ plurimum valet ad animos à noxis etiam levibus deterrendos: ex quo fuga lethalium sponte exoritur. Atque hæc eò ampliùs confirmant, augentque spem salutis, quò frequentiùs iterantur. Quibus si multitudinem concurrentium ad eamdem Synaxim, idemque tempus adjunxeris, comperies haud dubiè singularem hujus indulgentiæ consequendæ securitatem. Atque hoc etiam respectu Synaxim Generalem ex vero dices veram esse arborem vitæ, & præcipuo quodam jure illi convenire, ut vitam parere censeatur immortalem.

1021. *Quomodo seu quo successu communio Gen.*

Verùm id longè etiam luculentiùs patebit ex sequenti illius adjuncto. *Quomodo* enim, seu quo eventu, quo successu, qua celebritate ac frequentiâ Communio illa obitur? Rem sanè prodigiosam! Romæ quidem ubi cœpta est, duodeviginti, aut

viginti plus minusve hominum millia ad eam de more confluunt. fuit cùm triginta millia divinis epulis accubuere, adeò ut ad vesperas usque sacra mensa continuaretur, cum bonâ summi Pontificis venia. Jam Olyssippone in æde Domus Professæ Soc. Jesu viginti quinque millia uno ejusmodi die divinâ escâ pasti sunt. Panormi octo & viginti millia. In Belgio ut non sint tam frequentes incolis civitates, quia ipsæ pro regionis mediocritate permultæ, tamen Antuerpiæ, ac Bruxellæ ad sex, septemve millia divinæ mensæ assidere solent. Insulis ad octo millia ipso indictæ primùm Generalis Synaxeos die, sacro pane refecti sunt, post eadem pietas vigorem suum semper in hodiernum usque diem conservavit. Quid de Duacensi urbe, minimè populosa dicam? in qua convocatis ex agro circumjacente mortalibus, quinquaginta Sacerdotes nostri audiendis confluentium ad eamdem Synaxim confessionibus aliquando occupati sunt. Quid? quod cùm Divione in Burgundia Rector Collegii Societatis animi penderet, an populo Synaxim Generalem proponeret, quòd propè desperaret fælicem illius successum, statim ab ejus exordio totum templum nostrum communicantium multitudine refertum est. Quid de ruralibus ejusdem modi Synaxibus loquar? In agro Tornacensi uno in pago bis mille convivæ Eucharistici aliquando recensiti sunt. Sed eorum pleraque jam vetera. Et notum est primos cujusque pietatis velut impetus esse vehementiores, sensim autem remitti. Audiamus igitur an & hæc paulatim senescat.

Narrat Nadazi noster in annuis Societatis Jesu, miram anno 1653. variis in Provinciis Communionis Generalis frequentiam, in hæc ferè verba. Compertum est in Generali Communione vix quartam Bœticæ partem, eamque non omnem à sacro abfuisse convivio; certè tanto undantium populorum æstu, tanta undique canentium voce, ac ardore, celebrata res est, ut visum quibusdam sit cernere quandam decretorii diei effigiem, populosque confluere, tanquam supremâ tubâ excitos. Item eodem anno in quadam missione Provinciæ Romanæ multa millia ad eandem Synaxim convenêre è quibus multi longo supplicantium ductu, sub vexillis, nudis vestigiis advenêre. Variæ se cruciandi artes repertæ pro ingenio pietatis; catenis alligati, alii aliis ibant unà, bini & bini, aliis catenæ à collo, aljis à pedibus, aliis à brachiis pendebant. Duo venerandi Sacerdotes insertis jugo collis, ut jumentum facti coram Deo, & à puero fune tracti Ubique mœsta rerum facies, ea oculis, & auribus objectabat, quæ pœnitentiam clamarent voce, lachrymis, flagris, sanguine, imagine Crucifixi. In ejusdem Provinciæ Romanæ quadam missione Communio Generalis mille numerabat, qui ad animas, indulgentiarum vi, è Purgatorio eruendas receperunt se quot mensibus ad obeunda sacramenta diligentes, constantesque futuros. Atque hæc in oppido montis Varchi gesta, clero ac populo primùm quidem invitis, deinde verò longè volentissimis, tantoque affluxu, ut Communio Generalis templi angustias egressa in foro debuerit celebrari. Anconæ eidem Communioni Generali celebrandæ præmissa est in 4. templis primariis missio, ut præparatò celebraretur. Ea præparatio solemni per urbem ductu facta, eâque frequentiâ, quantâ nullam unquam celebratam meminerint seniores. Putantur ab illa Synaxi tota urbe pauci admodum abfuisse. In Turcia Quinqueecclesiensium, apud Hungaros missione, Generalis quot mensibus Communio tam celebris est in usu, populi æstimatione, atque frequentia, ut non secus atque ad solemnes nundinas plena sint Urbis compita, & suburbia conferta multitudine curribus adventantium. Propterea Turcæ quoque occasione usi merces exponunt, affluuntque vicina oppida venalitii quæstus causâ. Infinitus sim, si cetera ejusmodi persequi velim.

Quocirca nonne meritò Synaxis ista Generalis vocatur, ad quam omne hominum genus tantâ copiâ accurrit? nonne iterùm meritò sic nominatur, cùm cæteræ ejus respectu privatæ ac particulares nuncupari queant? nonne cum convivio Assueri rectè componi potest, de quo sic sacer Historicus. *Tertio igitur anno imperii sui fecit grande convivium cunctis principibus, & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & Præfectis provinciarum coram se, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet, & octo diebus. Cumque implerentur dies convivii, invitavit omnem populum, qui inventus in Susan à maximo usque ad minimum, & iussit septem diebus convivium præparari in vestibulo horti, & nemoris, quod regio cultu, & manu consitum erat. Et postea. Bibebant autem, qui invitati erant, aureis poculis, & aliis atq; aliis vasis cibi inferebantur; vinũ quoque, ut magnificentiâ regiâ dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur, nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum; sed sicut Rex statuerat, præponens mensis singulos de Principibus*

1022. *Rectè vocatur. Generalis.*

Principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet. Esth. 1.

1023. *Cur similis convivio Assueri.*

Enimverò grande illud convivium, SS. Patribus Interpretibus, Eucharisticum adumbrabat, quod quidem Principibus, atque inclytis, sive eximiis Dei servis potissimùm paratum est: sed tamen omnis deinceps populus ad illud invitatus est, id est, maximè per Synaxim Generalem omnes divinis epulis accubuere. Et verò in eâ quoque cibi aliis atque aliis vasis inferuntur, id est, sacerrimum Christi corpus, quod unum innumeris cibis æquivalet, variis formulis infertur. Deinde aureis etiam poculis bibitur, & vinum quidem magnificentiâ regiâ ac divinâ dignum, quia sanguinis Christi merum cum charitate aureâ, quam tanta hominum copia excitat, atque ex aureis, auratisve alabastris potatur. Neque hic est, qui nolentes cogat ad bibendum, sed unusquisque quantum vult, sumit, quia plus minusve gratiarum Sacramentalium quisque ex convivio Eucharistico accipit pro animi devotione, ac piâ voluntate. Locus porrò convivii hic pariter hortus est, quia ut priùs ostendimus ædes sacra hortus est, & quidem regiâ ac divinâ manu consitus.

1024. *Numerus animarum liberatarũ per Syn. Gener.*

Cùm igitur omnis populus, id est, permulti ex omni mortalium genere ad hoc convivium confluant, in eo quoque Synaxis Generalis arbori vitæ æquiparatur. nam sicut ex arbore vitæ omnes edere opus fuisset ad immortalem vitam consequendam, ita omnes, sive propè omnes, ad Synaxim illam accedunt, saltem intra annum, aut longiusculum tempus, ut veram immortalitatem vel sibi, vel piis manibus parentum, & amicorum comparent. Quot verò arbitraris animas per omnes totius orbis Synaxes Generales tantâ epulantium frequentiâ celebratas, pœnis expiatricibus liberari? Vis conjectemus? Pone igitur, quod Romæ sæpe accidit, unico die interesse Sacræ mensæ octodecim millia, pone à singulis quartæ illorum partis, singulas animas liberari; unico illo die quater mille quingentas in cœlum evadere facies. Spatio autem unius anni quinquaginta quatuor millia; intervallo porrò viginti quinque annorum millionem, ac trecenta quinquaginta millia. Quinquaginta denique annis Synaxis Generalis liberaverit Romæ duos milliones, ac septuaginta millia piorum manium. Proh numerum! proh immensam charitatem Communionis Generalis! Sed pone octo dumtaxat communicantium millia, & quartæ illorum partis singulos singulas animas cœlo donare; anno unico cœlo invehentur Synaxeos beneficio viginti quatuor millia, quinque porrò ac viginti annis trecenta millia; quinquaginta verò, sexcenta millia. Verùm plures simul Communiones sumamus, faciamusque duodecim præcipuis Belgii civitatibus numerari dumtaxat quatuor convivarum millia; unico anno per Belgium centum quadraginta millia animarum Purgatorio eximentur; viginti verò ac quinque annis tres milliones sexcenta millia. demum quinquaginta annis, septem milliones ducenta millia animarum cœlesti regno donabuntur. Potuítne aliquando, vel sodalitas, quæpiam per totam Europam sparsa, vel religio, seu Trinitariorum, seu Cruciferorum, seu à mercede dictorum tot captivos ergastulis, ac captivitate Turcicâ hactenus liberare, quot Belgii Communio Generalis ex ærumnosissima captivitate lustrali animas vindicavit, vel anno unico? Potuérúntne universi hactenus Redemptores tot eximere, quot eadem Communio Belgica per viginti annos? Si quis autem nos communicantium promiscuæ multitudini nimium dare arbitretur, dum quartam ejus partem plenæ indulgentiæ compotem facimus, animarumque redemtricem, meminerit in eâ multitudine facilè quartam partem ex piis conflari. Deinde si volet, altero tanto numerum assignatum minuat, & etiamtum comperiet plures animas toto Belgio per Synaxim Generalem Purgatorio intra annum liberari, quàm hactenus è Turcarum captivitate liberati sint, aut liberari possint, quantiscumque impendiis.

1025. *Arbores paradisi fertiles.*

Ad extremum ultima circumstantiarum perpendenda est, quando tot, ac tantos fructus hæc arbor vitæ progeneret. De terrestri quidem nihil proditur in sacro instrumento. At Malvenda Ordinis Prædicatorum de fructibus paradisi voluptatis c. 66. ita disserit. *De fructibus quærunt, num semper arboribus inessent, an verò statis dumtaxat temporibus producerentur, & num aliarum æstate, aliarum autumno fructus maturescerent, ut apud nos. Existimamus perenni successione, atque continuâ, arbores fructiferas extrusisse flores, qui mox in fructus celeri maturitate coalescerent; decerpto autem, vel deciduo fructu statim florem novum in locum eius enasci, qui deinde in fructum maturesceret, sícque semper continuam illic vicissitudinem efflorendi, & fructificandi in arboribus persistere, ita tamen quod alterna, & mirabili varietate in unaquaque fructiferâ arbore, & semper inessent aliqui flores, & fructus alii virides, alii maturescentes, alii maturi, quod ad pulchritudinem arborum, & ad*

præstantiam loci eximiè facit. Hactenus Malvenda. Cui favere videtur Tertullianus in quodam carmine. certè quidem ratio ab illo stat, quia cùm in Italiâ ficus, aliæque arbores biferæ reperiantur; cùm in Indiis id non uno loco obtingat, quid mirum si in paradiso terrestri, terra necdum maledicto divino subjecta, arbores semper florerent, ac fructificarent? Quod si verò id cuilibet arbori illius paradisi innatum erat, quantò magis arbori vitæ concessum credi debet, cùm hæc omnium longè esset præstantissima?

1026. *Arbor nostra per singulos menses.* Sed quid de cælesti arbore vitæ dicendum? *In medio plateæ Ierusalem cælestis*, ait Joannes, *& ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum.* Hæc ille. Ex quibus manifestum evadit semper esse fructibus refertum, juxta illud Ezech. cap. 47. de terrestri arbore vitæ, *Non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius, per singulos menses afferet primitiva.* Quæ res singularem Communionis Generalis, sive nostræ arboris vitæ affinitatem cum cælesti arbore designat. Et hæc enim nostra per singulos menses fructum suum effert, & hic per singulos menses vegetat sacræ mensæ accumbentes, atque adeò pios manes alit, denique reddit illi, ad quam anhelant, beatæ immortalitati. Deus bone! quanta illa fœcunditas! quàm multi intra annum per universum terrarum orbem fructu illo, ejusque foliis pasti, vel præparantur ut mortales, vel expediuntur, ut pii manes, ad æternam felicitatem! Vos ô Custodes Genii, qui sæpe cum admiratione tantam utrorumque vim spectastis, dicere soli potestis: nobis ne licet quidem cogitando assequi.

1027. *Ideò laudanda, & amanda.* Quamobrem quis te, O nobilissima vitæ arbor, O Communio Generalis, non âmet? quis non laudet, ac frequentet? Narrat Plinius l. 16. c. 44. Passienum Crispum bis Consulem, in suburbano agri Tusculani arborem quamdam adeò adamasse, ut osculari, complecti, frequens sub eâ cubare, eique vinum affundere non dubitaret. Et traditur Regem Xercem cùm terrâ nova itinera, marique insolitam navigationem in Græciam instituereet, platanum proceram in Lydia tantopere admiratum, veneratumque esse, ut ejus amore insanire videretur. Etenim posthabitis Jovis operibus ac sacrificiis integram diem juxta illam commoratum, castra circum posuisse in solitudine, torquem auream, armillasque ex eâ suspendisse, auream platanum, quæ amatam referret, fundi jussisse, ut mentis æstuationem, mœroremque ex ejus absentia leniret, quin & custodem apposuisse, qui servaret. nos igitur quantò satiùs arboris nostræ amore capi nos sinemus, quantò æquiùs eam colemus, ac celebrabimus?

1028. *Epilogus ad Soc. Iesu ut Synaxim continuet.* Quæ cùm ita sint, iterum, iterumque te obtestor, ô amantissima Parens mea Societas Jesu, ut fructus hujus arboris vitæ eo, quo cœpisti, studio, & eâ, quâ per quadraginta, & amplius annos constantiâ continuasti, mortales, ac mortuos pascere ad extremum usque non desinas. Eia sit etiam illa ratione ista Communio *Generalis*, quòd Socii omnes, hi concionando, illi exomologeses audiendo, alii Synaxim distribuendo, alii altaria, ædemque ornando, alii orando perficiant, ut multi confluant, multi è piis manibus cœlo inferantur, omnes denique ad ejus celebritatem operam conferant. Sit præterea *Generalis*, quod sedulitate tuâ omne hominum genus, Græci, ac barbari, Europæi, Asiani, Africani, Americani, quacumque demum sol radios, ac diem spargit, id est, quacumque sedem habes, hæc divina pietas ad defunctorum solatium diffundatur. Ita efficies ut sit quoque *Generalis*, quòd omnibus generatim usui sit, Deo ad majorem ejus gloriam, Immaculatæ Mariæ ad immensam pro filiorum liberatione lætitiam, Angelis ad singulare pro vacuarum cœli sedium occupatione gaudium, Beatis ad novam quamdam ex novorum sodalium accessione beatitudinem, piis manibus ad ingens solatium, mortalibus denique ad salutis suæ confirmationem, parentumque, & amicorum suorum celerem à tantis pœnis absolutionem.

1029. *Quia obligatur ut Christi acies.* Enimverò, pace dicam tua, ô Mater, ad id officii multiplici nomine obligaris. Et enimsi te Christi aciem dixero, non aberraverim à veritate: nam & *Societas* nomen hoc indicat, & Dux Ignatius relictâ sæculari militiâ, se, ac suos Imperatoris Jesu signis per exercitia spiritualia, ac solemne sacramentum addixit, & S. Theresia Jesuitas cum candidis labaris gloriâ florentes, Antichristo bella moturos divinitus accepit: & experientia testis est ipsos ubivis *Bellare bella Domini.* Quamobrem nefas est, ut animas ejusdem Domini Jesu laboribus ac sanguine partas, quas hactenus tutata es, derelinquas, donec in Christi regnum ope tuâ introducantur.

1030. *Ut mater animarum.* Quod si Matris animarum nomen, utpote suavius, magis tibi arridet, & hoc tibi jure convenit, sive quia ad hoc nata es, ut Sponso tuo Christo filios, ac filias afflatu Spiritus Sancti generes: sive quia illos lacte doctrinæ

doctrinæ cælestis, à teneris educas in scholis, ac Sodalitatibus, sive quia per cõciones, hortationes, absolutiones Sacramentales eosdem mortuos vitæ frequenter restituis: non igitur est consentaneum, ut easdem animas subsidio tuo destituas, quando velut infantes nihil quidquam pro se apud Deum fari queunt, aut ullatenus se juvare in Purgatorii tormentis, ac doloribus infandis.

1031. *Et ordo Angelorum custodum.*

Sed libet te *Tutelarium Angelorum Ordinem* dicere; nam illorum munia exercet, quà illuminando animas, quà permovendo ad virtutem, quà revocando ad salutem, quà ducendo ad patriam cælestem: neque quisquam Societatis Jesu se germanum filium arbitrari potest nisi Custodem animarum præstet. Itaque ut Custodes Genii purgandas animas adeunt, solantur, adjuvant, omni ope operaque tum suâ, tum alienâ, quam à mortalibus, & immortalibus implorant, iis adsunt; sic tuâ interest, ô Societas, clientes animas benevolentiâ complecti, & omnibus charitatis officiis prosequi, dum ad Patrem æternum, hæreditatemque paternam perveniant.

1032. *Quid spectandum.*

Quod si feceris, si Communionem Generalem, & piorum manium liberationem de more procuraris; O quàm amica, faustaque toto Purgatorio acclamatio; quàm gratus omnium istic captivorum animus! quanta, ut omnes tui conatus ad gloriam Dei vertant, omnium comprecatio resonabit! quanta denique, dum inde erepti fuerint, omnium aggratulatio toto cœlo, & æternùm quidem audietur! Refert Pontus Heuterus in Carolo Quinto; cùm Inclytus hic Imperator captum Tunetum victor intraret, servos omnes Christianos, qui viginti millium numerum susuparabant, liberos statim pronunciasse. Inter hos porrò non pauci erant viri nobiles, quorum plerique octo, decem, aut quindecim aureorum millia pro sua libertate frustra obtulerant. Cùm ergo in conspectum Cæsar venisset, illi licet Franci, Italiúe, ab ejus corpore ne intentatis quidem minis depelli poterant, ad pedes prosternebant se seminudi, squallidi, verberibus fœdati, macerati, ac præ gaudio sui impotentes, ut vel ejus calceos in grati animi signum exosculari liceret. Quare Cæsar ut eorum desiderio satisfaceret, in sede se locans pedes, genua, manusque exosculandas præbuit, vestes singulis, atque aureum unum dedit; quo accepto tanta cum lætitia sese ad sua recipiebant, tantâ animi propensione fausta Cæsari, ejusque exercitui precabantur, ut omnibus lacrimas excuterent.

Quis igitur explicet, quis mente capiat quantas, & quàm medullitus pii manes habituri sint grates vindicibus suis, filiis tuis, O Societas Jesu! Quis comprehendat, quanta in Purgatorio, quantâ in cœlo congratulatione omnia resonent, cùm recordantur, quod obliviscì nequeunt, non liberationis viginti millium è Tunetensi captivitate, sed viginti, & amplius Millionum, quos filii tui per Synaxim Generalem, per adhortationes, per suas, & alienas satisfactiones, per Missas, & alia suffragia operâ suâ illis addictâ, longè deterrimâ omnium captivitate vindicarint! Profectò ea sola spes solari abundè potest ac debet filios tuos, dum de more, impiorum à dæmone instigatorum maledictis, imò & piorum hominum de se per errorem sinistrè sentientium obtrectationibus, criminationibus, ac susurrationibus lacerantur, & ea, inquam, illa spes te universam ad illud studium in pios manes non modò continuandum, sed & magis accendendum, debet urgere. Et urget, scio; at maximè charitas Christi, ac gloria Numinis, quæ ex eo summa efflorescit. Quamobrem ut in arbore vitæ, unde exorsi sumus, orationem concludamus, perge illâ mortales, ac pariter mortuos alere per singulos menses; nec dubita, quin eadem arbor, quæ etiam Cælites pascit, filios tuos immensis & immortalibus fructûs sui deliciis sit cumulatura.

1033. *Quanta gratiarum actio defunctorum pro Com. Gen.*

ARTICULUS IV.

Peregrinationes Religiosæ defunctos sublevant.

1034. *Peregrinationes Deo grata.*

Non est dubium, quin peregrinationes ad loca sacra studio pietatis obitæ, Deo gratissimæ sint, atque adeò gratiam ejus ampliorem obeuntibus concilient. Constat enim ipsas à Numine ipso per Moysen præceptas Deuteronomii 16. ubi Israelitæ ter in singulos annos ad tabernaculum, seu templum Domini itare jubentur. Id quod studiosè observatum olim ab Helcanâ, ejusque uxore Annâ, Samuelis matre, imò etiam à Christo, ejusque Immaculata Parente, ac Josepho; ut meritò impietatis nota inuri debeat Calvino, dum quodam loco religiosas peregrinationes impietatis arguit: Jeroboamo hac re non absimilis, quem Josephus Historicus narrat à peregrinatione Hierosolymitanâ Tribus sibi subjectas avocasse, quòd diceret Deum ubivis terrarum esse, ac coli posse, quasi peregrinos illos ad ædem Jerosolymitanam

tanam carperet impietatis, quoniam crederent numen, alioqui immensum, illâ æde circumscriptum esse.

1035. *Ad satisfaciendum utiles.*

Porrò peregrinationes compluribus aliis suffragiorum generibus aptiores esse ad levandas Purgatorii pœnas, hinc manifestum est, quod non modò cum religione cultúve Sanctorum, sed etiam cum non levi molestiâ conjunctæ esse consueverint. Nam & itinerum labores, & pericula à prædonibus, ac cœli injuriis, vim satisfaciendi illis addunt, & præterea manes ipsi subinde Dei nutu, variis molestiis eas infestas reddunt, non nocendi, aut vexandi cupidine (nec enim ea in bonos cadit) sed ut labore, ac dolore aggesto virtus satisfaciendi accrescat. An mali genii nequitiam suam, sævitiamque identidem in illis exerceant, incertum. Credibile est eos ex immortali in pios manes odio, invidiaque, quòd suas in cœlo sedes occupatum eant, suos insolentes, crudelesque ludos etiam aliquando ludere, ut à peregrinando deterreant. Ut plurimum tamen bonis geniis molestias tribuendas esse patet ex eorum, qui apparuere, confessione, gratiarumque pro illarum tolerantia actione. Id denique hîc notandum, frequenter peregrinationes, aliaque à Spiritibus exigi, quòd ab iisdem, dum vitam agerent, sint promissa, nec impleta: quippe ut intelligamus nec temerè vovenda, nec omittenda esse, & supremum Dominum velle subinde pro suo jure idem ipsum, quod promissum est ac debitum, sibi persolvi, nec alio, licet non impari contentum esse. Est autem hæc, quam subjicio, historia non minus ad eorum quæ diximus, confirmationem, quàm ad Christianorum institutionem idonea.

1036. *Confirmatur ex historia.*

Anno salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo, Juvenis quidam indole placidâ, bonæque famæ (Laurentius, ei nomen) natus duos & viginti annos in pago Erin, primo ab urbe Valencenensi lapide, ducendis cujusdam villici equis victum sibi parabat. Huic mater à pluribus annis vitâ functa cum se spectandâ exhibuisset, ingens spectri terror fugam in templum persuasit. Ibi ædituo, aliisque narrat, quid sibi evenerit. Sed ecce, & in templo mater, nutuque significat, ut egrediatur, cupere se solam cum solo colloqui. Egresso gravissimè plangit, gravissimas, quas à septemdecim annis, patiebatur, Purgatorii pœnas, quibus absolvi non possit, nisi Beatorum precibus, jejuniisque ac stipe mortalium, sacrificiis item, ac peregrinationibus suorum. Tum filio institit, ut à Joanne Donnaing consanguineo veniam injuriæ à se illi factæ suo nomine peteret; præcepitque, ut exomologesi animam compararet sacræ ad Hallensem Divam peregrinationi causâ suâ instituendæ, quam denique clauderet certo candelarum numero ante Divæ imaginem accenso. Injunxit quoque, nonnullos Valencenenses cives Laurentio ignotos ut rogaret aliquot sacrificia, in suum levamen facienda. Cætera Laurentius matri promisit, unum perquàm sibi molestum fore ostendit, ab ignotis illis Sacra flagitare, à quibus metus erat ne cum ludibrio exploderetur. Reposuit illa frustra esse hunc timorem. Cùm enim Numinis voluntate hæc postularet, ejus esse eam illis ita patefacere, ut statim acquiescerent. Sic instructus Laurentius rem totam cum Curione communicavit, cum viris etiam Religiosis, aliisque doctis: & cùm illos Valencenenses adiisset, sine morâ voti compos factus est. Inde Hallas versus carpit iter, quò cùm sese eo ipso die perventurum speraret, tot se illi objecêre viæ impedimenta, ut in suburbiis Brennæ (urbs est Hannoniæ) apud pauperem fœminam divertere, noctemque ducere coactus sit. nocte concubiâ detractis stragulis, ejus dexteram mater arripuit, non procul à pugno, illiusque quatuor digitos brachio interiori intorsit ea vi, ut in brachio cicatrices hærerent, & digiti atramenti instar, nigricantes remanerent. Juveni brachium luxatum, perustumque visum est (tantus erat dolor!) certè & gemitus lamentabiles ei expressit, adeò ut hospitam vehementer perculsam tenerent. Postero mane festinus prosequitur iter, ingĕti alioqui dolore pressus, tandemque coram sacrâ icone piè obit postulata. Expleſse ratus, sacrario pedem effert; sed mater tanto impetu eum repulit, ut gradibus quibusdam afflictus, mireque perculsus fuerit. Tum venit in mentem candelarum, minimè, ut jussus erat, accensarum. Quò peracto Curionem adiit, culpas ei fassus est, rem totam enarravit, itaque perfunctus omnibus, quæ mater ei mandarat, tranquillè ad pagum Erinum, unde discesserat, revertit. Paucis post reditum diebus tertiùm se illi stitit mater, dixitque amicorum precibus, nominatimque certi cujuspiam (cujus nomen prodere semper recusavit Laurentius) pœnam quadraginta annorum, cui erat adjudicata, ad triduanam esse redactam. Quâ persolutâ non commissuram se, quin ei sortem suam renuntiaret, ultimumque salutaret. fuere, qui suspecta haberent hæc visa, geniumque eorum authorem. Suasere illi, ut dum rediret Symbolum Apostolorum integrè, distincteque pronuntiare juberetur. Rediit porrò triduo jam exacto circa mediam noctem,

ctem, præviam diei Veneris, cùm Laurentius comitantibus Curione, Ædituo, nonnullisque pagi incolis precationi operam daret, comparuit autem cincta quatuor candidatis, ac splendidis juvenibus, indicavitque lætissima Mater filio suo se nunc demum rectà cœlum petere. Asservatur hæc historia in manuscripto Collegii Societatis Jesu Montibus, unde R. P. Maillart in sua D. V. Hallensi mutuatus est, atque ego ex illo.

1037. *Alia historia.* Præclarum quoque hujus generis exemplum profert Bredenbachius Collat. salutar. lib. 8. c. 40. prout illud retulit vir quidam primarius quadam epistolâ, quam Bredenbachii verbis hic exscribo. Responsum abs te, soror, ad postremas meas litteras avidè exspectans, prætermittere nō potui, quin te stupendi miraculi, quod Sylvæ-Ducis his diebus contigit in ædibus Dominæ Vliebecensis, quamprimùm certiorem facerem, præsertim cùm id negotii mihi ab aliis demandatum sit. Historia, nec fabula est, nec somnium, sed revera contigit præterlapso die 23. Novembris; quo nimirum frater noster, maritus tuus, eadem formâ, & vestibus, quibus, cùm postremò Sylvæ-Ducis esset, indutus fuit, nigro videlicet pallio, holosericis caligis, aperto capite, junctis manibus apparuit diversis & locis, & temporibus ancillæ illius, cuius supra mentionem fecimus, familiæ; tandem removens pallium, horrendam flammam ignis, & oculis quasi flammam & lumen emittens, ostendit. Quod ancilla videns præ timore in defectum animi incidit. filiæ familias, & earum amita, quæ præsentes aderant, cùm ex famulâ patrem suum esse intelligerent, unicè ab illâ contenderunt, ut hoc timore postposito, eum à Deóne veniret, an aliunde, & an humanâ ope iuvari queat, rogaret. Illa autem præ timore non potuit. Consuluit super hac re D. Helrium, & Ecclesiæ Pastorem. Unus rogandum esse quid peteret, abitrabatur, alii in contrariâ erant opinione, quod somnia, & nugæ putarentur: meâ sententia rogandum erat, ad quid venisset, auxiliumque promittendum, si legitimis modis præstari posset. Nobis de his rebus deliberantibus ecce rursus in formâ, qua prius, scilicet non horrendâ apparuit, dicens, quare non iuvas me? Quid times? nihil tibi mali continget. Illa respondit; non habeo quidquam virium ob summam trepidationem. Hæc feriâ secundâ primâ luce contigerunt. Apparuit deinde ad nonam, & decimam, nihil dicens; verùm graviter suspiria ducens, ac demum horâ eiusdem diei secundâ dixit. Quid? non iuvas me? Illa dixit, parata sum iuvare omnibus modis, quibus per Catholicam Ecclesiam licet. Respondit ille: hoc est quod hactenus exspectavi, & eductam è cubiculo in atrium rogavit, ut Sacra, quæ pro defunctis fieri consueverunt, tria celebrari curaret, atque ut se Dirschotum conferens, istic ad altare S. Crucis semissertium offerret, quod ipse cùm infirmus aliquando promisisset se oblaturum, neglexerat. Consolatus deinde eam petiit, ut omnem timorem abjiceret, quoniam ipse illam comitaretur. Petens præterea, ut filiabus, ac fratribus diceret, ut pro se orare non desisterent. feriâ tertiâ ancilla Dirschotum abiit ad implendum ejus desiderium. Ille verò, uti promiserat, numquam illam reliquit, imò & prævit eam in domum usque ad cubiculum, ac deinde in templum ad altare S. Crucis. Ibi uterque flexis poplitibus oravit. Illa nesciens ubi oblationem suam relinqueret, ducta est ab eo ad gazophylacium, sive receptaculum oblationum, cui eamdem imposuit. feriâ sextâ illa Sylvam-Ducis rediit, nullum cum eo miscens sermonem, quamquam sæpe junctis manibus se ostenderet. Die sabbati manè eam de somno excitavit, præcepitque ut induta vestibus in æde D. Joannis ante V. Sacramentum aliquid offerret; ipse enim hoc aliquando, cùm Sylvæ-Ducis inter cives pacis componendæ gratiâ esset, voverat. Quo peracto rediit circiter medium quartæ ejusdem diei, & excitavit eam, dicens: festina non diu hic ero, moxque præcessit in atrium, in quo summa fuit claritas, & petivit, ut ipsa pro Missis celebratis exolveret in purâ eleëmosynâ. Ad hæc mandavit fratri dici, ut in fide Catholicâ perseveraret constans, qualem eum esse non dubitabat quidem, monere se tamen id imprimis, ajebat, quod vita mortalium variis & rerum vicissitudinibus, & fluctuationibus esset exposita, sicut ipse per experientiam didicisset, dum aliquando de veritate Religionis Catholicæ dubitaret, quod ipsi gravissimæ pœnæ causa, & principium fuerat. Idem & filiabus suis dici curavit, utque amitæ suæ vestigiis semper insisterent, monens insuper, ut sine intermissione pro fidelibus defunctis orarent. Si enim sentiremus, in quibus essent pœnis, quantumque eisdem viventium fidelium preces prosint, nec horam, imò nec momentum quidem, sine memoria eorum viveremus. Subjunxit quoque pœnarum suarum tempus fuisse quinque annorum, sed quatuor annorum, totidemque dierum se per amicorum preces evasisse, jamque in perpetuum esse salvatum; gratias agens soro-

ribus quibusdam Bruxellensibus pro earum precibus ; monebat autem Dominam Ulierdensem, ut testamentum suum incolumis faceret, ne in articulo mortis eo condendo occuparetur, sed soli Deo tum vacare posset. Petivit insuper à fratre, uxori ut nuntiaret ut cùm filiis suis omnem excoleret concordiam, ne & illi aliquando contingat, quod & sibi. Rogatus de statu aliquorum defunctorum, respondit se nihil aperire posse, quia à Deo sibi non esset concessum, hoc tamen ut pro talibus sine intermissione orarent. Demum actis tam ancillæ, quàm omnibus aliis, qui pro se oraverant, gratiis, suam vicissim operam illis promittens, cum magno splendore junctis manibus in cœlum perpetuò beatus ferebatur. Hæc Brendebachius, sanè ad mores Christianorum pietate informandos accommodata.

1038. *Peregrinatio ad S. Levini.* Denique peregrinatio ad S. Levini in Artheſiæ pagum, qui Marqué dicitur, nec longè distat à Renty, celebris est ob suppetias defunctis sæpiùs latas. Porrò dum apparet spiritus, & hancce peregrinationem exigit, illicò properandum est, & Missa in æde S. Levini istic facienda. Et longi tẽporis experientiâ compertum est, quod subjicio. Dum peregrinus ad crucem accedit, quæ quartâ leucæ parte ab æde dissita est, derepente tantopere se premi sentit, ut toto corpore sudorem emittat, cum periculo lapsûs ob debilitatem. Quæ gravitas eò usque persistit, dum munus suum Divo obtulerit. Tum verò alacritas redit, ac facilitas ad sua remeandi. Nonnumquam obtingit, ut ab ipso itineris ac peregrinationis exordio ea gravitas peregrinum, affligat, quò usque ad pagum ipsum provenerit, quo tempore spiritus hominem premere cessat. subinde sudario involutus eunti ad ædem præit, ac genibus flexis sacrificio interest, dum postrema benedictio populo adstanti impertiatur. Ac tum temporis veniam à peregrino pro oppressione illa flagitat, gratiasque agit pro officio charitatis. Quæ omnia jurati plures peregrini post sumptam Synaxim affirmavêre, feruntque hoc eodem officio piis manibus N. Belleri Typographi Audomarensis, ac Bibliopolæ, ante hæc postrema cum Gallis bella præstito, eum omnibus qui in templo illo præsentes aderant, atque orabant, grates rependisse. P. le Clerc, in vita ejusdem sancti.

ARTICULUS V.

De variis precum pro defunctis generibus.

1039. *Orationes Ecclesia.* PRIMAS in iis merentur orationes, quæ ab Ecclesia, atque adeò Spiritu Sancto, cujus afflatu movetur, ac regitur, sunt institutæ. Propterea dum Venerabilis P. Petrus Faber, primus è Sancti Ignatii sociis, vir admodum pius, pro defunctis orabat, quod frequenter faciebat, ejusmodi preces usurpabat. Porrò officium defunctorum, ac septem Psalmi pœnitentiales, nominatimque Psalmus de profundis, longo jam usu ab Ecclesia frequentantur, de quibus pauca pro instituto meo nunc dicenda.

§. 1.

De officio defunctorum.

1040. *Officium defunctorum antiquum.* OFFICIUM defunctorum jam inde ab Apostolorum tempore ab Ecclesia usurpatum esse colligitur ex Dionysio Areopagita de Eccles. Hierar. cap. 7. Ab Origene auctum fuisse testis est Augustinus in Enchiridio. Quis verò author sit illius, prout nunc extat, incertum: Aliqui Augustino, aliqui Amalario tribuunt. Responsoria composuisse traditur Mauritius Episcopus Parisiensis, quem obiisse anno salutis 1196. testis est Alcuinus. Nonnullas orationes addidit Pius V. Nonnullas Clemens VIII. vide de his Gavantum, & alios.

1041. *Officio defunctorum addicti.* Porrò Carthusiani quotidie illud officium pariter concinunt. S. Antoninus, etiam Archiepiscopus, quot diebus idem recitabat. Idem curæ erat Melchiori Mosticensi ordinis Prædicatorum : tametsi acriter, perpetimque quà privatâ, quà publicâ authoritate in hæreticos Poloniæ pugnans miras illi Regno opportunitates afferret. Idem faciebat quidam Laurentius Rattus, musicus Romæ insignis, de quo ita narrat Janus Nicius. Anno Domini 1604. mense Decembri, cùm annos natus 14. etiamtum esset in contubernio Vincentii avunculi, pridie diei natalis Deiparæ Virginis summo mane missus est ad furnarium, ut panes afferret in prandium. Exeunti ab æde sacrâ ejusdem Virginis, quam vocant in montibus, quò orandi causâ intraverat, fit obviam formâ egregiâ iuvenis, qui, *Tibi Laurenti*, inquit, *omissis cæteris*,

„ *cæteris curis properandum est mecum ultra*
„ *pontem Milvium defuncti cuiusdam se-*
„ *peliendi causâ.* At Laurentius modestè ex-
„ cusavit avunculi imperium, à quo mittebatur ad furnum. At Ille non accepit excusationem. *Sed veni*, inquit, *novi enim pietatem tuam, & studium in Beatam Virginem, quæ colitur in monte Carmelo.* Puer audito B. Virginis nomine spopondit illi operam suam: sub hac tamen conditione, si veniam ab avunculo impetrasset, *Nugas agis*, inquit adolescens, *id numquam abeo impetratum referes. Jam tibi, puer*, ait, *morem geram, sed libera mea operaut sit, curriculo domum abibo, ibique tesseram hanc, quam gero, deponam: ut lubet*, inquit, adolescens, *Ego te hic manebo.* It puer, domum venit, vestimenta, quibus tegebatur, exuit, trita atque obsoleta alia induit, cæterarumque rerum oblitus, ac vix sui compos, cum acu, & filo culcitram sumit, seque ad adolescentem celeriter recipit. Eunt igitur taciti unà in viâ, atque semiquadrantis horæ curriculo trium ferè millium iter emensi, arundinetum intrant, milliarii unius intervallo à ponte Milvio disjunctum, ubi mulieres aliquot eximia pulchritudine, & ætate integrâ, ignoti cujusdam cadaver in loculo positum circumstabant, quarum Domina atque magistra videbatur esse una, formâ ita eleganti, ita venustâ, ut nihil supra; quæ libellum officii B. Virginis à puero dari sibi popposcit, acceptumque tradidit adolescenti, qui fuerat dux & comes itineris, eumque recitare jussit illa Jobi capita in officio defunctorum apposita. *Parce mihi domine.* Ac mulieres unà cum puero responsoria singulis capitibus adjecta funebri cantu prosequebantur, quibus expletis, quæ mulier erat cæteris venustior, ut diximus, subsequentibus, & adjuvantibus cæteris, cœpit precationem illam funebrem præcinere. *Subvenite Sancti Dei:* atque eadem opera scrobem effodere, in qua mortuum collocarunt, humoque texerunt. Quo facto mulier ad puerum conversa, Contine te, inquit, in hac tam laudabili consuetudine recitandi mortuorum officium; erit enim, si usus veniat, ut tu eisdem suffragiis adjuveris, quibus iste à nobis sublevatur. His dictis evolarunt omnes ab oculis, nec quisquam visus est amplius, imò ne foveæ quidem, quam foderant, vestigium ullum apparuit. Laurentius alienatâ mente aliquamdiu cum tortuosis arundineti illius semitis, vel potius labyrinthæis flexibus luctatus, demum in viam publicam exiit, & aliquanto post Tiberis ripas, & Milvium pontem agnovit. Sed cùm ex culcitra, quam ad arcendos solis calores attulerat, umbraculum texit, venere illi in mentem omnia quæ ab avunculo in mandatis habuerat, cœpitque se ocyus movere. Ita Nicius Erithræus.

1042. *Alia ejus generis.*

Cæterùm idem subsidii multum piis manibus prodesse confirmavit quidam Monachus S. Osualdi Episcopi Vigornienſis in Anglia discipulus. Is ex ædificii, quod struebatur, culmine delapsus, è vestigio exspiraverat. Quæ res cùm piissimum Magistrum graviter affecisset, etiam commovit, ut aliis Monachis preces pro eo indiceret, maximè quòd vitâ functus parum religiosam duxisset vitam: Ergo noctes aliquas impendere decantando officio demortuorum ad tres lectiones contracto, ad placandam illi Numinis justitiam, nec frustra: nam per unam ex iis noctibus, Episcopo defunctus spectandum se exhibens, ac rogatus quis esset, eum se esse dixit, pro quo preces fundebantur. *At quo locores tuæ*, subjecit Præsul: *Priùs quidem*, inquit, *pessimo; at nunc, Deo laus, optimo, Deus enim vestris precibus flexus ad misericordiam, Angeli Custodis operâ purgantibus flammis me asseruit: Qua de re grates vobis plurimas ago, ac tibi significo huius charitatis, ac aliorum bonorum operum causâ, te Deo esse percarum:* quo dicto ex oculis evanuit. In vita S. Osvaldi.

§. 2.

De psalmis pœnitentialibus.

1043. *Valent ad placandum defunctis Deum.*

Septem sunt satis vulgati, ita dicti à pœnitentia, quam & David per eos demonstravit, & quisque reus iis auditis facilè concipere poterit, eaque conceptâ Numen ad misericordiam inflectere. Quare meritò illos Ecclesia ejusque filii usurpant pro defunctis, quibus utique ejusdem Numinis misericordiam invocant. Quod eò proniùs obtinere poterimus, quò ampliori de nostris eorumque criminibus cum mœrore, ac luctu defunctorum personam susceperimus, & eorumdem nomine pleraque psalmorum carmina, quæ illis accommodari possunt, pronuntiaverimus. Cæterùm inter eos defunctis potissimùm addicitur *Psalmus de profundis*: quia ut Valentiæ, Genebrardo, Bellarmino, Lorino, aliisque placet, ex mente saltem Spiritus Sancti, spectat ad Patres limbo detentos, qui de terrarum profundis erui optabant, atque adeò spectat etiam ad pios manes, vicino, sed haud paulò graviori carcere inclusos, quorum desiderium libertatis longè quoque vehementius est. Audi illud ex

subjectâ paraphrasi ejusdem psalmi. Sic enim Regius Psaltes piorum manium nomine.

1044. *Paraphrasis psalmi de profundis.*

De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Planè de profundis terrarum, & proximè à centro, de imo abjectionis in exilio, ac servitute infaustissimâ, de barathro carceris lustralis, denique de animi penetralibus, jam diu *Clamavi ad te*: quia & calamitas, etsi brevissimi temporis esset, tamen propter acerbitatem, longissimi esse videretur, & insuper revera multò diuturnissima est, & plurium vel mensium, vel annorum. Propterea *clamavi* sæpè sæpiùs, at clamore cordis, non oris, & cùm clamor ille aures tuas divinas jam dudum penetrare potuerit, tamen heu! perinde, ac si non audires, taces, & in tormentis me derelinquis. Quid? quod ne attendere quidem videaris *Te Dominum meum* esse: me autem servum penitus tuum (quasi rem tot nominibus tuam obliviscare) *Te Redemptorem* esse meum, me verò sanguinis tui non pœnitendum pretium (quasi parvi pendas utrumque) Te vitæ meæ naturalis; ac spiritualis *conservatorem*, me autem instar radii semper à te pendentem, semper creatum quasi opus manuum tuarum despicias. Nunc ergo tandem *O Domine exaudi vocem meam*: vocem cordis mei, eò fortiùs clamantis, quò miserabiliùs, quippe ex igneo ergastulo incomparabilis acerbitatis, & etiam pleniùs, quòd per omnes sibi subjectas facultates, tot utique voces infælicitatis & necessitatis meæ.

Fiant igitur aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. Nec tibi sufficiat aure levi preces meas subaudire; non enim id sufficit mihi, quippe cujus miseria aurem attentam, & opem celerem exposcat. Neque verò me quisquam præter te, aut nisi per te audire valet, atque ut valeret, mortales omnes, etiam parentes mei, atque intimi olim amici nimium mundo mundanisque nugis attenti sunt, ut clamorem meum, quantumvis vehementem intelligant. ita derelinquor, ita ne audior quidem, cùm tamen flammæ, quibus peruror, longè altiùs clament, quàm sanguis Abel, imò quàm cæterorum supplicia Martyrum; Tu ergo mi *Domine* audi, & exaudi me. Tu Pater mi, tu per gratiam tuam, fidelissime amice, huc quæso aurem benignam arrige.

Verumtamen *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* Te igitur etiam, atque etiam obtestor, ut dum attentas aures mihi præbebis, à sceleribus meis oculos avertas. Quæso te iterum, ac vehementer, ne judicio, ac summo jure mecum agas, sed ex misericordia, ac liberalitate culpas meas mihi condones. nam si eas æstimare, ac pro meritis castigare velis, infinitis nominibus iniquum me fuisse deprehendes, atque adeò infinitis debitis tibi obstrictum. Et tamen vel unica, vel minima iniquitas tanta est, ut omnem humanam satisfaciendi, aut etiam veniam obtinendi vim longissimo intervallo exsuperet: Tanta inquam est, ut si misericordiam tuam subtraxeris, nemo illius pondere non sit opprimendus. Quis igitur illud sustinebit, si cum stricto judicio iis omnibus urgere constituas?

Sed quid tantopere metuo, ne iniquitatem meam observes; imo observes licet mi Domine: licet te totum, qui totus oculus es, illi considerandæ, & perpendendæ applices. quia *Apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine.* Est, inquam, tibi innata voluntas, facultasque, nomina nostra omnia dissolvendi, & iniquitatem penitus delendi omnem. Quam benignissimâ voluntatè, si sceleribus meis opponas ex adverso, quid est, cur timeam? nam si supplicem, ut mihi adsit, aderit dubio procul, & vel per sese proximè levabit miseriam meam, vel per mortales instinctu tuo impulsos, quà sacrificiis, quà stipe datâ, quà precibus fusis flammas meas temperabit. Cujus miserationis cùm tu, dulcissime Domine, legem tibimet indixeris, nimirum optimè spero de te, & subsidium ejusmodi exspecto. Itaque

Sustinuit anima mea in verbo eius: speravit anima mea in Domino. nempe in *Verbo* primùm Increato fiduciam meam fixi: cujus non alia productio, quàm amoris, ac Spiritus Sancti, qui fons est omnis bonitatis, ac misericordiæ. Deinde in verbo ejusdem, seu promissione, toties in sacris litteris iterata miserendi. Cùm enim nec falli, nec fallere possit, quidni sperem auxilium, quod petenti toties pollicitus fuit ille, qui licet dumtaxat semel quidpiam promisisset, non posset non certò evenire.

Quamobrem spes illa in sinu meo quiescet; illa solabitur afflictum: illa me non deseret. Etenim *A custodia matutina usque ad noctem speravit anima mea in Domino*, sive à primo mane ad extremam usque noctem, sive ad sequentis crepusculi exordium, hærebit cordi meo fixa illa spes, nec interrumpi poterit, nedum infringi. Quia videlicet fixa, & immobilis est causa sperandi, cùm omnium Dominus sit, qui promittit auxilium, cujus potestati nihil potest obstare, nec absolutæ voluntati. Itaque spes illa me continenter pascet, præsertim quòd momentum non abit, quin vel Eccle-

siæ

siæ precibus, vel piorum suffragiis continenter sublevet, & pollicitationis divinæ experiar veritatem. At maximè

Quoniam apud Deum misericordia, & copiosa apud ipsum redemptio. nam qui mundum hunc, imo innumeros simul alios unâ sanguinis Christi guttâ redimere poterat, imo vel unico oculi nictu, alioque opere leviſſimo (quod utique propter hypostasim divinam infiniti pretii sit, necesse est) tamen universas ac singulas vitæ suæ actiones, usque ad totius sanguinis effusionem, ac mortem ipsam eidem redimendo addixit. Adeò uberem sperandi materiam ex immensa sua misericordia mihi exhibuit! Quare non metuendum, ne solis vitæ terminis hæc redemptio contineatur, etiam ad totum orcum redimendum lytri divini immensitas satis esset, si Deo ita placitum fuisset: sed minimè placuit. At eidem Deo laudes, & gratiæ, quod mihi, aliisque Purgatorii inquilinis illius fructum obtingere voluerit, ut citiùs deinceps, ac æternùm, eius misericordiam celebremus, captivi utique amoris, quòd eius lytro ex isto carcere redempti.

Et ipse enim *redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* Tandem etenim aliquando veri Israëlitæ, quotquot hoc ergastulo attinemur. ipsius Christi meritis hinc liberabimur. nemo enim nostrum est, qui non aliquod saltem levamen pœnæ, vel sensûs, vel damni eius miseratione sit percepturus: omnes eiusdem meritis, gratiaque, gloriam cælestem sumus consecuturi; omnes beatissimo illius intuitu ex eius misericordia sumus impertiendi. Interea fiducia hæc propter meum omnium amorem me in his flammis reficiet, & quoties aliquis è nobis ad gloriam hinc emigrabit, toties *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabo in Iesu meo.* Hactenus ex piis manibus quispiam psalmum istum eo sensu intelligere possit, & nos eius nomine recitare.

Cæterùm non paucis familiaris est ea pietas in defunctos, quæ psalmorum id generis recitatione velut pascitur. ferunt S. Bernardum adhuc iuvenem pro matre sua, quot diebus quinque illos solemnes pronuntiasse, cumque semel omisisset, à Præsule suo divinitus edocto admonitum fuisse. Thomas Morus celeberrimus ille Angliæ Cancellarius, & Martyr, etiam quotidie sub mensam omnes simul domesticos psalmum *De profundis* secum pronunciare iubebat, tum ad defunctorum velut pastum, & solatium, tum ad mortis memoriam. Idem factitabat, sed post mensam, aliasque, cùm manus frigidâ perplueret S. Joannes Cornelius, qui in eadem Anglia in odium fidei mortem subiit, scilicet ut quemadmodum ipse aquâ manus, ita prece ista defunctorum purgaret ac refrigeraret animas igne illo ardentes. Bartholomæus quoque Floridæ vallis Conditor semel in singulos dies in gratiam piorum manium recitabat psalmum *Miserere*: & piorum mos est, dum præter cœmeteria, patibulaque commeant, vel psalmum *De profundis*, vel versiculum *Requiem æternam*, vel *Requiescant in pace* piè recitare. Cuius generis id memorabile, quod cùm S. Aubertus Cameracensis Antistes de suo more defunctis in cœmeterio, quod pertransibat, ita voviſſet: *Requiescant in pace*, indubiè in aëre vox audita est respondentium seu manium, seu geniorum, *Amen.* Recentius est, magisque ad propositum facit, quod Joannes Rho noster Exemp. l. 1. c. 4. de Joanne Allarto, Ordinis Minimorum, commemorat. Hic enim quâ diei horâ sodalibus inter se colloqui religiosè fas est, ipse defunctorum animorum miseratione instinctus, interea claustra circumire instituerat, singulisque insistens solemne funeris Christiani carmen, quod ab illis vocibus orsus est David *De profundis* piè concinere, tum lustralem aquam, leviorem ignem illis apprecans injicere, ad extremum, ubi privatæ in unumquemque charitatis officiis perfunctus erat, sæpe quantâ maximâ poterat pietate concinebat hos psalmos, quos à pœnitentia vocamus, pro universorum liberatione. hæc quies erat jucundiſſima; nam tum maximè charitas acquiescere videtur, cùm suis erepta laboribus quies miseris datur. Ita ipse.

ARTICULUS VI.

Miscellanea pietatis in defunctos exempla.

1045. *Edendi libri de defunctis.*

MAXIME conducit ad defunctorum levamen libros ea super materia edere. Quod iam olim fecit Augustinus, aliique deinceps, sed pauciſſimi. Quos inter meritò Princeps censendus es, inclyte Martyr, Thoma More, sive ob Martyrii lauream non vulgarem, quando clariſſimum illud Angliæ caput ferro subieciſti, quod profanum Regem Ecclesiæ perfugâ, & libidinis mancipium Sanctæ Ecclesiæ caput agnoscere renueres, sive ob apicem dignitatis tuæ in Anglia secundùm Regem primæ, sive ob ingenii decus eximium, sive ob libri occasionem, & argumentum, de

„ quo sic Stapletonus. Cùm hæreticus quidam librum edidisset, cui titulum fecerat „ Pauperum libellus supplex, quo id agebat, „ ut Regi persuaderet unicum & præstantissimum ad pauperes sublevandos remedium, ut monasteriorum, & Ecclesiasticorum bonorum ex quatuor partibus, ut minimum tres fisco addiceret, sequenti proximè anno, contra hunc libellum non supplicem, sed infamem, justam responsionem „ scripsit Morus, cui titulum dedit. *Animarum in Purgatorio libellus supplex.* Quo in „ libro sub persona animarum in Purgatorio „ existentium, ad quarum pœnas piis suffragiis ac sacrificiis sublevandas Ecclesiastici, „ & Monastici reditus magnâ ex parte collati „ sunt, eleganter & eruditè docet: tum fidem & doctrinam Ecclesiæ de orando pro „ defunctis, de Purgatorio, de vi suffragiorum solidam & Orthodoxam esse, tum „ etiam monasteriis sublatis, & Ecclesiæ bonis imminutis Regis potentiam minuendam, ac pauperum numerum augendum. „ Quod & postea experientia rerum magistra clarè docuit. Hactenus Stapletonus in Mori vita. Et postremum illud verissimè; nam direptis impietate sacrilega omnibus Ecclesiæ bonis, ipse Henricus longè quàm antea egentior evasit. Secundum illum laudandus est Dionysius Rickelius, vulgò Carthusianus, vir de Ecclesia optimè quà scriptis, quà piis exemplis meritus. Tum commendandus est ingens R. P. Eliæ à S. Teresia Carmelitani labor, studiumque non uno tomo animarum causam agendi. Terendi propter maximam utilitatem libellus R. P. Joannis de Roas, sanè ad persuasionem peridoneus; Libellus R. P. Marci Bonniers è Soc. Jesu ad eamdem aptissimus. Item libellus R. P. Judoci Andries ex eadem Societate solidus, pius, & elegans; præterea R. P. Laurentii Chiffletii egregius libellus ejusdem argumenti legendus, perlegendus, expendendus. R. P. Jacobi Monfordi liber de misericordia defunctis exhibenda. Denique tomus duplex R. P. Dionysii Auger ex eadem societate Gallicè inscriptus, Caritas in vita functos, ætate quidem postremus, sed dignitate primus rem omnem defunctorum doctè, eleganter, ac piè peragit: adeoque lectu est dignissimus: & si qui alii, qui certè sunt, ut dixi, pro rei necessitate pauciss mi: adeò ut nullũ religionis Christianæ caput minus, quàm hoc de auxilio piorum manium tractatum sit. Cùm tamen plurimi Patres, ac Concionatores in commendandâ pauperum hujus vitæ miseriâ frequenter versentur.

1646. *Scribenda* Libros sequantur epistolæ animarum nomine, vel alio compositæ ad ciendam mortalium miserationem. Quales ego non semel edidi: ac postremum per omnes ferè provincias Europæ, & utriusque Indiæ ad R. P. Soc. Jesu Præpositos Provinciales missi per sua Cellegia dispertiendas, ac publicis locis affigendas: estque in hæc verba perscripta. *Epistola.*

Siste hic ô homo,
Quisquis humani aliquid habes.

En imago hæc Patris tui, Matrisúe, aliorumque, seu parentum, seu natorum, seu amicorum pios manes refert. Dum, hîc stas, ita uruntur. O si videre illos, vel audire liceret! Quod licet, has ad te ab iis datas non sine miseratione perlege: quando cor vel glaciatum in lacrymas solvere deberet memoria ardentis illius custodiæ Purgatorii.

Heu! nos miseros!

Acerbissimi corporum morbi, molestissimæ animorum ægritudines, atrocissima latronum supplicia, exquisitissima Martyrum tormenta, non nisi nostrorum sunt umbra tormentorum

Et tamen dolori par est illius mora: neque ulla tam levis est noxa, cui luendæ spatium non detur, & voluptatis, heu! momentum igne lento, sed violento plectitur.

Quid de noxâ lethiferâ reris? vel unica, & condonata, graviori supplicio digna est, quàm veniales innumeræ. Quid multa? Centum, ducenti, quingenti, mille, & amplius anni cruciatuum, minor nonnullorum culpis mensura est. I nunc & crimina criminibus aude cumulare.

Ah! Insane!

Ah! potiùs alienis malis sapere incipe. Sic enim, sic brevis, ac vesanæ vitæ vana diu pendimus gaudia. Sic pœnas damus pro noxis unà tecum admissis. An verò tu solus culpæ reus exors eris pœnæ?

Quin etiam illa crimina majorem in modum nos cruciant, quæ tuo impulsu, tuâ causâ, ac commodo commisimus; & heu! quàm nunc amarum est perperam tibi placuisse!

Tu ergo saltem mi fili, tu filia carissima, tu frater, soror, amice familiarissime, miserere

rere noſtri; & quà precibus, quà piis operibus noſtros cruciatus leva. Saltem, ah! ſaltem dato noſtrâ causâ pauperi panis fruſtillo hæreditatem tibi à nobis relictam remunerare.

At ſacrificiis præſertim, vel audiendis, vel procurandis nos adjuva. Sanguis Chriſti litatus iram Numinis, ignemque luſtralem facilè extinguit. His junge ſacras Synaxes, maximè Generales, quas prærogativa indulgentiæ plenæ, defunctis deſtinabilis, velut coronat. O! ſi cæteras omnes tuas ſatisfactiones adjungas, quàm abundè Deo, nobisque facies ſatis, quippe hoc Chriſtianæ caritatis faſtigium eſt.

E heu! viſcera tibi commoveret vivi, & ardentis canis conſpectus (& tamen ignis ille veſter noſtri pictura eſt) nec niſi crudelis animus extremâ fame laborantem inimicum, aut furcæ reum, ſi facilè eximere poſſet, ope deſtitueret: & tu parentes, amicosque tuos igne luſtrali peruri ſiccus & immotus ferre poſſis?

Ut tamen poſſis, ah! noli: maximè quòd hæc caritas ingentem gratiæ gloriæque acceſſionem pariet (cujus minima pars cunctis purgantis rogi tormentis emenda foret) hæc ſalutis facile ac ſecurum iter, hæc veniam expiatricis pœnæ, denique ſi expedit, etiam terrenas opes eadem omnium potens caritas præſtabit.

Ergo per ſacrum Sanguinem Chriſti, cui noſtrum ſolatium pro ſuo eſt, per tuum ſalutis ac gloriæ tuæ ſtudium, per caritatis Chriſtianæ officium, per illum tuum in nos mortales amorem, extingue flammas noſtras, aut mitiga.

Eia, ſi placet, repræſenta his temporibus noſtros inſignes, Mæcenates, voluntariis pœnis S. Dominicum, S. Chriſtinam mirabilem. Communicatâ nobis Indulgentiâ Communionis Generalis, ingentem numerum piorum per totum orbem Chriſtianorum. Faciendo Miſſam S. Bernardum, S. Malachiam Iberniæ Epiſcopum. Procurando ſacrificia, S. Birgittam. V. Franciſcum à Puero Jesu Carmelitam. Audiendo Miſſam, V. Mariam de Raggi, S. Melchtildem. Officium defunctorũ recitando, S. Brunonem, S. Odilonem Abbatem. Recitando Pſalmum deprofundis, V. Thomam Morum Angliæ Cancellarium, itemque Joannem Cornelium eadem in Anglia pariter fidei causâ confectum. Jejuniis, S. Liduinam, S. Lutgardem. Eleëmoſynis, B. Franciſcum Borgiam, S. Eliſabeth Reginam. Tranſcriptis in pios manes omnibus tuis ſatisfactionibus, S. Gertrudem. S. Thereſiam, S. Liduinam; & plurimos optimæ notæ Chriſtianos hujus temporis.

II. Affine priori eſt orationem habere ad populum de pœnis Purgatorii, deque juvandis animis in eo cruciatis: quod Societatis Jesu jam inſtitutum eſt per ſingulos menſes ipſa die Communionis Generalis, vel etiam Dominicâ ipſam præcedente, obſervandum. ita ſaltem ut ex materiâ concionis per quamdam digreſſionem ad pios manes deducatur oratio, deque illis ſublevandis tandem concludatur. Quod ſi qui non faciunt, videant quantum detrimenti pariant toti Purgatorio: quantoúe cum mœrore juſtiſſimas animarum de ſe querimonias, dum ipſimet in eo verſabuntur, ſint excepturi. Certè ſanctæ memoriæ Pater Franciſcus Maſtrilli, ille generoſiſſimus Japoniæ Martyr, in ſua ad Indias navigatione & Communionem Generalem ſingulis menſibus magno ſtudio, magno fructu inſtituit, & ſingulis noctibus exemplum aliquod animarum culpas ſuas in luſtrali carcere expiantium publicè enarravit, cùm ad earum commiſerationem, tum ad peccati horrorem excitandum. 1047. *De illis concionandum.*

III. Perutile quoque fuerit, & animabus ſaluberrimum, qualibet ineunte & exeunte horâ ad omnium ſolamen hunc unius è Societate Jesu ſanctum morem imitari. Conſueverat horæ exordio, ad nolæ illam indicantis pulſum, ſingula ſacrificia per univerſum orbem iſtius horæ curriculo facienda pro univerſis luſtralis ergaſtuli captivis hoc carmine Deo conſecrare. 1048. *Quid ſingulis horis agendum.*

Dum fluet hora, tuus queiſcumque litabitur aris,
Chriſte, cruor, quæſo, purgantes mitiget ignes.

In exitu autem horæ, ratus, quod res eſt, ſemper aliquas libertate donari, ita eas affabatur:

Ite ſorores — *Spero, micabit*
Scandite cœlum, — *Sidere fauſto*
Et nomine noſtro — *Lux ea quondam,*
Nobile Chriſto — *Cùm prece veſtrâ*
Pangite carmen. — *Nos quoque vobis*
Ite perennes — *Numinis almi*
Solvite grates, — *Laudibus aptos*
Reddite amorem. — *Junget Olympus.*

IV. *Conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis,* quod olim Sulmonenſis Vates cecinit; Id quod in Chriſtophoro Refrigerio quotidianis experimentis nomen, & cognomen evincit, magno animorum cruciatorum bono. Huic nullam diem abiiſſe ferunt, qua in cœmeterium ingreſſus, ibi attentiſſimè pro eorum animorum æternâ quiete non precaretur. Imò ſi quando ad S. Silveſtri in Quirinali ædes adibat Pontifex, ſtatim aderat Refrigerius, pedibusque advolutus, 1049. *Adeundum cœmeterium.*

volutus, grata summis Principibus suavitate indulgentias ab eo auferebat, utillis verò ipse esset refrigerationi. Ita Joannes Rho, eodem l. 1. 4. c.

1050. *Pulsanda campana.*

V. Et Mariæ Longæ, Matronæ Hispanæ cognomen conveniebat. Huic enim manus longissimæ, quippe quæ ipso propè telluris centro extractas animas cœlo inferre posset. Huic opportunum visum est, si sub primam noctem pulsatâ nolâ omnes certis precibus pro illorum liberatione supplicare juberentur. Manavit paulatim rei fama, & passim usurpari cœpta est eadem precatio, ut jam nullus sit Christiani orbis angulus, in quo mos iste præclarus non vigeat, idque primis maximè tenebris fieri placuit, ne illi se in umbrâ mortis consepultos esse justissimè conquerantur. Idem ibidem.

1051. *Sub noctem commonendi fideles.*

VI. Tu verò, Maxime Xaveri, quasi parum in te opis esset ad eas flammas extinguendas, Malacæ, nolæ, quam per intervalla pulsabas sonitu, ac solemni carmine, quod voce ad pietatem composita emodulabaris, primâ noctis vigiliâ vicos circumiens oblitos officii & charitatis excitabas. Quod S. Patris exemplum, quoad licuit, sequuti sunt filii. Quos inter Franciscus Almericus inter cæteros, quos in Phillippinis Insulis instituit ritus Christianæ pietatis, curavit ut vir Christianus ex probissimis noctu plateas pariter circũiens mortales ejusdem officii, & precum pro mortuis, ac purgandis animis fundendarum commonefaceret; qui mos in Belgio hodieque viget.

1052. *Pauperes sacerdotes alendi.*

VII. Præclarum quoque institutum fuit alterius viri religiosi in defunctos perbenevoli. Andreas Simonis Societatis Jesu Laicus, cùm propriis erga pios manes officiis sibi non satisfaceret, quamquam dives alioqui bonorum operum omnia in illos conferret, plusculos Sacerdotes pauperes alebat, quorum sacrificiis plures adjuvaret, Idut conficere posset, emendicare non dubitabat. Cùm enim Romæ in Domo probationis ad D. Andreæ janitorem ageret, flosculos diligentissimè educabat, quos elegantèr evinctos in fasciculos adeuntibus offerebat, ut ab iis stipem Sacerdotibus alendis auferret, nec incunctanter dabant, conscii operis ac pietatis. Idem ibidem.

ARTICULUS VII.

An confessarius reo confesso imponere possit psalmos pœnitentiales, aut quid simile in gratiam defunctorum suscipiendum?

1053. *Potest imponi pœnitentia pro defunctis.*

AIens sententia omnino, & sine dubitatione tenenda est. hanc enim tenet Cardinalis de Lugo de Pœnit. disp. 29. n. 82. ubi inter cætera sic habet. *Negari non potest, quin hoc sit magis iuxta sensum fidelium, & praxim Confessariorum, quæ non est facilè damnanda.* Tenent & Turrianus, & Amicus, & Pellizarius, & Castropalao, & Dicastillus, qui testatur sententiam contrariam jam inde à quadraginta, & amplius annis Compluti, ubi tunc Theologiæ operam navabat, non sine risu à viris doctis excipi solitam, nimirùm ut parum rationi consentaneam. Ipse autem docet non licitè tantùm, sed & prudentissimè, & sanctissimè talem pœnitentiam posse imponi. Enimverò constat Confessarium prudenter, ac sanctè in pœnam imponere posse reo stipẽ corporalem largiendã pauperi, ergo & spiritualem, seu preces pauperibus defunctis largiendas: par enim utriusque est ratio.

1054. *Solvitur objectio.*

Objiciet aliquis pœnitentiam sacramentalem partem esse Sacramenti. Sacramenti autem fructum ex Christi institutione ad eum solum pertinere posse, qui illud percipit. Igitur perperam dici posse aliis, vel vivis, vel defunctis communicari fructum pœnitentiæ Sacramentalis, & malè præcipi, ut defunctis donetur. At distinguitur hoc utrumque consequens; conceditur enim fructum ex opere operato respondentem pœnitentiæ Sacramentali non posse aliis donari; negatur autem eum, qui ex opere operantis manat, alteri impertiri non posse. Porrò fructus hic posterior orationis aut jejunii jubetur à Confessario defunctis impertiri, atque adeò rationem habet eleemosynæ spiritualis. Confirmatur hæc responsio, quia si Pontifex indulgentiam concedat ei, qui pro defunctis precetur, precatio illa ex opere quidem operato valet precanti ad indulgentiæ consecutionem, tamen ex opere operantis valet, & applicatur defuncto. Et quod magis facit ad propositum, dum quis in gratiam alterius, puta defunctorum, sacræ mensæ accumbit,

cumbit, Communio ex opere operato, & quà sacramentum est, prodest soli communicanti, ex opere autem operantis prodest defunctis. Pariter ergo prodesse potest ex opere operantis defunctis jejunium, aut quodvis aliud opus bonum, quod in pœnam criminum facis ex mandato Confessarii, & interim tibi etiam valere ex opere operato, & quà pars est Sacramenti. Quid? Quod Amicus autumet etiam ex opere operato prodesse defunctis.

1055. *Est utilius animæ confitentis.*

Quin etiam addo, cùm aliàs dixerimus ex Angelico Doctore opus pro altero factum cæteris paribus præstare operi facto pro teipso, & cùm Sacramentum operetur plus, minusúe pro majori, aut minori illius, qui illud suscipit, dispositione ad amplioré fructum ex opere operato, saltem expedire ut confessarius in culparum pœnam aliquas preces tibi pro defunctis fundendas imponat, præter eas quas pro te fundendas imposuit. Et ita plurimi viri probi atque eruditi confessis pœnas injungunt in gratiam defunctorum subeundas. Ita inter alios vir sanctus Thomas à Soto, qui & ante, & post Societatem initam, mirâ misericordiæ, cæterarumque virtutum laude claruit, rem confitentium, defunctorumque agebat, & eum imitabuntur, quicumque benè volent utrisque. Quæ sequuntur de perpetua precatione, prout jacent, edidit, mihique huc inferenda transmisit vir sanctus, & egregius piorum manium Mecænas, Judocus Andries, è Soc. Jesu mihi indigno conjunctissimus.

ARTICULUS VIII.

Fraternitas misericordiæ, sive perpetua precatio

1056. *Confraternitas pro defunctis.*

AD HONOREM
PERPETUÆ PASSIONIS,
AC CRUCIS CHRISTI JESU:
PRO ANIMABUS PURGATORII PERPETUE,
id est,
DIE NOCTÚQUE PATIENTIBUS.

Tu quoque in sanguine testamenti emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.

Zachar. 9. v. 11.

Sancta, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut à peccatis solvantur

2. *Mach.* 12. v. 43.

§. 1.

Cur ad honorem præfatæ passionis perpetua instituatur oratio.

RESPONSIO PRIMA.

Ob multiplicem conveniëntiam, quæ est inter Christum, animasque patientes

I. CHRISTUS à primo momento, quo Missus fuit à Patre in hujus orbis exilium, nocte dieque est passus, donec supremum spiritum in manus Patris emisit. Similiter Animæ à primo instanti sui tristis exilii, quo cœlo exclusæ sunt, continenter uruntur, donec tandem manu divinâ, vel Angelicâ educantur.

II. Christi dolor, atque supplicium universa mundi tormenta superavit, ejusmodi est etiam afflictio Animarum.

III. Cruciatus Christi per multos annos duravit, nimirum per triginta tres. Plurimarum animarum longè pluribus annis perseverat incendium.

IV. Interna Crux Christi, eaque perpetua paucis cognita fuit, atque à paucioribus cum luctu memorata; par ratio manium, quorum pœna nulli satis explorata, paucorum auxilio sublevatur.

V. Nemo unus tam invictâ animi æquitate, tantaque mentis submissione ac resignatione suos immensos dolores toleravit, ac Christus: eoque nomine nullus majori commiseratione dignus extitit. Pariter nemo mortalium adeò submissâ patientiâ, ac subjectione suffert sua tormenta, atque defunctorum animæ suos patiuntur ardores, atque ea propter promptiore subsidio dignæ sunt.

VI. Christus cùm esset natura filius Dei, ac paterni hæres imperii, merebatur, ut omnes sui dolores quantumvis minimi, maximi æstimarentur à nobis, teneramque in nobis miserationem cierent: ita manes divinâ gratiâ filii Dei nominantur, ac sunt; Item hæredes Dei, ac cohæredes Christi, ideoque potissimè eorum nos oporteret angores curæ ac cordi habere, & quâ possemus arte ac solatio mitigare.

RESPONSIO SECUNDA

Ob potens præsidium, fiduciámque impetrandi quod desideramus.

I. QUOD si nihil omninò potentius concipi solet, quàm obtestari Christum per crucem in qua tribus suspensus est horis, quid tandem erit illum obsecrare per illam, in qua per omnem vitam pependit?

II. Adde novum genus precationis hoc esse, nempe Christum urgere per admirandum mysterium tam paucis cognitum, quàm dignum ab omnibus agnosci, ac coli. Ingeniosus hic amor, ac nova pietas præ reliquis merebitur exaudiri.

III. Quia & sic grati erimus infinito beneficio perpetuæ Crucis, in qua Christus nimium fuit expertus, quid sit diu, graviterque in anima cruciari: etiam idcirco in clementiam pronior futurus est.

IV. Christus in Cruce mortuus illico descendit ad inferos, primam omnino misericordiam, ac sui sanguinis fructum exhibiturus illis, qui vincti tenebantur in Lacu, in quo non est aqua. Zach. 9. Imitamur illud primum ac nobilissimum misericordiæ genus, eamque ob causam impetratio facilior erit.

§. 2.

Institutio, modúsque perpetuæ precationis.

I. CUI non promptum ac facile fuerit saltem duas dimidias horas per annum seligere, una statuatur, meridiem inter ac mediam noctem in venerationem Christi, qui intra tempus illud à cruce descendit ad inferos, ut inde educeret vinctos. Altera media hora seligatur intra noctem, atque meridiem, intra quod tempus Christus vinctos eosdem lætissimæ suæ Resurrectionis comites assumpsit.

II. Præfatæ mediæ horæ hac ratione possunt impendi in emolumentum animarum, excitato imprimis dolore de omnibus peccatis, apertis, & occultis, ob offensam Dei super omnia dilecti, cum proposito se emendandi, ac suo tempore confitendi. Recitari possunt triginta tres orationes Dominicæ, ad honorem Christi, qui triginta tribus annis pro nobis, omnibusque defunctis, in anima suâ dolores perpetuo toleravit

I, Si aliter videatur, Rosarium dicatur de quinque mysteriis, ut vocant dolorosis, videlicet horti, flagellationis, Coronationis, bajulationis Crucis, Crucifixionis prout est notum omnibus, qui solent usurpare Rosaria S. Dominici.

Loco dictorum aliis placeat legere septem psalmos pœnitentiales, vel alias preces, vel officium Canonicum, vel exercere aliud quodvis pium opus à se sponte suscipiendum, vel ab obedientia quacumque impositum. IV.

Vehementer autem optandum est, ut non modò ista media hora, sed totus semel dies offeratur in solatium ardentium Animarum. V.

§ 3.

Quædam aliæ animadversiones, & varia methodus perpetuæ precationis.

PRIMA: Reipsa conari efficere, ut tot personæ inveniantur, ac talibus mensibus, ac horis constituantur, quotquot requiruntur ad efficiendam, atque explendam orationem perpetuam nocte, ac die. Illud infiniti moliminis est, prout adnisi sunt indefesso studio, ac stupenda diligentia, in praxim redigere R.R. P.P. Dominicani in perenni Rosario Sanctissimæ Virginis.

Secunda: Æquivalenter procurare, ut in opitulationem Defunctorum tanto tempore oretur, aut pium aliquod fiat opus, quot sunt horæ in anno, atque adeo reperiantur totidem personæ, quot præfatæ horæ sunt: quæ personæ per totam vitam suam, illam horam à se electam servent, vel certè aliam, quia sic idem fructus in defunctos redundat. Ita æquivalenter pauperi faceret satis, si quis illi in singulas horas unum assem pollicitus fuisset, atque quotidie horâ septimâ, vel quâvis aliâ numeraret dimidium pataconem, vel etiam totam summam daret simul, ac semel, &c.

Tertia: Perpetua foret oratio, aut assidua piarum actionum applicatio, atque adeò perennis in manes misericordia, si quâ in familiâ duodecim conspirarent, & quisque quotidie duas horas bonorum operum in animas transcriberet. Item si duo sociarentur, & ex condicto quisque eorum duodecim dici horas in opem animarum transfunderet. Quidni moraliter loquendo unus aliquis solus perpetuam dici possit suppeditare eleemosynam, si omnia sua donet animabus?

§. 4. Bru-

§ 4.

Bruxellis instituta perpetua pro animabus oratio

ANNO Domini 1654. Pastor Parochiæ S. Nicolai indixit, & impresso programmate publicavit ejusmodi precationem perpetuam: & ad eamdem omne genus hominum invitavit. Archiepiscopus Mechlinienſis non tantùm eam pietatem approbavit, sed insuper Indulgentiam 40. dierum impertivit, tam eo die, quo quis inscribitur, quàm eo, quo orat, eligendo tempore ad cujusque arbitrium, & singulis diebus Lunæ in æde S. Nicolai ad aram expiatricem, sive privilegiatam adest scriba, qui nomen ac tempus annotat eorum, qui sunt oraturi, datque gratis impressam scedulam, in qua per compendium res supradicta continetur, in qua etiam relictum est spatium, ubi quisque tempus potest adscribere, quo cupit orare, ac penes se servat. Sereniſſimus Leopoldus cum duodecim suis Ephœbis inscribi se jussit, ac totum nostrum Gymnasium cum aliis pluribus millibus.

ARTICULUS IX.

De sodalitatibus in subsidium defunctorum erectis.

1057. *Sodalitates in gratiam defunctorum.*

EARUM usum comperio ab anno partæ salutis nongentesimo octogesimo quarto. Sic enim Baronius ad illum annum. *Hoc eodem anno*, inquit, *Romæ contractum est Sodalitium plurimorum Sacerdotum, inter quos & Episcopi nonnulli sunt adscripti, ad hoc ut post obitum singuli consodalium sacrificiis iuvarentur, cuius instituti adhuc extat in Diaconia SS. Martyrum Cosmæ & Damiani eiusmodi monumentum in tabula marmorea incisum.*

Constat nimirùm, Dilectissimi fratres, de promissione, quam corde fecimus coram Deo, & Sanctis eius, ut unusquisque nostrum fratres Sacerdotes, & Episcopi, & posteri nostri Sacerdotes in perpetuum, qualiscumque ex hac luce migraverit, XL. Missas pro eius anima per unumquemque Sacerdotum, qui superstites sunt, canere promisimus. Si tamen infirmitate fuerit occupatus, non reputetur ei in peccatum, & si receptus fuerit in pristinam sanitatem, hoc omne, quod supra dictum est, adimpleat. Qui verò custos, & observator fuerit, habeat benedictionem Dei Patris Omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti, & cæleste regnum possideat cum omnibus Sanctis, & qui hoc non observaverit, sit anathematis vinculo innodatus, & à regno Dei separatus.

Ista verò promissio facta fuit ante sacrosanctum Dominicum altare huius aulæ, tempore Dom. Joannis XIIII. Papæ mense Februarii die 22. Anno Dominicæ Incarnationis D. CCCCLXXXIIII. Bened. Sacr. exarat. orat. pro me peccat. hæc ibi; sed mendosè nonnihil: ità Baronius.

Sed ea Sodalitas non omnium promiscuè; at Sacerdotũ dumtaxat, atque Præsulum fuit. Postmodum erecta est in urbe longè alia celebrior, anno scilicet milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo, in parochiali Eccleſia S. Blaſii via Julia. Eſt autem Laicorum Sodalium; ac ſodalitium *ſuffragii* dicitur, quoniam unicus illius finis eſt, ſuffragiis ac piis operibus piis manibus impendendis incumbere. De illo ſic Amidenus de pietate Rom. P. 2. c. 8. *Aluntur in prædicta Eccleſia ſeptem Sacerdotes, qui quotidie pro animabus fidelium in charitate Deo coniunctorum, & in Purgatorio pro contractæ labis expiatione retentorum offerunt ſacrum Miſſæ ſacrificium. Ipſi ſodales Laici ſingulis feſtis diebus recitant præfatum pſalterium pro mortuis. Per integram commemorationis defunctorum octavam quotidie ſolemnes agunt ſupplicationes ab eorum Oratorio ad Baſilicã S. Gregorii, & alias præcipuas urbis Eccleſias. Sæpius in anno reiterant quadraginta horarum preces, nec quidquam omittunt, quod expiandis animabus iuxta præſcriptum Eccleſiæ ſuffragetur.* Hæc Amidenus. 1058. *Archiconfraternitas defunctorum.*

Porrò hæc ad S. Blaſii Romæ Sodalitas, quam Archiconfraternitatem vocant, Diplomate Clementis VIII. Pontificis Maximi corfirmata eſt, ac prærogativis, indulgentiiſque ornata. Habet quoque ex eodem Diplomate facultatem annectendi ſibi alias Sodalitates, cum iiſque favores ſibi impertitos communicandi. Et revera Antuerpienſem pro defunctis Sodalitatem, aliaſque ſibi annexuit, de quibus longum eſſet, nec ſatis utile dicere; tantùm hîc profero quoddam indulgentiarum illi conceſſarum compendium. Primò itaque nomen in ea primùm dantibus (modò ſacris epulis paſti fuerint) & ægris eorum ſodalibus in mortis articulo nomen Jesu corde ſaltem invocantibus, & eorumdem Oratorium feſtâ SS. omnium luce, & per illius octavam, item feſto Natalis Mariani die pro ſalute Summi Pontificis, ac Principum Catholicorum pace, & pro piorum manium libe- 1059. *Hujus, & aliarum indulgentiæ.*

ratione adeuntibus, ac in eo precantibus plena conceditur indulgentia. Septem item annorum, & septem quadragenarum iis, qui pariter sacro Christi corpore refecti frequentabunt orationem quadraginta horarum in dictâ Confraternitate habendam, & qui ibidem psalmum Miserere, aut De profundis, & si rudes fuerint, Rosarium pro defunctis recitaverint. Item qui feriâ secundâ cujusque mensis psalmo supradicto addiderint orationem *Absolve*, &c. Præterea conceditur centum dierum Indulgentia oratorium adeuntibus, dum officium Defunctorum illic concinitur. Iis item, qui funera fratrum comitantes, psalmum De profundis, aut Rosarium recitabunt. Adhæc, qui easdem preces pro moribundis pronuntiabunt, qui V. Sacramentum dum ad ægros defertur, stipabunt. Qui diebus Lunæ, ac Veneris cujusvis hebdomadæ eumdem psalmum pro piis manibus perlegent, & qui Missam fieri pro iisdem curabunt.

ARTICULVS X.

Elogium sodalium defunctorum.

1060. *Nomen sodalis.*

QUID plura? alia enim sunt, quæ pios sodales ad id officii in defunctos invitare possunt, ac debent. Nam quæcumque hoc toto tractatu dicta sunt, eò spectant, ut eos ad illud illiciant, vel eorum decus ac prærogativam demonstrent. Deinde nonnulla iis propria. Primùm nomen illud, *Sodales defunctorum*, inclytum est. Cùm enim sodalis dicatur, quasi *simul edalis*, quod cùm illis simul edat, denotat illorum benignitatem, Jobi beneficentiæ similem: quippe dicentis, *Si comedi buccellam meam solus, & non comedit peregrinus ex eâ*, tum quia fructum sacræ Synaxeos, quam ex legum suarum præscripto obeunt, cum piis manibus volunt esse communem, tum quia cibum pauperibus in gratiam eorum porrigunt, tum quia piorum operum satisfactione velut escâ illis porrectâ, eosdem alunt, spe videlicet brevi cœlum ingrediendi, aptantque ad vitam cælestem & æternam. Deinde sodalis nomen humanitatem amicitiamque sonat. Est autem humanitatis plenum his miseris benè affici, quos toto vitæ ac viæ statu dissitos, atque à mortalibus remotos, multi vel nominare, vel cogitare verentur. Et est eximiæ dignitatis cum iisdem amicitiâ esse conjunctos, qui in gratia confirmati non tam cœli candidati, quàm certi hæredes sunt; perinde atque amicitia cum hærede Regni, atque, ut vocant, cum Delphino regni Galliarum, aut alterius hæreditarii amicitiæ cum Rege suppar est, ac proinde non vulgaris dignitatis ac gloriæ.

1061. *Nomen Confratris.*

Sed longè nobilior est, licet barbara, confratris Defunctorum appellatio Nam Confrater fratrem aliis fratribus aggregatum significat, idquè ex hominum instituto, ad opera quædam pietatis: atque adeò Spiritum Sanctum illorum Patrem esse denotat, quippe cujus operâ in fratres hujusmodi coeant, & conjungantur. Multò autem suavissimum ac præstantissimum est fratrem vocari defunctorum. Nam si frater dicitur quasi ferè alter, ii certè sunt ferè alteri defuncti, scilicet amore, & commiseratione. Deinde eodem pacto Patris misericordiarum, ac Matris misericordiæ filii sunt, cùm singulari ratione, & ille Pater sit piorum manium, & hæc mater. Quod si Paulus gratulabundus Christianos sic affatur. *Jam non estis hospites, & advenæ, sed estis cives sanctorum, ac domestici Dei:* quantò dulcius ac præstantius esse Sanctorum fratres, ac Dei filios. *Et si frater qui adiuvatur à fratre, quasi Civitas firma sit*, testimonio Sapientis; defunctus quidem frater, qui adjuvatur, nonne quasi civitas firma erit, ut adjuvantem, ejusque amicos mente sua receptos precibus velut obvallet, ac tueatur; nonne & ipse mortalis à defuncto adjutus instar firmæ Civitatis adversus tartareos atque intestinos hostes perstabit securus?

1062. *Comparantur cum primis Diaconis.*

Porrò si nominis vestri notatio tantum indicat decus, munus ipsum non minus vobis pariat, oportet. Nam, meo quidem judicio similes estis septem illis Diaconis, quos non diu post Christi Ascensionem elegerunt Apostoli. Primùm enim ut illi nutu ac consilio Deiparæ sunt electi, ut testis est Lucius Dexter in Chronico, ita vos eiusdem instinctu, quippe Matris misericordiæ, atque adeò & miserrimorum Defunctorum Sodalitio nomen dedistis. Deinde ut illi à S. Petro, aliisque Apostolis destinati, atque ordinati sunt, ita vestrum Sodalitium à Petri Successore Summo Pontifice, Clemente VIII. admissum, ac confirmatum fuit, vosque ad munus vestrum velut ordinati. Præterea ut illi erant *Viri boni testimonii*, sive ut Tigurina versio, *Spectatæ probitatis, pleni* item *Spiritu Sancto, ac sapientiâ*: ita vos non nisi bonæ famæ, piosque homines, & Spiritus Sancti afflatu impulsos, & sapientiæ, quæ res humanas cælestibus, perituras q; æternis postponit, cõsultos, in cœtum vestrũ admittitis.

Adhæc

1063. *Munera Diaconarum.*

Adhæc ut Diaconorum munus erat ministrare mensis pauperum, pupillorum, ac viduarum, eaque, quæ ad cibum, potumque pertinebant, iis inferre, ita vestrum est pauperum, pupillorum, ac viduarum Purgatorii mensas curare, id est vel cibo Eucharistico, sacrificiisque eos pascere, vel precum vestrarum, aliarumque fructu curare pascendos. Atque ut munus illud etiam porrigebat se ad colligendam distribuendamque illis eleëmosynam (qui mos in Ecclesia etiam diu post viguit, ut patet ex actis SS. Sisimii, Largi, & Smaragdi Diaconorum, qui Christianis ad lutum & latères in thermis Diocletiani damnatis eleëmosynas fidelium deferebant) ita vos quà propriâ inductione, quà muneris vestri ratione stipem colligitis, quam piis manibus distribuatis. Ut denique Diaconi non modò ad hæc ministeria destinati erant, sed etiam ordinati sacrâ manuum impositione ad ministrandum Ecclesiæ, Apostolisque in Missa, concione, aliisque sacris muniis; ita vos Sacerdotũ, qui Apostolicum munus exercent, piorum manium causâ sacrificantium ministri estis. vos officium Defunctorum, aliasque preces in eorumdem gratiam decantatas ex munere vestro frequentatis, conciones de solatio illis adhibendo habitas auditis, iisque, quâ potestis operâ Christianam pulchramque servitutem servitis. O! efficite, ut hoc etiam vobis conveniat, ut quemadmodum Stephanus *plenus gratiâ, & fortitudine, faciebat prodigia, & signa magna in populo, & non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui per eum loquebatur* ita vos & in Christiano mortalium populo languidos defunctorum adjutores curetis, cœcos per ignorantiam oblivionemque Purgatorii illuminetis, mortuos per lethiferam hæresim lustralia loca negantem ad vitam revocetis, & in populo illo, *qui habitat in tenebris, & ambulat in regione umbræ mortis* extinguatis ignes inextinguibiles; & multas animas cœlo dissitas ingenti locorum intercapedine ad cœlum ipsi in terris adhuc positi sublevetis.

1064. *Comparantur Legatis.*

Neque vobis negari potest nomen atque amplitudo legatorum Ecclesiæ militantis ad Patientem. Vos enim Summus Pontifex, Ecclesiæ caput, dum institutum vestrum præcipuâ quadam curâ pios manes adjuvandi approbavit, illudque Pontificiis Indulgentiis, aliisque favoribus cumulavit, quid nisi vos excitavit, misitque Ecclesiæ nomine ad suppetias illis decernendas, ferendasque, quascumque Sodalitas vestra, vel officiis pietatis exercendis, vel officio mortuorum decantando, vel precibus, ac largitionibus procurat? Quare si maxima legatorum dignitas ex eo elucet, quòd Principem repræsentent, & cum eo in partem sollicitudinis veniant, sintque illius viva velut simulacra (quo factum ut Cyrus Rex Imperatoriis artibus instituendum curaverit, qui legatione functurus esset) Quanta vestræ legationis celsitudo, qui à Summo Ecclesiæ capite missi, ac legati sitis, eumque, & illius studium defunctis suffragandi referatis, & curam aliquatenus saltem suscipiatis? Quod si ergo opulentum esse volunt legatum, ut domestica fortuna amplissimi muneris splendori respondeat, utque de suo liberalis esse possit, vestrum est Sodales defunctorum, meritis, ac satisfactionibus bonorum operum divites esse, nec contentos iis, quæ Sodalitas vestra in commune accumulat, ac defunctis transmittit, sed privatim de vestro, imò & de alienis thesauris, quæ per alios à vobis rogatos excitatosque licebit adjicere.

Ita plenissimo jure eorumdem quoque patroni eritis. Quid enim Patronus, nisi qui clientes, Patris instar protegit, ac defendit? Ac de fomento quidem vestro proximè superiùs diximus, cùm illos pane cælesti à vobis satiari ostendimus: Tegendi verò, defendendique munus eò præstabilius, quò eorum adversarius potentior est, & acrior. Hic enim non alius quàm Justitia divina, quæ in miseros illos reos, jus, quod habet, acerrimè fortissimeque tuetur; nec eo cedere sustinet in ea regione, ubi sola ipsa damnatur. Et vestra vel eloquentia, vel vis tanta est, ut Justitia à vobis sese vinci patiatur, nimirùm preces vestræ illorum causam evincunt, & largitiones in pauperum usus, Justitiæ severitatem emolliunt, ut & hîc verum sit illud Poëtæ. 1065. *Sunt Patroni defunctorum.*

Munera crede mihi placant hominésque, Deumq;.

Quod charitatis officium, cùm ex instituto vestro semper observetis, jure optimo vos ego vocem *perennes defunctorum Patronos*: atque ut tales esse pergatis, perorem.

Ergo ô Sodales; ô Diaconi defunctorum, ô Legati, ac Patroni, nulla vos umquam videat dies non sodales, id est, non vestros cibos spirituales cum famelicis illis communicantes. Erit, erit aliquando, dum cum illis, eorumque operâ *Comedetis Panem in Regno Dei.* Nulla non Diaconos, id est ministros stipis spiritualis, sentiat: & Christus vos olim tamquam Dominos, Regesque habebit, *Cùm transiens ministrabit illis:* nulla non legatione in Purgatorium fungentes aspiciat, & Pater æternus Verbum suum vobis mittet, ut sapientia divina animos vestros informet, & uterque Spiritum Sanctum, ut accendat amore.

Postremò nulla dies non Patronos miserabilium reorum spectet, & misericordia divina, cujus vices in Purgatorio, quò pertingere vix potest, susceperitis, causam hîc vestram susciepiet, qua patrocinante, quem adversarium timere possitis?

CAPUT QUINTUM.

De commendatione defunctorum.

ARTICULUS I.

Modus Concionum, ac digressionum in gratiam defunctorum.

1066. *Tota concione.*

MIssas facio privatas Patroni defunctorum commendationes, ad quas utique charitas tot nominibus impellit alios, quot ipsa impellitur ad opitulandum: de publicis loquor. Porrò multifariam agi potest ad populum de ope piis manibus ferenda. Primùm tota concione, quæ in templis Societatis Jesu singulis mensibus habetur ipso die Synaxeos Generalis, vel aliàs alibi ex legibus Sodalium in opem defunctorum incumbentium. Quæ ratio miseris illis patrocinandi optabilis quidem, imò & laudabilis, ac sequenda videri potest, cùm deceat concionem præcipuo Communionis Generalis, aut ejusmodi Sodalitatis fini, id est, animarum solatio totam accommodari. Et nos toto hoc tractatu in gratiam Concionatorum, biennii forsitan spatio, sive viginti quatuor concionibus sat materiæ suggessimus; maximè si exordiis, ac thesibus exornandis, fundendisque alia è locis communibus eruantur. Quin etiam themata illis apta huic Articulo subjungimus. Sed, ut verum fatear, vereor ut luctuosum argumentum tamdiu, ac frequenter, continenterque inculcatum in vulgus probetur. Et licet piis hominibus probari faciamus, non dubito, quin plerisque Oratorum id consilii sit displiciturum. Etenim quando de infœlicibus illis captivis agitur, nisi ardenter, ac vehementi cum affectu, non satis appositè dicitur. Isti autem vehementiæ nonnullorum vel corporis valetudo, vel animi habitus impar esse solitus est. Adde, quod id genus materiæ in conciones per sacrum Adventum aut Quadragesimam habendas, vel aliàs distrahendas minimè quadret, atque adeò parum usui sit illis futurum.

1067. *Media concionis pars, ut si dicas Ecclesiam patientem esse vineam.*

Itaque alteram concionis rationem propono defunctis utilem, & faciliùs amplectendam. Depromatur thema ex Evangelio, vel aliunde, quod tam vitâ functis, quàm viventibus applicari queat: & cùm in viventium commodum ac salutem expositum amplificatumque fuerit, tum ad mortuorum solatium referatur, ac dilatetur. Tale thema est illud: *Ite & vos in vineam meam.* Duplex enim distingui potest Vinea. Prior, quæ sita sit super terram, Ecclesia scilicet Militans, vel anima adhuc peregrina. Posterior subter eam, Ecclesia scilicet Patiens, vel Patris, aut Matris, aut Amici anima. Igitur culturâ prioris explicatâ, ac pro viribus persuasâ descendere licebit ad culturam posterioris. Quippe Ecclesiam Patientem summi Patrisfamilias vineam esse, ex fidelibus animis tanquam ex vitibus conflatam, quia licet illæ ardeant, utpote Soli Justitiæ expositæ, tamen succo melioris vini, id est, gratiæ sanctificantis, *Deúmque, & homines lætificantis* nectare plenas esse, ideoque earum quoque non mediocrem curam suscipi à Patrefamilias. Itaque 1. *Exiit*, urgente charitate erga vineam illam electam, sive Electorum. 2. *Exiit* è stricti Judicis rigore, & Patris filios miserantis personam induit, quasi ductus pœnitentiâ severitatis. 3. *Conducere operarios*, addicta illis mercede gratiæ amplioris, & gloriæ, pro labore vel minimo in vineæ cultura impendendo. 4. *Dixit illis: Ite in vineam meam*, nempe ut eam putent, frondes ac sarmenta noxia rescindendo, id est, obligationis ad pœnam vincula, satisfactionum suarum falce resecando, & mortificationis cultro verborum & actionum superflua noxiaque putando. 5. Ut eam impinguent Christi sanguine in Missa litando. 6. Ut eam ad

palum

palum crucis alligent, sive imploratis Christi cruci affixi meritis animas erigant. 7. denique ut vites transplantent in cœlestem paradisum, ubi lætissimas uvas, vinumque generosissimum amoris beatifici proferant. Ita perorare licebit, & ne memoria culturæ priori vineæ adhibendæ pereat, repeti, poterit obiter, & ad illius, pariterque hujus posterioris culturæ studium populus accendi.

Defunctũ esse cæcum. Similiter distingui potest, & tota cõcione describi duplex cœcus, prior peccator, posterior defunctus, uterque opẽ mendicans. nam ut priorem pro priore concionis parte tibi relinquam. 1. *Cæcus* est defunctus, qui oculos quos æterno lumini aperire deberet, clausos jam habet. 2. Quia insuper in tenebricoso carcere vinctus est, extra omnem, præterquam flammæ sulphureæ, & ingentium miseriarum aspectum. 3. *Cæcus*, eò miserior, quia clarè agnoscit cœcitatis suæ causam non aliam esse, quàm noxas suas, & veri luminis, dum viveret, repudiationem. 4. *Cæcus quidam.* ô! si nosses illum! Pater est tuus, frater, amicus intimus. *Sedebat*, qui situs plangentis est, ut patet ex illo Thren. Jeremiæ c. 1. *Quomodo sedet sola Civitas plena populo?* Ubi cum Maldonato, & Cornelio intelligi potest *Quomodo iacet*, & hic quoque in proposito: nam cœci mendici jacent, quando sedent, quia humi sedent. 6. *Secus viam*, nempe Cœli; quò tendebat, & unde in tenebricosum carcerem retractus est. 7. *Mendicans* nempe suffragia mortalium, Rex, Papa, Pater tuus, & Mater. 8. *Mendicans*, quia omni ope per se destitutus. 9. *Mendicans* cùm te locupletârit, & alioqui jure suo subsidium exigere possit. 10. *Mendicans*, quia à te spe sua, & jure suffragiorum promissorum, vel aliter debitorum frustratus. 11. *Mendicans*, cùm tu facillimè eum cœli divitiis cumulare possis, & lumine gloriæ donare.

Defunctum esse leprosum. Denique pariter dividi potest concio duas in partes, quarum prior de criminum reo verè leproso, posterior de defuncto pertractet. Nam & hic leprosus est. 1. Quia adhuc inquinatus est reliquiis peccati quod lepra est. 2. Quia ut lepra corpus depascitur, ita noxa per flammam lustralem, & mœrorem, exedit animam purgandam. 3. Quia ut lepra morbus Herculeus vocatur, quòd difficillimè curetur, & ad eam depellendam opus sit robore Herculeo, ita morbum animarum purgandarum non nisi divina virtute depelles. 4. Quia ut lepra sanguine infantium Plinio teste curabatur, sic lepra defunctorum sanguine Christi. 5. Quia ut leprosus non aliis modò est horribilis, sed etiam sibi; ita defunctus non modò mortalibus, vel cogitantibus est horrori, sed etiam sibi, propter anteactæ vitæ conscientiam. 6. Usti leprosi consortio aliorum arcentur, ita defunctus beatorum societate.

1068. *Per digressionem in fine concionis:* Tertia ratio de defunctis in Concione agendi esse potest per congruam ad illos in fine concionis vel decursu digressionem. Quam quidem peritus Concionator ex materia sua facilè deducturus est. Si quis autem opportunè & aptè ad eam descendere non valebit, hujusmodi insinuationibus uti poterit. 1. Atque hactenus sermo ad mortales, nunc de immortalibus, sed heu! in flammis miserè viventibus, quia hic locus, & tempus est, paucis agendum. Ad hos enim etiam pertinent hæc Evangelii verba, quæ hactenus exposuimus, &c. Vel alia hodierni Evangelii. 2. Non ero vobis jam importunus, si de piis manibus pauca libavero. Nam charitas semper opportuna est, & nunc præsertim, quando hic dies Communionis Generalis eorum solatio addictus est. Igitur hæc Evangelii hodierni pars: *Ego vox clamantis in deserto*, Vos, Auditores, ad eorum subsidium excitet, necesse est. Toti enim sunt vox præ subsidii desiderio, & clamantis quidem vox, non modò loquentis, quia in acerbissimis suppliciis constituti, quibus nullus clamor, nullus gemitus par esse possit. Item *Vox clamantis* quia à nobis remotissimi sunt; verè enim dicant: *Necessarii quoque mei recesserunt à me*. Denique sunt vox Justitiæ divinæ per eorum pœnas clamantis durum esse *incidere in manus Dei viventis*, præsertim si eos, qui in eas inciderunt audire, & juvare dedignemur. 3. Hactenus sermone divino pasti estis, Auditores. Congruit jam, ut mensæ reliquias pauperibus mortuis distribuamus, & nostrum Sinapi ex quo omnia fercula composuimus, reliquum aliquid habet quo illi reficiantur: nempe, quod lachrymas excutiat. Has igitur defunctis date ex intimo sensu miserationis. 4. Sed ecce lugubris hic pannus, & reliquus funebris apparatus altaris me monet mortis, & mortuorum. & nefas est hodie de illis silere, ne in animas adeò miserabiles duri, & crudeles videamur: neque verò Evangelium hodiernum sterile est materiæ illis idoneæ; monet enim *Parandam esse viam Domini*, nempe & his qui à Domino proximè absunt: sed heu! in flammeo carcere. 5. Hactenus de illa virtute: nunc *excellentiorem viam vobis demonstro*, charitatem in defunctos, hanc enim hodierna die suo quodam jure exigunt, & vos Eucharistiâ, divino, inquam, pane refecti gratias Deo,

non

non meliùs, quàm per eos in Cœlum missos, rependere potestis. Etenim excellentiùs Deum laudabunt Cœlo donati, quàm sanctorum mortalium maximi, dum vitam hanc adhuc degunt. 6. Quod si id culpæ, quam hactenus insectati sumus, adhuc placet, & portò placebit, heu! quantum olim vobis illa mœrorem pariet! nempe tantum, quantum sentiunt animæ summo bono propter illam privatæ, & igne acerrimo ardentes: quantum, inquam, tyranni Martyribus inurere non potuere. 7. Si eleëmosyna pauperibus vivis debeatur, quantò magis vitâ functis? quippe egentissimis, & sui juvandi impotentissimis. 8. Sed minimè decet me personam meam obliviscì. Nam hodie Orator sum defunctorum, & vereor ne mihi exprobrent illud: *Et non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini super vos: benedximus vobis in nomine Domini.* Non sunt igitur prætereundi.

1069. *Satisfit objectioni.* Hæc, licet vulgaria digressionum ad defunctos genera non piguit Concionatoribus in mentem revocare. Ut enim aliæ res, dum quæruntur, etsi ante oculos positæ, subinde tamen minimè advertuntur, ita & digressiones: & facile erit inventis alias meliores addere.

Unum restat, quod objici possit huic nostro ad defunctos digressionum consilio, per has Auditoris animum à materia proposita diverti, ac proinde frangi voluntatis jam commotæ impetum, affectumque vel ad virtutis laudatæ studium, vel ad vitii vituperati fugam, velut sopiri. Verùm respondeo 1. Non videri id magis contingere posse propter hujusmodi digressiones, quàm ob Cantum Psalmi de Profundis, ad miserationem animarum pios excitare natum. 2. Defunctorum memoriam non magis officere piis aliis motibus, quàm recordationem mortis, & utramque illos corroborare posse. 3. Charitatem in fideles Deo mortuos gemellam esse charitatis in Deum, quam constat reginam esse virtutum, easque ad officium impellere. 4. Denique ex Communionis Generalis institutò defunctos jus habere, ut saltem semel per mensem eorum causa tractetur, idque ipsomet illius die. Si igitur tota illis concio non tribuatur, saltem ejus particulam obtineant, oportet: ne tam miseræ ac miserabiles animæ, quadam injuria afficiantur ab iis, à quibus potissimè instituti ac muneris sui ratione genus omne subsidii expectabant.

ARTICULVS II.

Nonnulla ex Evangeliis singularum Dominicarum themata digressionum, vel concionum è toto tractatu eruendarum in gratiam defunctorum.

DOMINICA I. ADVENTUS.

I. *Hora est iam nos de somno surgere:* Rom. 13. quia jam tempus gratiæ, & satisfactionis. Numero marginali. 237.

II. *Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum.* Etiam in Purgatorio, ubi Solis Justitiæ, & Lunæ Mysticæ conspectus subtrahetur, Stellæ cadent de Cœlo, id est, in Cœlo extare non videbuntur Sancti, quippe animis opem eorum ferre frustra implorantibus. n. 93. & 176.

III. *Arescentibus hominibus præ timore, & exspectatione.* Quomodo tibi idem non contingit flammas lustrales tam acres exspectanti? n. 291. & 327.

IV. *Verba autem mea non præteribunt.* Scilicet verba de Judicio, etiam particulari, & de carcere, ubi ad extremum usque solvendum est quadrantem. n. 18.

DOMINICA II. ADVENTUS.

I. *Cum audisset Joannes in vinculis.* Collatio horum vinculorum, & captivitatis hujus mundi, cum vinculis, & captivitate Purgatorii. n. 61. 643.

II. *Cum audisset opera Christi.* Effectus Communionis Generalis, & indulgentia plena, verè opera Christi, in vinculis purgantibus audiuntur. n. 977.

III. *Cæci vident, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt.* Hæc defunctis accidunt ope misericordiæ christianæ: nam vident jam liberi Deum, Verbum divinum audiunt, à lepra peccati curantur, & ad vitam celestem resurgunt. 93. & 470. & alibi sæpius, præsertim. 657.

IV. *Pauperes Evangelisantur.* Animæ mortuorum pauperrimæ ab Angelis Evangelisantur. 711. Vide etiam P. Dionysium Auger de earum paupertate.

V. *Tu es, qui venturus es? an alium exspectamus:* Sic Pater captivus in Purga-

torio

torio filium, aut filiam alloquitur per Angelum Custodem. 504.

DOMINICA III. ADVENTUS.

I. *TV quis es.* Cognitio sui & turpitudinis peccati, maxima in Purgatorio. 218.

II. *Tu quis es?* si sic interroges defunctos: mirabere te multos in Purgatorio habere parentes, scilicet tritavos, proavos, abavos, avos, Patrem, Matrem, patruos, amitas. Tam diu istic hærent. 414.

III. *Ego vox clamantis in deserto.* Misericordiam humanam inclamat anima in Purgatorii deserto. 470.

IV. *Ego baptiso in aqua.* Quàm satius hic aqua de fontibus hausta Salvatoris baptisari, quàm igne postea? 282.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

I. *ANno decimo quinto Imperii Tiberii Cæsaris.* Ut hîc observatur tempus baptismi Joannis: ita in Purgatorio tempus Communionis Generalis, quæ animarum, etiam purgandarum, est quidam baptismus. 991.

II. *Parate viam Domini:* Animabus, ut in Cœlo vestro nomine Deum laudent. 664.

III. *Rectas facite semitas eius.* Ne vel leviter declinando incidatis in ignem. 337.

IV. *Videbit omnis Caro salutare Dei.* quanta præstantia visionis Dei. 193.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

I. *ECce positus est hic in signum, cui contradicetur.* Nempe quatenus loquetur de Carcere Purgatorii. 1. 2. &c.

II. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Collatio dolorum D. V. cum dolore animæ purgandæ. 137.

III. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* Summi doloris, ô homo, quisquis ob minimam difficultatem negligis hîc satisfacere. 237.

IV. *Et hæc vidua erat.* Quid debeant viduæ viris defunctis. 547.

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM.

I. *FIli, quid feciſti nobis sic?* Quid liberis præstandum adversus parentes mortuos. 604.

II. *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Quantus mœror Deo privari! sive de pœna damni. 92.

III. *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* De officio pietatis in liberos vitâ functos. 529.

IV. *Et erat subditus illis.* De officiis piorum manium erga eos, qui vitam cœlestem illis procurant. 742.

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM.

I. *NVptiæ factæ sunt in Cana Galileæ.* In Communione Generali defuncti epulantur, & Christo Sponso junguntur. 991.

II. *Et erat Mater Jesu ibi.* D. Virgo cœlestibus defunctorum cum Christo nuptiis apparandis incumbit. 701.

III. *Implete hydrias aqua:* Ut potetis defunctos sitientes. 483.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

I. *ECce leprosus veniens adorabat eum dicens.* Lepra, ac turpitudo peccati defunctis horribilissima. 215.

II. *Volo, mundare.* Christi erga defunctos misericordia. 692.

III. *Et confestim mundata est lepra eius.* De indulgentia plena Communionis Generalis. 991. & altarium privilegiatorum. 959.

IV. *Vade, ostende te Sacerdoti.* Sacrificii virtus curandi defunctos. 934. etiam auditi. 967.

V. *Puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Defuncti paralytici, quia se movere nequeunt. 78. Oratione corroborantur ad iter in cœlum. 913.

VI. *Domine puer meus iacet in domo, &c.* Orandus Christus à parētibus pro liberis defunctis. 913.

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM.

I. *IN naviculam.* Etiam Ecclesia Patiens est navicula, quia lacrymarum, & flammarum fluctibus completur. 282.

II. *Ipse verò dormiebat.* Dormit Christus mortuis, quia ipsi monenti Christo, dum viverent, dormierunt. 248.

III. *Et suscitaverunt eum.* Oratione, jejunio, aliisque operibus satisfaciendi potentibus. 862. &c.

IV. *Qualis est hic? quia venti & mare obediunt ei.* Amator defunctorum similis Moysi educenti ex captivitate, & mari rubro, Israëlem. 643.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

I. *Simile est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen.* Homo ille est Patronus defunctorum, qui in Purgatorio seminat semen ingentis gloriæ cœlestis. 731.

II. *Cùm autẽ dormirent homines.* Maximus mœror defunctorum ex jactura gloriæ aliàs assequendæ, si in rem salutis incubuissent. 187.

III. *Superseminavit Zyzania.* Venialia. O quàm multa. 375. & quàm diuturnæ eorum pœnæ. 376.

IV. *Alligate ea in fasciculos ad comburendum.* 332.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

I. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* Ut Ecclesia Militans, sic & Patiens, regnum cœlorum est, & simile grano Sinapis propter hujus vim igneam, lacrymas cientem, & lethargum curantem. 288.

II. *Simile est regnum cœlorũ grano Synapis.* Anima misericors in mortuos & regnum cœlorũ est, & similis grano Synapis, quatenus & ipsa ignea vi prædita est, & hydropem ac sitim defunctorum curat. 470.

III. *Simile est regnum Cœlorum fermento*, Quod ut totam massam pervadit, & immutat, ita misericordia in defunctos hominem. 690.

IV. *In parabolis loquebatur.* Sermo de Purgatorii acerbitate ob leves culpas, mundanis est parabola. 337. 340.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

I. EJus initium. *Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me.* De igne purgante. 288. non distincto ab igne inferni. 271.

II. *Conducere operarios in vineam suam.* Vinea, Purgatorium. 1067.

III. *Conducere operarios denario diurno.* De mercede caritatis in defunctos. 731.

IV. *Quid hic statis tota die otiosi?* De negligectu satisfactionis. 237.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

I. EXiit, *qui seminat, seminare semen suum.* De dante omnes satisfactiones defunctis, qui exiit extra fines conditionis humanæ propter præstantiam talis caritatis. 632.

II. *Seminare semen suum.* De utilitate caritatis in defunctos. 731.

III. *Cecidit in terram bonam.* De defunctorum in patronos grato animo. 742.

IV. *Aliud cecidit supra petram, in spinas aliud*, &c. De ingratis in testatores mortuos hæredibus. 559.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

I. ILludetur. Etiam anima purganda à dæmonibus. 353. mœror defunctorum de repulsa Christi. 202.

II. *Et tertia die resurget.* De Purgatorii diuturnitate. 361.

III. *Cœcus quidam sedebat.* Defunctus est, cœcus. 1067.

IV. *Sedebat secus viam mendicans.* De locis Purgatorii. 24.

V. *Mendicans.* Cùm alioqui jure exigere posset. 559. &c.

VI. *Clamavit dicens, Jesu fili David miserere mei.* De misericordia divina in defunctos. 692. 731.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

I. DUctus *est Iesus in desertum.* Purgatorium desertum sterile. 340. 238. ardori Solis Justitiæ expositum. 282.

II. *Ductus est Iesus in desertum à Spiritu*, scilicet Sancto: & ab eo ducitur in Purgatorii desertum Societas Jesu. in Epistola Dedicatoria.

III. *Et cùm ieiunasset 40. diebus, & 40. noctibus.* de jejunio defunctis applicando. 862.

IV. *Esuriit.* Cibandi defuncti, in quibus esurit Christus. 486. 462.

V. *Etecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* In defunctis. 711.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

I. DUxit *eos in montem excelsum seorsum.* De atrio Cœli. 38. de gloria cœlesti defunctis donata 657.

II. *Transfiguratus est ante eos.* Qualis mutatio animæ in cœlo post pœnas Purgatorii. 657.

III. *Trans-*

III. *Transfiguratus est.* Caritas in defunctos hominem nobilitat, & similem reddit Mosi, Paulo, Christo. 678. &c.

IV. *Loquebantur de excessu.* De desiderio animarum fruendi Deo 106. præ quo flammas parvi faciunt. 121.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

I. *ET illuderat mutũ:* Nempe dæmonium à quo mortales persuadentur parvipendere, nec confiteri venialia, utpote minuta. 337.

II. *Locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ.* Anima purganda muta est ad cantandas Cœlitum more Dei laudes: sed per te fiet apta. 664.

III. *Signum de Cœlo quærebant ab eo.* Nunc quoque ut credant Purgatorium. 1. & defunctis posse opem ferri. 424.

IV. *Beatus venter, qui te portavit.* De gratis animis defunctorum in Patronos. 742.

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

I. *VN de ememus panes, ut manducent hi.* De Virtute Eleëmosynæ ad defunctorum levamen. 887.

II. *Unde ememus panes.* De Communione Generali. 977. & 486.

III. *Quinque panes.* De perpetua pro defunctis precatione ad honorem perpetuæ passionis, ac Crucis Christi. 1056.

IV. *Collegerunt, & impleverunt duodecim Cophinos fragmentorum.* Merces liberalitatis in defunctos. 733.

DOMINICA PASSIONIS,

I. *QVis ex vobis arguet me de peccato.* Crudelitatis, quòd leves in speciem noxas tam graviter castigem? 340. 218.

II. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Hinc colligit Gregorius prædestinationis signum esse libenter audire verbum Dei: adde verbum de Purgatorio. 774.

III. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Nam si essetis ex Deo, libenter de Purgatorio differi audiretis ex caritate. 448. pietate. 503.

IV. *Et vos inhonorastis me:* Peccato maximè mortifero. 229.

V. *Ego non quæro gloriam meam.* De præstantia caritatis omnes suas satisfactiones defunctis transcribentis. 627.

DOMINICA PALMARUM.

I. *CVm venisset Bethphage ad Montem Oliveti.* Mons Oliveti, ac misericordiæ est Templum die Communionis Generalis. 991.

II. *Invenietis asinam alligatam:* Nempe animam Patroni defunctorum eos sublevantem, eorumque pœnas ferentem. 862.

III. *Solvite illam, & adducite mihi.* Misericordis in pios manes solida spes Purgatorio brevi evadendi 804.

IV. *Osanna filio David: Benedictus, qui venit in nomine Domini.* De laudando Deo per defunctos in Cœlum præmissos. 664.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

I. *VEnerunt ad monumentum orto iam sole.* Prompta sit miseratio in defunctos. 260. 407. 417.

II. *Ut ungerent Jesum.* Sepeliendæ animæ purgandæ. 499.

III. *Surrexit non est hic.* Hæc est inscriptio tumuli Christi: sed animarum in Purgatorio, *Jacet hic & diu iacebit.* de Purgatorii diuturnitate. 366.

V. *Venite, & videte locum ubi posuerunt eum.* Heu! qualis locus Purgatorii! 70.

DOMINICA I. POST PASCHA.

I. *STetit Jesus in medio, & dixit eis pax vobis.* De Christi in defunctos misericordia. 692.

II. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, ut Prædicarem captivis indulgentiam, &c. Isa. 61. fac tu ex misericordia similiter. 470.

III. *Vidimus Dominum.* Quanto felicior visio Dei in Patria! 93.

IV. *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum.* Noli dicere non credam, nisi videro Purgatorium: nunquam illud videris: & jam satis ex Scripturis, & aliunde apertum est. 1. 2. &c.

V. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Christum in animis cruciari: habent enim omnes notas beatitudinis. 774.

DOMINICA II. POST PASCHA.

I. *EGo sum Pastor bonus.* Patronus defunctorum cibans illos. 486. & potans. 483. nomen hoc meretur.

II. *Ego sum Pastor bonus.* Sacerdos, qui

Missas sibi commissas pro defunctis fideliter solvit. 600.

III. *Ego cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ*: Christi oves Augustino teste prædestinati. Eorum notas vide in Patrono defunctorum. 774.

IV. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Sic agit Patronus defunctorum sese exponens eorum causâ pœnis lustralibus. 678.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

I. *Modicum & non videbitis me.* Pœnæ Purgatorii modicæ, si spectes tormentorum tartari atrocitatem, & perennitatem quam es meritus. 370.

II. *Modicum & videbitis me.* Sed longè jucundius, si defunctorum causâ tantisper in Purgatorio hæreatis. 731.

III. *Quid est hoc quod dicit modicum?* Dicam: omnes morborum, & tormentorum cruciatus, respectu tormentorum Purgatorii. 312. 317. 321.

IV. *Amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos.* Et quidem consultò, quia præstat lacrymis, quàm igne noxas purgare. 282.

DOMINICA QUARTA POST PASCHA.

I. *Vado ad eum, qui misit me.* Hæc meritò dicat defunctorum Patronus, propter securitatem salutis æternæ. 753.

II. *Tristitia implevit cor vestrum.* De tristitia defunctorum ex privatione visionis, amoris, & gaudii beatifici. 95. 150. 166.

III. *Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato.* Benè habet, si nos arguat jam de turpitudine peccati. 218.

IV. *Et de justitia*, Graviter plectente mortuos ob leves in speciem culpas. 337. 312.

V. *Ille me clarificabit.* Spiritus Sanctus per Amatorem defunctorum, qui ad Christi gloriam plurimum confert, mittens ejus Sponsas in Cœlum 657.

DOMINICA QUINTA POST PASCHA.

I. *Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* De virtute orationis, ad Deum defunctis placandum. 920.

II. *Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum*, De beatifico gaudio parentum defunctorum. 176. 527.

IV. *Ipse pater amat vos, quia vos me amastis.* Quod fit animabus, fit Christo 502.

DOMINICA SEXTA POST PASCHA.

I. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* De misericordia divina in pios manes. 692.

II. *Spiritum veritatis*, De pœnis purgantibus. 1. 2. &c.

III. *Ille testimonium perhibebit de me.* Ostendet me vivere in cordibus Catholicorum per gratiam, & misericordiam in pios manes. 473.

IV. *Absque synagogis facient vos*: Velut excommunicatos habebunt, fraudantes legatis piis, & precibus pauperum, ac religiosorum. 559.

V. *Absque synagogis facient vos.* Contra vos Auditores, synagogas, seu sodalitates instituite, unde participes fiant defuncti bonorum operum. 1057.

DOMINICA PENTECOSTES.

I. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Maximè ultimum de charitate: nam maximè extrema Patris voluntas servanda est. de auxilio defunctorum ex caritate. 438.

II. *Et Pater meus diliget eum*, Amatorem defunctorum, ut filium, certò ei parans hæreditatem cœlestem. 753.

III. *Jam non multa loquor vobiscum*: Quia non est opus ut filius Patrem, ac Matrem, conjux conjugem in flammis diu ac multum levamen roget. 517. 548. 615.

IV. *Vado, & venio ad vos.* Verba Christi ad defunctos post judicium particulare tristissima. Vado à vobis 92. & venio, seu veniam ad vos. longissimæ sunt in amore moræ. 407.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

I. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra.* Et hoc caritati in pios manes applicari potest. Nam Deum devincit. 731. 740. & amatoribus defunctorum spem facit brevi Purgatorio exeundi. 804.

II. *Data est mihi omnis potestas, &c.* Idem dicat oratio. 913. & elemosyna. 887. pro defunctis, quibus cœlum procurat.

III. *Docete omnes gentes.* Deum perfectè intueri,

intueri, seu cognoscere. 93. & amare. 150.

IV. *Baptisantes eos*, Seu lavantes eleëmosyna. 887.

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

I. *Estote misericordes.* In miserrimos defunctos. 470.

II. *Sicut Pater cœlestis.* De misericordia divina in defunctos. 692.

III. *Date, & dabitur vobis*, De misericordiæ virtute impetrandi. 740. 742.

IV. *Mensuram bonam, & confertam.* De mercede temporali. 783. & spirituali caritatis in defunctos. 804.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

I. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* De Communione Generali. 977.

II. *Misit servum suum dicere invitatis, ut venirent.* Excellentia caritatis vocantis, atque introducentis ad cœnam cœlestem defunctos. 657.

III. *Et cœperunt omnes excusare.* Stultitia excusantium varia, ne vacent satisfaciendo in hac vita. 238.

IV. *Et cœperunt simul excusare.* Mœror acerbissimus ob rejectas hac in vita gratias. 202.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

I. *Erant appropinquantes ad Jesum publicani, & peccatores.* Et nunc iisdem peccatoribus id licet, ad veniam peccatorum, & pœnarum iis debitarum impetrandam: non postea. 237. 392.

II. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves.* Pastores estis, Auditores; multas oves habetis errantes in Purgatorio; quærite. 480.

III. *Donec inveniat eam.* Oratio producenda: longa est mora erroris à via Cœli. 361.

IV. *Congratulamini mihi, inveni ovem, quæ perierat.* Patet illud Christi gaudium ex ejus studio reducendi oves è Purgatorio in pascua Cœli. 692.

V. *Gaudium erit Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*, Ergo & erit super anima, è Purgatorio exeunte. Patet è studio Angelorum animas liberandi. 711.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

I. *Piscatores descenderant.* Patroni defunctorum, sunt eorum è flumine flammivomo piscatores; quanta inde horum gloria! 642.

II. *Ascendens autem in unam navim quæ erat Simonis.* Hæc navis Ecclesiam notat, cujus carina est Purgatorium. vide profunditatem illius. 24.

III. *Laxate retia vestra in capturam.* Eleëmosyna rete tum pauperum, qui ea capiuntur, tum animarum. 887.

IV. *Ex hoc nunc eris homines capiens.* Quanta laus animas capere, & cœlo inferre! 657.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

I. *Qui occiderit, reus erit iudicio*, Sic apud mortales: sed apud defunctos, qui verbum otiosum dixerit reus erit igne. 337.

II. *Qui dixerit fratri suo raca*, Quod verbum contumeliosum est, reus erit Concilio, nempe Synedrico, in quo graviores noxæ judicabantur. Quid merebitur in Purgatorio culpa mortalis, si veniales plectantur plusquam hic latrocinia & homicidia. 317.

III. *Si offers munus tuum ad altare*, Egregium, & Deo gratissimum munus, sacrificium pro defunctis. 934.

IV. *Frater tuus habet aliquid adversum te.* Nempe Religiosus ejusdem ordinis defunctus, quem deseris. 615.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

I. *Ecce iam triduo sustinent me.* Quanto diutiùs defuncti? 361.

II. *Nec habent quod manducent*, Defuncti, ergo eos pasce. 483.

III. *Si dimisero eos ieiunos, deficient in via.* O Pater, ô Mater, alimenta debes filio defuncto, nec præbes cùm defecerit in via. 559. Et tu Conjux conjugi. 547.

IV. *Unde istos quis poterit hic saturare?* Potes, vel jejunio satiare. 863.

V. *Unde istos quis poterit hic saturare?* Ex frumento Electorum, vel à Sacerdote litato, ac manducato. 934.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

I. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Fructus peccati ingens mœror, ac pudor

ac pudor de illius turpitudine. 218.

II. *Nonne colligunt de spinis uvas?* Omnino. Nam divitiæ, spinæ sunt, teste Christo, & ex illis pauperi datis uvæ procreantur defunctis dulcissimæ. 887.

III. *De tribulis ficus?* Omnino, de mortificatione proveniunt suavissimæ. 873.

IV. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excîdetur, & in ignem mittetur.* De pœna rejectionis gratiarum actualium. 202. & sanctificantis. 187.

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

I. *Diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius.* 202. Item de paucitate utentium facilitate satisfaciendi. 392.

II. *Jam enim non poteris villicare.* De vita hac, quâ definitur tempus meriti, & satisfactionis. 237.

III. *Filii huius sæculi prudentiores filiis lucis*: Quia illi præcavent mala multò breviora, & minora: hi diuturna, & summa negligunt. 218.

IV. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Contractus, do ut des, cum defunctis. 789. 804.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

I. *Videns Civitatem flevit super illam.* De misericordia Dei in defunctos. 692. & humana. 470.

II. *Si cognovisses & tu, quæ ad pacem tibi.* De turpitudine peccati malè jam expensa. 218. de acerbitate pœnæ damni. 912.

III. *Et quidem in hac die tua.* Quia diei tuæ luce non uteris, damnaberis tenebris Purgatorii. 73.

IV. *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Quis tam facilè peccaret, si peccatis ignem debitum attenderet. 266.

V. *Coangustabunt te undique.* De dæmonum in Purgatorio sævitia. 353.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

I. *Duo homines ascenderunt in templum.* De orationis virtute satisfaciendi. 913.

II. *Raptores.* De hæredum rapina piorum legatorum. 559.

III. *Velut hic publicanus.* At votum meum est ut sitis publicani, & fœneratores. fœneratur domino, qui miseretur pauperis defuncti. de Eleëmosynæ virtute in defunctos. 887. & mercede. 789. &c.

IV. *Deus propitius esto mihi peccatori.* Stultitia mortalium ardere præoptantium, quàm uti ejusmodi preculis. 245.

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

I. *Adducunt ei surdum, & mutum.* Hæreditas, & legata clamant hæredes, & legatarios, & executores misereri oportere Testatoris defuncti: sed multi surdi. 559.

II. *Adaperire.* Nempe cor avari ad miserationem parentis defuncti. 887, 517.

III. *Et loquebatur rectè*; Loquitur rectè Dei, & defunctorum lingua, qui pro illis orat. 913.

IV. *Benè omnia fecit.* Patronus defunctorum: meritò ergo habet omnes notas prædestinationis. 774.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

I. *Beati oculi, qui vident, quæ videtis.* Scilicet Christum, ejusque caritatem per Synaxim Generalem mortuis jam plus, quàm antehac opitulantis. 977.

II. *Magister quid faciendo vitam æternam possidebo?* Auxiliare defunctis: securus de salute tua eris. 753.

III. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* De officio caritatis naturalis, & supernaturalis in defunctos. 438. 448.

IV. *Sacerdos pertransiens.* De obligatione Sacerdotum ad Missas pro defunctis dicendas. 595.

V. *Samaritanus autem quidam misericordiâ motus.* De misericordia in defunctos. 470.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

I. *Cum iret Jesus in Jerusalem.* De peregrinationibus sacris gratiâ defunctorum. 1034.

II. *Steterunt à longè, levaverunt vocem.* De defunctorum carcere longè à nobis remoto. 61.

III. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*, Ad curandam lepram peccati defunctorum Sacerdos in Missa adeundus. 967.

IV. Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt? Contra pro uno purgato omnes defuncti grati sunt. 669.

DOMI-

DOMINICA XIIII. POST PENTECOSTEN.

I. *NEmo potest duobus dominis servire.* Parentes, qui Deo relicto liberis serviunt, omniaque ad eorum commodum referunt, justo Dei judicio sæpe ab ipsis post mortem derelinquuntur. 517.

II. *Non potestis Deo servire, & mammonæ.* De Eleëmosyna in defunctos. 887.

III. *Nolite solliciti esse.* Etiam temporalia suis patronis defuncti procurant. 783.

IV. *Fœnum agri, quod cras in clibanum mittitur.* De mundanis, qui ubi tantisper floruerunt, in ignem mittuntur. 282.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

I. *FIlius unicus matri suæ.* Filios mortuos lugent parentes, non tamen juvant. 529.

II. *Adolescens tibi dico, surge.* Ex Purgatorio: ô læta vox, & ipsi quoque dicenti jucunda. 657.

III. *Et dedit illum matri suæ.* Deus Mariæ, propter ipsius misericordiam. 701. item propriæ matri defuncti 529.

IV. *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum.* De præstantia caritatis, quâ animæ Purgatorii vita & gloria æterna donantur. 657.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

I. *ET ecce homo hydropicus.* Defunctus talis dici potest propter ingentem sitim nectaris cœlestis. 106.

II. *Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadit, & non continuò extrahit illum die sabbati?* De executorum negligentia exequendi pias voluntates testatorum. 373.

III. *Cuius vestrum asinus, aut bos, & non continuò,* &c. Et tamen Pater, Mater, amicus incidit in antrum Purgatorii, & cunctamini extrahere. 517.

IV. *Cùm invitatus fueris ad nuptias, non recumbas primo loco.* Commendatur modestia, & humilitas, apta ad satisfactionem. 882.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

I. *DIliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Qui tribuit defunctis omnes suas satisfactiones, præstantissimæ caritatis specimen præbet. 627.

II. *Quid vobis videtur de Christo?* Qui sponsas suas sui conspectu privatas ablegat in exilium ob unicam noxam venialem? estne hac in re justus? 121. 340.

III. *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis.* Quàm acerba sit offensa tanti Domini piis manibus. 218.

IV. *Dixit Dominus Domino meo.* De Deicidio, & Christicidio in vita perpetrato quàm triste sit defunctis. 229.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

I. *OFferebant ei paralyticum.* Orationis vis pro defunctis, qui sunt paralytici, quippe gradiendi ad Cœlum impotentes. 913.

II. *Videns autem Jesus fidem illorum.* Et tu fide te orando libertatem alicujus animæ obtenturum: ad id enim propensus est. 692.

III. *Remittuntur tibi peccata tua.* Et hoc defuncto dicit ex vero caritas, quatenus eorum pœna utraque defunctum liberat. 642.

IV. *Surge, vade in domum tuam:* Quæ defuncto est sinus Divinitatis, ubi semper acquiescet. Quàm gloriosum igitur caritati animam istic collocare? 657.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

I. *SImile est regnum Cœlorum Regi, qui fecit nuptias filio suo.* Quàm optatæ sint hæ regiæ ac cœlestes nuptiæ Sponsis Christi. 106. & quàm durum ab illis arceri, 121.

II. *Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias.* Omnes Christiani lege divinæ misericordiæ mittuntur ad vocandas animas defunctorum ad nuptias cœlestes. 470.

III. *Abierunt alius ad villam suam, alius ad negotiationem suam.* De neglectu rerum ad satisfactionem necessariarum, unde animæ detinentur, quo minus eant ad nuptias. 237.

IV. *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Ob vestem peccatis sordidatam. 218.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

I. *ROgabat eum, ut sanaret filium eius.* Quantò magis rogandus, ut incendio

cendio filius eripiatur? 529.

II. *Domine descende priusquam moriatur filius meus.* Præstat ut morituro suffrageris 961.

III. *Vade filius tuus vivit.* Non facilè, aut velociter exauditur oratio pro defunctis, cùm tam diu in Purgatorio hæreant. 361.

IV. *Filius tuus vivit.* Quàm optabile vitam æternam illi dare. 657.

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

I. *Oblatus est ei unus, qui debebat decem millia talenta.* Ingens debitorum vis, ob multiplicata per totam vitam peccata. 375.

II. *Redde quod debes.* Longè diutiùs manendum esset in Purgatorio, si stricto jure nobiscum ageretur. 370.

III. *Misertus autem Dominus servi illius.* De divina in defunctos misericordia. 692.

IV. *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis.* Ergo si remiseritis, remittet. 882.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

I. *Magister, scimus, quia verax es.* Ergo crede Purgatorium. 1.

II. *Non est tibi cura de aliquo.* O executor, dum ultimæ, ac piæ testatorum voluntates exequendæ sunt, non sit tibi cura de aliquo hærede potente, & avaro. 573.

III. *Non enim respicis personam hominum.* Etiam Filii Dei, ac Sponsæ Christi gravissimè plectuntur.

IV. *Ostendite mihi numisma census.* Vide ne anima tua, quæ numisma est Divinitatis, sordidata sit, cùm Judici ostendenda est, alioqui igne purgabitur. 283.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

I. *Domine filia mea modò defuncta est.* Caritas omnes defunctos pro filiis habet, ac juvat. 470.

II. *Modò defuncta est.* Statim juvandi liberi defuncti. 529.

III. *Veni impone manum tuam, & vivet.* De orationis pro mortuis efficacitate. 913.

IV. *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti eius, salva ero.* Quid ergo faciet sacra Synaxis pro mortuis? 971.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Cum videritis abominationem desolationis. Turpitudo peccati quantopere cruciet defunctos. 218.

II. *Orate ut fuga vestra non fiat hyeme, vel sabbato.* De stultitia eorum, qui negligunt tempus satisfaciendi. 237.

III. *Erit enim tunc tribulatio magna.* Minor tamen, quàm in Purgatorio. 312.

IV. *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* De securitate salutis Patroni defunctorum, qui ob caritatis excellentiam, aquila dici potest. 753.

ARTICULUS III.

Institutio Octavarum pro defunctis.

ID quoque, & quidem maximè ad commendationem piorum manium pertinet, instituere Octavam, ut aiunt, in illorum gratiam. Et intelligo Bruxellis, Rhedonis, Valencenis, & alibi, id officii in parochiis iisdem rependi. Quare Octavarum decadem hîc attexendam duxi.

INDEX OCTAVARUM PRO DEFUNCTIS.

PRIMA.

Comparatio Ierosolymæ vastatæ cum Purgatorio. vide Threnos Ieremiæ.

Concio 1. Purgatorium est civitas Dei, & quidem ut Jerusalem vastata. Numero. 183. 1071.

Concio 2. *Sedet sola*, seu privata Deo, qui animis fidelibus est omnia. 121.

Concio 3. *Sub tributo* pœnæ, seu tristitiæ ingentis debitæ peccatis. 215.

Concio 4. *Hostis eam incendit.* de pœna ignis. 264.

Concio 5. Captivitas Jerosolymitanorum collata cum carcere lustrali 61.

Concio 6. Utriusque mora, seu diuturnitas. 361.

Concio 7.

Concio 7. Ergo instar Jeremiæ miseremini illius ex caritate. 448.
Concio. 8. Et maximè ex pietate. 503.

OCTAVA. II.

Omnia misericordiæ corporalis opera exhibenda defunctis. 470. 480.

Concio 1. Visito. 2. Poto. 3. Cibo. 4. Redimo. 5. Tego. 6. Colligo. 7. Condo. 8. Certa spes salutis ex iis exhibitis. 753.

OCTAVA III.

Collatio Amatoris defunctorum cum Christo Isaiæ. 61.

Concio 1. *Spiritus Domini super me.* Misericordia Dei excitantis mortales ad levamen defunctorum. 692.
Concio 2. *Ad annuntiandum* diem Communionis Generalis. 978.
Concio 3. *Ut mederer contritis corde* ob peccata. 215.
Concio 4. *Captivis indulgentiam, & clausis apertionem.* 61. 991.
Concio 5. *Ut consolarer omnes lugentes* ex privatione Dei, quæ est maxima tristitiæ causa. 93.
Concio 6. *Ut darem coronam pro cinere*, seu igne. 264. 657.
Concio 7. *Vocabuntur fortes iustitiæ.* Fortitudo illius caritatis collata cum fortitudine Martyrum. 678. 681.
Concio 8. *Plantatio Domini ad glorificandum* per defunctos in cœlum præmissos. 664.

OCTAVA IV.

Præstantia caritatis in defunctos.

Concio 1. Quia dat satisfactiones suas per se præstantes. 633.
Concio 2. Quia eos liberat à pœna damni, & sensûs. 642.
Concio 3. Quia iisdem procurat gloriam cœlestem. 657.
Concio 4. Quia in cœlum præmittit Dei præcones suo nomine illum excellentissimè laudaturos. 664.
Concio 5. Quia eorum causâ exponit se periculo subeundi pœnas morte duriores. 678.
Concio 6. Quia parit ingens gratiæ gloriæque augmentum. 731.
Concio 7. Quia securos efficit salutis. 740.
Concio 8. Et Purgatorio citiùs liberat suos cultores. 804.

OCTAVA. V.

Comparatio doloris defunctorum cum mari. Magna est velut mare contritio tua.

Concio 1. Ut mare est amarissimum: ita nihil acerbius dolore ex Dei jactura. 93.
Concio 2. Ut gravissimi sunt æstus, & procellæ maris, ita flammarum purgantium. 264. &c.
Concio 3. Ut aquarum marinarum tanta est copia ut flumina præ illis guttæ instar sint. ita respectu tormentorum lustralium humana. 312.
Concio 4. Ut mare vastissimum, & maximè extensum est: ita Purgatorium in longum tempus porrigitur. 361.
Concio 5. Ut ventorum vi mare effervescit, & sævit magis: ita vi dæmonum Purgatorium. 353.
Concio 6. Ut maris amator arte dulcescit: ita jejunio amaror Purgatorii. 862.
Concio 7. Ut ventis secundis mare brevi pertransitur: ita mortalium oratione Purgatorium. 913.
Concio 8. Ut navis exoneratio faciliorem cursum reddit: ita pecuniæ testatoris effusio in pauperes, defunctos ad portum provehit. 887.

OCTAVA VI.

Miseremini mei saltem vos amici mei.

Concio 1. Filii parentibus defunctis opitulentur. 504.
Concio 2. Parentes filiis defunctis. 520.
Concio 3. Conjuges inter se. 542.
Concio 4. Hæredes Testatoribus. 559.
Concio 5. Executores piarum voluntatum iisdem. 578.
Concio 6. Sacerdotes accepto stipendio. 596.
Concio 7. Beneficiis affecti suis patronis. 605.
Concio 8. Fratres ejusdem religionis 615.

vel stimulus ad hoc officium gravitas pœnarum.

OCTAVA VII.

De modo defunctos levandi per indulgentiam Communionis Generalis. 771. &c.

OCTAVA VIII.

Omnes notæ prædestinationis conveniunt in Patronos defunctorum. 774.

I. Humilitas nascitur ex pœnarum lustralium contemplatione. vide librum primum. ferè totus eas tractat.
II. Sitis justitiæ, ac salutis propriæ ex cura alienæ, 448. & defunctorum pro iis sollicitudine. 742.
III. Mansuetudo ex consideratione diuturnitatis Purgatorii. 361.
IV. Misericordia est illorum propria. vide leges misericordiæ. 470.
V. Luctus intimus ex dolore defunctorum propter noxas considerato. 218.
VI. Simplicitas, seu animi mundities ex culparum etiam levium gravibus pœnis. 332.
VII. Amor Divæ Virginis ex ipsius imitatione in juvandis animis. 701.

OCTAVA IX.

Ingens discrimen beatos inter, & pios manes.

Concio 1. Beati in Cœlo. Purgatorii locus orco vicinus, & probabiliter continuus. 23. 84.
Concio 2. Beati in patria, pii manes in carcere. 61.
Concio 3. De atrio Cœli. 38. de Purgatorio S. Patricii. 57.
Concio 4. Beati vident, possidentque Deum, non defuncti. 93. 108.
Concio 5. Confertur dolor defunctorum cum dolore piorum ex absentia Dei. 130.
Concio 6. Beati Deum summopere amant, hinc dolor defunctorum. 150.
Concio 7. Beati fruuntur gaudio beatifico, non defuncti. 166.
Concio 8. Dote impassibilitatis potiuntur Beati, defuncti uruntur. 273. &c.

OCTAVA X.

Fontes lætitiæ pro mortalibus sunt lacrymarum pro defunctis.

Concio 1. Fons 1. lætitiæ est eleëmosyna, satisfactionis Christi feraciſſima. 887. cujus neglectus defunctis est fons tristitiæ. 234.
Concio 2. Fons 2. lætitiæ est oratio. 913. cujus neglectus defunctis est fons tristitiæ 245.
Concio 3. Fons 3. est jejunium. 862. cujus neglectus defunctis est fons tristitiæ. 242.
Concio 4. Fons 4. est sacramentum pœnitentiæ, cujus neglectus defunctis est fons tristitiæ 252.
Concio 5. Fons 5. est sacramentum Eucharistiæ. 971. cujus neglectus defunctis est fons tristitiæ. 252.
Concio 6. Fons 6. est Missa. 934. cujus neglectus defunctis est fons tristitiæ. 256.
Concio 7. Fons 7. Indulgentiæ. 991. quarum neglectus defunctis est fons tristitiæ. 259.
Concio 8. Peroratio generalis ad movendos Auditores ut fontes lætitiæ mortalium efficiant fontes lætitiæ defunctorum, hauriendo ex iis aquas ad eorum flammas temperandas.

ARTICULUS IV.

Indiculus formularum petendi Eleëmosynam pro defunctis quando Concionator pro iis nihil dixit.

I. POst egenos civitatis commendatos, etiam atque etiam vitâ functos vobis commendo. non sic tamen ut vos gravari velim: nam si quibus aliud non suppetit, sufficiet ex animo dicere huic, vel illi ex vestris defuncto. *Deus te juvet.* 1072.
II. Diversarum estis conditionum, Auditores: fas tamen est, & velim ut omnes hodie, ac deinceps sitis medici: nonnulli è parentibus vestris, aut amicis ardentissimâ febri in Purgatorio laborant. Si placet preces illis, aliáve suffragia vel nunc addicite, febrim illorum-

lorum, aut omnino, aut ex parte curabitis.

III. Arbitror vos D. Virgini, aut Divo, cujus festus agitur, hodie gratificari cupere. En facilem methodum, date illis, quod maximè desiderant, animas amicorum, ac devotorum, purgante carcere detentas. Solis votis res peragi poterit.

IV. Hoc die Communionis Generalis, quod benè vertat, Panem Angelorum comedistis, Auditores, largimini quæso, parentibus vestris mensæ illius reliquias: quos eheu! possum dicere ab aliquibus tractari pejus catellis, *qui edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.* Date, inquam, satisfactionem pietatis, quam matutina Communio etiamnum in vobis excitat, & porrò excitabit.

V. En habeo duplicem familiam oppido pauperem vobis commendandam. Prior est N. Posterior numerosior est, & multò egentior, quàm simul cum priore, eademque stipe impertiri potestis, nempe familiam piorum manium, quam levare licet, si eleëmosynæ priori concessæ fructum satisfactionis defunctis adscribatis.

VI. Non memini me magis ex æquo ac bono pauperes commendare, quàm commendem hodie. Quid enim æquius, quàm, ut parentibus vestris, qui fortunas vobis amplas, aut certè quidquid valetis arte & opera concesserunt, frustulum panis, aut nummulum per egenos petentibus largiamini; Id igitur eorum nomine efflagito.

VII. Non sum solitus vobis nova nuntiare. Habeo tamen, quæ nefas est præterire, sed de altero mundo. Ubi intelligo multos ex Amicis vestris infœliciter exulare: & opem vestram diu noctuque implorare, cùm diu, noctuque perurantur. Quæso, ne illos inhumaniter derelinquite.

VIII. Attendite, Auditores. En venit in manus meas scedula extraordinaria, quæ sic habet. Fidelium Animæ per misericordiam Dei, & opem hujus Concionis, requiescant in pace. Vos igitur ita ex animo dicite, & ut requiescant porrò efficite.

IX. Benevoli Auditores, significo vobis ex facultate Reverendissimi Domini nostri Jesu Christi Episcopi Animarum nostrarum, & vestri Pastoris, atque authotitate suprema divini Magistratus commendatur vobis egentissima pariter, ac numerosissima familia fidelium defunctorum. Quæso, vel ob commendantium dignitatem, atque in eam familiam amorem. liberalitatem vestram hac in parte desiderari non sinatis.

X. Pauperes, ac miseri Captivi vehementissimè optant, ut eos vobis commendem: lytro opus habent, & eo quidem vobis facili, scilicet in vestris precibus, aliisque suffragis posito. Obtestor vos, ut illud simul solvatis, & simul eorum vincula dissolvatis. Eadem opera in patriam illos reducetis, ubi abundè invenient quo vos ultra centuplum compensent.

XI. Multi sunt pauperum viventium Quæstores, ac Patroni: perpauci mortuorum. Sinite ut hanc personam ego hodie sustineam, & aliquid eleëmosynæ ac solatii à vobis eliciam: cũ in maxima necessitate versentur.

XII. Infaustum quid accidit, Auditores. Nobilissima quædam familia in summam egestatem, morbosque pessimos incurrit. familia, inquam filiorum Dei, ac sponsarum Christi statim à morte in horrendum Purgatorii carcerem, procul omni solatio, atque auxilio, detrusa est. Rogo vos, ut si Deum ac Christum ametis, earum misereamini.

Ad majorem Dei, ac Deiparæ gloriam,
ad honorem Angeli Custodis, &
Defunctorum solatium.

INDEX RERVM

Numerus marginalem notat.

A.

ABelis à tempore usque ad Sancti Jacobi tempora aliqui in Purgatorio detenti sunt, vel detineri potuerunt. N. 363.

Abrahami misericordiam Sodomitis petentis caritas imitanda erga defunctos. 431.

Adami fletus centum annorum ob necem Abelis. 146.

Ægros invisentium exempla imitanda erga defunctos. 482.

Alberti Magni jactura scientiæ, jacturæ defunctorum collata. 178.

S. Aleydis sponte susceptipro defunctis cruciatus 873.

Amator defunctorum habet omnes notas prædestinationis. 774.

Amatoris defunctorum laus ex liberatione à pœna damni. 643. à pœna sensûs. 650. A procuratione gloriæ cœlestis. 657. Ex illatione præconum Dei in Cœlum. 664. Ex periculo pœnarum, quibus se exponit. 678. Qua ratione similis est Martyri. 681. Et comparatur cum Moyse, & Paulo. 685.

Ambrosii à Jesu minimi, amor Jesu. 160.

S. Ambrosii erga Theodosium Imperatorem defunctum amor. 468.

Amor defunctorum. vide caritas.

Amor beatificus quid? 150.

Amor Dei, quo ardent defuncti, comparatur cum mortalium amore Dei. 113. 114.

Amoris beatifici jactura tristis ob ejus præstantiam. 152. ob ejus effectus, quorum primus Ecstasis. 154. Alter unio. 156. Tertius liquefactio. 158. Quartus laus Dei. 162.

Angelorum officia in defunctos. 711.

Animæ separatæ nativa dignitas. 63. Supernaturalis excellentia. 65.

Antheæ Lucensis erga defunctos amor. 468.

Antipater Herodis Infanticidæ filius casu suo animæ purgandæ casum adumbrat. 213.

Apparitio animæ Bergis S. Winoci. 437.

Arbor vitæ est etiam in paradiso cœlesti. 999. Et in templis. 1004.

Arbores variæ in Paradiso terrestri. 1001.

Arbores auriferæ in templis. 1002. omnis generis. 1003.

Archisodalitas defunctorum. 1058. Hujus, & aliarum indulgentiæ. 1059.

Atrium Cœli statuitur. 38. de illo visio S. Birgittæ. 44. Revelatio S. Idæ. 45. Visio B. Magdalenæ Paziæ. 46. Visio monachi. 47. Revelationes aliæ. 48. Solvuntur objecta. 49.

Atrium Cœli ubi sit. 50. Non est Paradisus terrestris. 51. Ejus ordinarius locus. 52. Extraordinarius. 55.

Atrium Cœli cur ita vocetur. 53. Cur velut pratum ostendatur. 54.

Atrium Cœli faustúmne, an infaustum. 56.

Audire Missam, quàm utile defunctis. 967.

S. Augustini pietas in parentes mortuos. 527. ejus sensus de dolorum purgantium gravitate. 288.

Austriacæ Domus pietas in defunctos. 948.

B.

BEatifici amoris jactura quàm tristis, 152. Item beatificæ visionis. 93. &c.

Beatitudines octo conveniunt amatori defunctorum. 774.

S. Begghæ in maritum mortuum pietas. 558.

Beneficia mortuorum excitent nos ad eorum auxilium. 765. 783.

Benincosæ Virginis se pro fororibus mortuis devoventis summi dolores. 443.

S. Bernardi vis animas liberandi. 835.

S. Birgittæ revelatio de atrio Cœli. 44.

S. Birgittæ sensus de acrimonia ignis purgantis. 363.

B. Borgiæ pietas in liberos mortuos. 558.

S. Brunonis cura pro mortuis. 544.

Bulla Communionis Generalis. 977.

C.

CAïni, & Naami stultitia adumbrat stultitiam nolentis hac in vita satisfacere. 253. 254.

Campanæ pulsandæ pro defunctis. 1050.

Canonici Philippi, Parisiensis Cancellarii damnatio horrenda. 603.

Canonicorum antiquorum miseræ mortes. 601.

Canonicorum defunctis fundatoribus ingratorum pœnæ. 601.

Capellani defunctorum historia. 767.

Captivitas est misera per se. 61.

Captivitas defunctorum durissima. 62. propter ipsorum dignitatem nativam. 63.

Probè cognitam. 64. Maximè ob ſupernaturalem excellentiam 65. Etiam benè cognitam, & expenſam. 66. Vnde æſtimatur mœror. 67. Maximè quòd libertate priventur ſtatim à morte. 68.
Captivitatis defunctorum locus triſtiſſimus ob profunditatem. 71. 72. Ob tenebras. 73. Ob anguſtias, ſeu alligationem. 78. 79.
Capucini cujuſdam ſenſus de gravitate pœnæ Purgatorii. 305.
R. P. Carafæ Soc. Jesu dolor de mortis mora. 133. Ejus erga captivos caritas. 492.
Carceris Purgatorii profunditas. 71. tenebræ 73. anguſtiæ 78. quàm horridus ſit ſi orco contiguus 80. ſi continuus 84.
Carcerum diverſitas 70.
Caritas ad opitulandum defunctis obligat. 449. Probatur ratione 451. 454. Ex verbis Chriſti. 455. Ejus obligationis explanatio moralis, quia Deo conjunctiſſimi. 457. Nam filii. 458. & ſponſæ Chriſti. 459. & fratres, matresúe. 460. & viva ejus membra 461. Imo ipſe Chriſtus. 462. Ejuſdem obligationis aliæ cauſæ, quia ſunt in neceſſitate. 463. probatur ſimilibus. 465.
Caritas ſatisfactiones ſuas defunctis addicentis confertur cum miſericordia corporali, ac ſpirituali. 678. 680. & cum martyrio. 681. & cum devotione Moyſis, & Pauli. 685.
Caritas ſatisfactiones ſuas omnes defunctis addicentis poteſt ad perfectionem brevi perducere. 690.
Caritatis in defunctos utilitates. 731. uſque ad numerum. 825. vide utilitates caritatis in defunctos.
Caritatis in defunctos inopia arguitur. 469.
Carmelitanorum mos pro defunctis ſe devovendi. 876.
Caroli Borbonii lemma defunctis applicacatum. 413.
S. Caroli Boromæi cura pro mortuis. 946.
Carthuſiani Pater à dæmonibus in Purgatorio torquetur. 356.
Carthuſiani, & Cantipratani pietas in parentes mortuos. 527.
Carthuſiani reprehenſio ob neglecta fratri defuncto promiſſa. 625.
Catharina de Cardona pro defunctis ſe flagellat. 871.
Catharinæ de Cardona pietas in patrem mortuum. 527.
S. Catharinæ Genuenſis ſenſus de acrimonia ignis purgantis. 303.
Catharinæ de Raconis cruciatus pro defunctis. 875.
Catharinæ Ricciæ ſponte ſuſcepti pro defunctis cruciatus. 874.
B. Catharinæ Senenſis ſenſus de acrimonia ignis purgantis. 303.
S. Catharinæ Senenſis pietas in Patrem mortuum. 527. hujus in filiam beneficia. 773.
Celſi cujuſdam ingens probrum defuncti probrum adumbrat. 223.
D. de Chantal pietas in filium mortuum. 559.
S. Chriſtinæ pro defunctis cruciatus. 324.
S. Chriſtinæ ſenſus de gravitate pœnæ Purgatorii. 304.
Chriſtus in defunctis ardet, & juvatur 462. 502.
Cibandi defuncti. 488.
Claræ Eugeniæ Iſabellæ pietas in maritum mortuum. 558.
Cognitio defunctorum tormentis minimè turbatur. 109.
Commemorationis defunctorum occaſio. 664.
Commonendi fideles de defunctis. 1051.
Communicandi pro defunctis mos probatur. 976.
Communio prodeſt defunctis. 971. Non ex opere operato. 972. Utilitatis exempla. 974. 975.
Communio Generalis arbor vitæ. 1000. 1004. Patet ex effectis. 1005. Deus eam plantavit. 1006. non Societas Jesu. 1007. Idque ipſe indicare viſus eſt. 1008. Non ſine Numine avidè obitur. 1010. aviditatem acuit indulgentia pro defunctis. 1011. & piorum manium adhortatio. 1012. & pietas communicantium. 1013.
Communio Generalis rectè ſic vocatur. 1022.
Communio Generalis ſimilis eſt convivio Aſſueri. 1023.
Communio Generalis quot animas liberet. 1024.
Communio Generalis ſimilis arbori vitæ Paradiſi cœleſtis quoad fœcunditatem. 1026.
Communionis Generalis bulla. 977. tempus. 978. locus. 979. 980. 981. 982. Poteſt eodem tempore, & in urbe, & in pagis celebrari. 984 debet curâ Societatis. 986. in Parochia cum conſenſu Epiſcopi, & Parochi. 987. in loco deſignato. 988. ſint preces ad minimum mediocres. 989. tempus precum. 990.
Communionis Generalis præſtantia ex omnibus ejus adjunctis, ac primùm inſtitutione ejus divina. 994.
Communionis Generalis celebritas per orbem univerſum. 1014. Primùm Romæ, tum per totum orbem. 1015.
Communionis Generalis frequentia. 1021.

Concionandum ejus die de defunctis. 1047.
Concionum pro defunctis modus. 1066.
Condonatione necis filii, mater eum liberat Purgatorio. 883.
Condonatione injuriarum B. Lucia multos defunctos liberat. 884.
Confraternitas pro defunctis. 1056.
Conjugalis in defunctos amoris exempla. 558. S. Cunegundis. Philippi III. S. Elisabethæ Lusitanæ. S. Begghæ. Claræ Eugeniæ Isabellæ. ibidem.
Conjugum in conjuges officia. 542. nominatim in defunctos. 543. asseruntur authoritate. ibidem. Et ex natura conjugii. 544. Maximè Christiani. 545. Et mutuis conjugum beneficiis. 546.
Conjugum in conjuges defunctos pietatis partes explendæ. 547. 548. 549. In præbendis lytro. 551. 555. & cibo. 552. & potu. 553.
Conradini fors, & dura mors cum defunctorum exilio collata. 124.
Contactus ignis purgantis ejus acrimoniam ostendit. 308.
F. Conversi revelatio de ingenti pœna damni. 144.
Corporis afflictationum usus antiquissimus. 868.
Corvorum esca liberi parentibus mortuis ingrati. 517.
S. Cunegundis in maritum mortuum pietas. 558.

D.

DÆmones an crucient defunctos. 353. Quomodo. 357.
Dæmon suspensus à S. Gertrude Nivellensi. 285.
Damnantur multi Sacerdotes ob neglectas Missas. 600.
Debita non soluta an retardent defunctum in Purgatorio. 592.
Debita sua vult solvi nobilis Eques mortuus. 910.
Debitorum defuncti solutio ipsi utilis. 909.
Defuncti juvari possunt à vivis ex scriptura. 424. ex SS. Patribus. 426. unde sequitur saltem fide humana credendum. 427. Imò & divina. 428. ex ratione. 432. 433. Et historiis. 435.
Defuncti visitandi. 481. 482. Et potandi. 483. Et cibandi. 486. Redimendi. 490. Vestiendi. 493. Hospitio excipiendi. 496. Sepeliendi. 499.
Defuncti intersunt Communioni Generali. 1012.
Defuncti gentes vocari possunt. 1016.
Defuncti pro vivis impetrant. 743.
Defunctorum adversarii timeant. 698.
Defunctorum voces ad Angelum Custodem. 422.
Defunctorum numerus per Communionem Generalem liberatorum. 1024.
Defunctorum actio gratiarum pro Communione Generali. 1033.
Defunctorum desiderium Dei, mortalium desiderium superat. 115. Et omnem violentiam vincit. 117. Et vires naturæ. 118. quia est summi boni desiderium summum. 119. quod retardari nequit. 120.
Defunctorum imploratio similis imploratione Solymæ in Threnis Jeremiæ. 186.
Defunctos non juvare communiter est tantùm veniale. 448.
Defunctus ipse restituit debita. 911.
Defunctus debitum suum indicat. 912.
Dei misericordia in defunctos. 692.
Deiparæ misericordia in defunctos. 701.
Desiderium summi boni creat in defunctis summam tristitiam. 108.
Digressiones in concione ad defunctos. 1068.
Disciplinæ defunctis prosunt. 869. eas petit Otto Imperator mortuus ibidem. eas pro defunctis subit Petrus Arriaga. 870. Catharina de Cardona. 871. S. Dominicus. 872. soror dominicana ibidem.
Disputatio Theologica de præstantia donationis suarum satisfactionum defunctis. 627. 631.
Diuturnam Purgatorii moram an mortales contrahere sint soliti. 392. Improbi, & medii parum satisfaciunt. ibidem rarissimè rectà in Cœlum eunt. 393. probissimi vix hærent in Purgatorio 395.
Diuturniorem pœnam multi in Purgatorio patiuntur, quàm omnes latrones, & Martyres. 410.
Diuturnitas Purgatorii mille annorum. 388.
Diuturnitas Purgatorii ad diem judicii. 389.
Diuturnitas pœnarum Purgatorii ex Scriptura, ubi aliqui à diluvio usque ad Christi mortem puniti dicuntur. 361. Ex Ecclesiæ sensu. 366. Ex ratione. 370. mirum sit, quod unici peccati mortalis pœna non sit mille annorum. 371.
Diuturnitas pœnarum Sanctorum quanta. 381. Religiosorum vulgarium. 382. 383. quanta mediocrium peccatorum. 384. etiam post preces Christinæ 385. dissolutorum. 386. viri nobilis pœna annorum sexcentorum. 387. alterius mille annorum. 388. Innocentii III. Papæ usque ad diem judicii. 389. & aliorum. 390. quibus timendum tam longum Purgatorium. 391.

Diuturnitas Purgatorii parum contrahitur ob levitatem doloris de peccatis. 397. Et amoris in Deum. 398. Et negligentiam in pœnitentia sacramentali. 399. Et ob alios defectus. 400. 401. maximè quia non exuitur affectus ad peccatum veniale. 402.

Diuturnitatis Purgatorii acerbitas. 407. 408. &c. Quòd minimè juventur, qui diutiùs cruciantur, imò & à suis affligantur. 415,

Dolor defunctorum. vide tristitia.

Doloris naturalis descriptio. 130.

E.

ECclesia sæcularis est, ubi parochi officium exercetur. 985.

Ecclesiæ anniversaria sacra probant diuturnitatem Purgatorii. 366. Pœnæ item ab ea imponi solitæ. 367. Et maximè indulgentiæ. 368.

Eleëmosyna est efficacior jejunio ad satisfaciendum. 891.

Eleëmosyna tota statim danda, si certo defuncto adesse velis. 894. si toti Purgatorio, danda in censum. 895. si tibi, ante mortem largienda. 896.

Eleëmosyna insignis in defunctos, alere Sacerdotes qui pro ipsis sacrificent. 904.

Eleëmosynæ in defunctos pia industria. 902.

Eleëmosynæ genus vitiis defuncti repugnet. 903.

Eleëmosynæ genus mittere ad alios scedulas eorum mortis indices. 905.

Eleëmosynæ spiritualis varium genus defunctis utile. 906.

Eleëmosynæ in defunctos pulcherrima ratio omnes dare suas satisfactiones. 908.

Eleëmosynæ virtus satisfaciendi ex Scriptura. 887. Ejus similitudo cum aqua. 888. cum litro captivorum. 889. Cum hostia. 890. Cum baptismo. 892.

Eleemosynæ neglectus tristis defunctis. 238. &c.

S. Elisabethæ in maritum mortuum pietas. 558.

Epistola petitoria pro defunctis. 1046.

Epitaphium militis ex amore commilitonis defuncti mortem obeuntis. 182.

Epitaphium animæ purgandæ. 500.

Esau planctus ex jactura primogenitorum cum planctu defunctorum collatus. 195.

Esuriunt mortui. 486.

Executionis voluntatis ultimæ obligatio. 573. tempus. 574. gravitas obligationis. 575.

Executionis neglectæ indignitas. 576. nominatim ex infidelitate. 577. multiplici. 578. Et malitiosissima. 579. sita in quadam negatione Purgatorii. 580. Ex fraudatione ultimarum voluntatum. 581.

Executor quid in dubio an testator sibi, an alteri mortuo eam prodesse volueris. 898. sit nec ne in gratia dum dat eleemosynam non refert. 897.

Exempla pœnæ infidorum executorum. 589.

F.

FErdinandi III. Imperatoris cura pro mortuis. 946.

Filiorum in parentes mortuos officia. 503.

Flagelli admissio, non perpessio confert ad satisfactionem. 833. discrimen inter utramque. 834. hinc materia solatii defunctorum. 835.

Formulæ petendi Eleemosynam pro defunctis post concionem. 1059.

Francisci à puero Jesu caritas in defunctos 869.

Fraudationis ultimarum voluntatum indignitas. 576. & fusè.

Frigus an cruciet fideles defunctos. 348. 349. &c.

Fundationes piæ in gratiam defunctorum. 899. Caroli Magni. ibidem. aliorum confertim. 900.

Fundationis novum genus. 901.

Fundatoribus vivis, & mortuis quot Missas reddat Societas. 611.

Funeris honor negatus subinde prodest defunctis. 985.

G.

GAudii beatifici jactura tristis. 166. Ex gaudii causis. 167. 169. Et bonis, quibus gaudent Beati. 173. 176. & sequentibus.

Gersonis æthopeia matris è Purgatorio filium alloquentis. 526.

Gloriæ æternæ jactura defunctis acerba. 187. propter damni æternitatem. 188. Quomodo fiat hæc iactura. 190. Neglectus gratiarum non semper culpabilis. 192. sed ordinariè. 193. Confertur hæc iactura cum aliis. 195.

Gloriæ maioris iactura turpis ob repudiationem. 198. In qua inest ingratitudo. 199. Et pudoris ingentis materia. 200.

Grati animi exempla erga fundatores. 609.
Gratiæ sanctificantis rejectio defunctis acerba propter ejus excellentiam. 206. propter ejus effecta. 209. Confertur hæc repulsa cum aliis repulsis Vasthi Reginæ. 211. cum probro Antipatri. 213. Et S. Hormisdæ. 214.
Gratiæ status ad satisfactionem necessarius. 826. non ad impetrationem 827.
Gratiæ, gloriæque augmentum, merces charitatis in defunctos. 731.
Gratiam defunctis referendi obligatio qualis. 605. Etsi levis multùm impellere solet. 606. & debet. 607. potissimùm religiosos. 608.
Gratiarum actualium repulsa defunctis tristis, quia sunt voces divinæ. 202. Et benedictiones Dei, & pretium Sanguinis Christi. 204.
Gratitudo S. Theresiæ in Fundatores. 613.

H.

HÆreticorum confutatio circa Purgatorium. 2.
Hæreticorum crudelitas in defunctos. 429.
Hæredes pia legata solvere oportet. 559.
Hæredes, qui ea non solvunt sanguisugæ, & homicidæ. 561. Et perfidi in defunctos. 563. Gravitas illius perfidiæ. 364. maxima. 566.
Hæredis in patrem pii exemplum illustre. 572.
Hæredum perfidia, quibus pœnis digna. 568. in hac vita. 569. Et in altera. 570.
S. Helenæ planctus audita Christi morte, cum planctu defunctorum collatus. 126.
Hierosolymæ vastatæ fletus cum fletu defuncti collatus. 183.
Historia ægroti tres Purgatorii dies anno morbi præoptantis discutitur. 306.
Honestum, & laudabile est defunctis opitulari. 627.
S. Hormisdæ infamia, defuncti infamiam adumbrat. 223.
Hospitio excipiendi mortui. 496.
Hugonis Petrapontii Episcopi Leodiensis, viri piissimi, longum Purgatorium. 414.

I.

IAcob, & Joseph desiderium sepulturæ juxta Messiam. 159.
R. P. Jacobi Rhem pietas in defunctos. 35.
Jactura Dei quanti sit facienda. 100. 102.
S. Idæ revelatio de atrio Cœli. 45.
Jejunii neglectus tristis defunctis. 242. 243. &c.
Jejunii nomine intellige etiam alias corporis afflictationes. 868. flagellationes. 869. & alias molestias. 873.
Jejunium inter satisfactoria primum nominatur. 862. cedit tamen eleemosynæ. 891. nominatimque valet ad defunctos levandos. 863. Ex sensu etiam Ecclesiæ. 864. Et exemplis. 865. S. Tettæ. 866. B. Gratiæ. 867.
Jephtiadis dura sors cum pœna damni collata. 147.
S. Ignatii gratitudo in Fundatores defunctos. 609.
Igne cruciantur defuncti. 264. 265. &c. vero & corporeo. 266. sulphureo. 271. Bituminoso. 272.
Ignis nostratis vis impulsiva. 118.
Ignis qua ratione cruciet defunctos. 273. defuncti igni alligantur. 274. Et uruntur. 277.
Ignis quantopere cruciet defunctos. 282. 283. &c. ostenditur ex SS. Patribus. 288. Ex Theologis, ac philosophis. 291. &c.
Ignis Purgatorii vis divinitus augetur. 297. 298. præsertim in culpas mortales. 299.
Ignis Purgatorii varius cruciatus. 301.
Ignis noster, quo pacto pictus respectu purgantis. 302.
Ignis Purgantis acerbitas ex oraculis & ostentis demonstratur. 303. 304. &c. Item ex contactu. 308.
Ignis purgantis acerbitas confertur cum morbis. 312. 313. &c. Cùm suppliciis latronum. 317. 318. Cùm tormentis Martyrum. 321. 322. Cum cruciatibus S. Christinæ mirabilis. 324. & cæteris voluntariis pœnis. 326.
Ildefonsæ de Luna gaudium, quòd mors ipsi instaret. 135.
Indignitas parentum stipem mortuis liberis negantium 537.
Indulgentia plena rarissimè tota obtinetur. 403.
Indulgentia Communionis Generalis similis foliis arboris Indicæ. 1017.
Indulgentiæ vivis concessæ non applicandæ defunctis. 991. Non est opus statu gratiæ ut defunctis destinentur. 992. qui solent eas dare defunctis, ipsi certiùs juvantur. 993.
Indulgentiæ sodalitatis defunctorum. 1059.
Indulgentiæ Communionis Generalis causa efficax. 1020.
Indulgentiarum neglectus tristis defunctis. 259.
Inferni magnitudo. 29.
Ingrati in parentes mortuos liberi lapidandi 520.
Ingrati in parentes mortuos liberi inhumaniores paganis in bestias mortuas. 524.

Ingratitudinis filiorum in parentes defunctos indignitas. 517. adulteri censendi. ibidem. Et digni, quibus oculos vorent corvi. 518. Et hæreditas, & vita suspendio adimatur. 520.
Injuriarum condonatio prodest defunctis. 882.
Innocentii Papæ III. Purgatorium usque ad diem Judicii expenditur. 389.
Instinctus an in dandis satisfactionibus sit sequendus. 858.
Intentio ad satisfaciendum pro se non est necessaria. 840. sed ut prosit defunctis. 841. sufficit virtualis. 842. vel habitualis. 843.
Intentio satisfaciendi pro defunctis, indistincta valet. 844.
Intentio qualis requiratur, ut opus defunctis prosit. 849.
Joannæ de S. Catharina, Dominicanæ, flagellatio sui pro defunctis. 872.
S. Joannæ de Cruce sensus de ignis purgantis acrimonia. 303.
Joannis Fernandez Revelatio de gravitate pœnæ damni. 143.
Joannis Fernandez pietas in Patrem mortuum. 527.
Joannis Sancii refutatio pro parentibus defunctis. 444.
Jonathæ dolor ob condemnationem ad mortem cum dolore defunctorum collatus. 175.
Irenes Imperatricis dura sors cum pœna damni composita. 148.

L.

LAcrymas sanguineas pro defunctis fundit Liduina. 725.
Latronis pice ardenti illiti quàm triste spectaculum. 421.
Latronum supplicia cedunt suppliciis defunctorum. 317.
S. Laurentii patientia singulis diebus veneris animam purgandam liberat. 880.
Legata pia hærædes solvere debent. 559.
Legati pii prærogativa. 560.
Lege naturæ obligamur defunctos juvare. 438. 439. Ex caritate nativa. 440. Ex ratione membrorum ejusdem corporis. 441. Ex omniũ gentium consensu. 442. Et assensu Theologorum. 443. ad eam legem observandam exhortatio. 447.
Liberalitas Dei in misericordes. 731.
Libri de defunctis edendi, & legendi. 1045.
S. Liduinæ morbi. 314.
S. Liduinæ sensus de gravitate pœnæ Purgatorii. 304.
S. Liduinæ tolerantia pro defunctis. 723.
S. Liduinæ visiones de Angelorum officiis in defunctos. 723.
Locus Purgatorii ordinarius subterraneus. 24. Orco vicinus. 26. non tamen continuus. 27.
Locus extraordinarius varius. 32. Etiam in glacie. 37.
S. Ludovici Franciæ Regis cura pro mortuis. 947.
Ludovici Pii Regis Franciæ Purgatorium, 30. & amplius annorum. 414.
Lutherus Purgatorium agnoscit, & negat. 5.

M.

B. Magdalenæ Paziæ revelatio de atrio Cœli 46.
B. Magdalenæ Paziæ desiderium amoris Christi. 153. & 160.
B. Magdalenæ Paziæ sensus de ignis purgantis acrimonia. 303.
B. V. Maria quolibet momento juvat defunctos. 708.
Mariæ Stuartæ probra conferuntur cum probris animæ defunctæ. 76.
B. Mariæ Virginis misericordia in defunctos. 701.
Martyrio cõparatur caritas in defũctos 681.
Martyrum supplicia cedunt suppliciis defunctorum. 321. tam recentia. 323. quàm antiqua. 321.
Mater quinquennio flet filium mortuum, & è Purgatorio liberat. 541.
Matris lacrymæ immoderatæ filio mortuo nocent. 540.
S. Melchtildis revelatio de gravitate pœnæ damni. 141. 142.
Meriti majoris est satisfactionem suam defunctis applicare, quàm sibi reservare. 627. Probatur authoritate. 628. Probatur ratione. 629. Item ab absurdis contrariæ sententiæ. 630. Istius sententiæ defensio R. P. Francisci Veckeni. 631. Corollaria ex dictis. 632.
Minæ in adversarios defunctorum. 696.
Miseratio animarũ ob pœnam damni. 145. 260. &c. habenda similis commiserationi in Abelem mortuum. 146. Et Jephtiadem. 147. Et Irenem Imperatricẽ, 148.
Miseratio animarum, quas ob leves culpas ignis urit. 347.
Miseratione omnium mortalium anima unica digna est. 418. Quantâ omnes defunctæ. 419.
Miserendum defunctorum exemplo Judæorum. 478.
Misericordia in hac vita regnat. 340. semper hac in vita minores sunt meritis pœnæ. 341 licet gravissimæ. 342.
Misericordia est quid divinum. 657. maximè in defunctos. 658.
Misericordia, Dei anima. 692.

Misericordia Dei in pios manes. ibidem, & sequentibus.
Misericordia Deiparæ in defunctos. 701.
Misericordia Angelorum in defunctos. 711. Ejus exempla. 721.
Misericordia, vide Amor, Caritas in defunctos.
Misericordiæ lex sæpe promulgata. 470.
Misericordiæ spiritualis lege arctiùs obligamur. 471.
Misericordiæ lex spectat defunctos. 472. Probatur ex conditionibus misericordiæ. 473. 1. quia miseria defunctorum nostra censeri potest. 474. 2. quia est præter voluntatem illorum. 475. 3. quia miseria eorum dignitati repugnat. 477.
Misericordiæ illius neglectus, culpabilis. 479.
Misericordiæ corporalis singula opera defunctis præstanda. 481.
Missa maximè valet ad satisfactionem pro defunctis. 934. Patet exemplo Bernardi liberantis Conversum. 935. Item alium. 936.
Missa liberat è Purgatorio Præsidem molliorem. 937.
Missa cum numismate an licita sit pro Missa in altari privilegiato. 960.
Missa cantata quomodo præstet simplici. 962.
Missa de Requiem non est pro vivo facienda. 965.
Missæ R. P. Josephi Anchietæ multos è Purgatorio liberant. 938. 939. 940.
Missæ Gregorianæ non sunt præceptæ. 957. Non est necesse eas ab uno fieri, neque vim habent peculiarem. 958.
Missæ quæ defunctis sint utiliores. 961.
Missæ pro defunctis statim fiant. 966.
Missæ auditio qualiter prosit defunctis 967. 968.
Missæ fructus impetrationis ex opere operato prodest defunctis. 969.
Missæ neglectus tristis defunctis. 256. 257. &c.
Missæ plurium facierum antiquæ improbantur. 597.
Missarum stipendii furem detegunt defuncti. 943.
Missarum varietas antiqua, quantum ad dies. 951. Primo, Tertio, Septimo die pro defunctis factum. 952. Item Trigesimo, & anniversario, sunt & quotidianæ Missæ. 953. dies commemorationis defunctorum. 954. Ejus causa. 955.
Missarum pro defunctis numerus trigesimus. 956.
Missarum distinctio ex loco privilegiato. 959.
Missas desiderant defuncti. 941. Multa confertim ejus desiderii exempla. ibidem.
Missas R. P. Mastrilli defuncti exoptant. 942.
Missas procurandi defunctis cura S. Odilonis. 944. Item Notgeri, & S. Brunonis, ibidem. Item S. Caroli Boromæi. 946. Item S. Ludovici Regis. 947. Item Ferdinandi III. Imperatoris. 948. Item ejus uxoris. 949.
Missas ante mortem tibi cura 963.
Missas pro defunctis audientium exempla. 970.
Molaris lapidis ex alto ruentis impetus. 117.
Molestia operi, ut satisfactorium sit, conjuncta esse debet. 830.
Mons pietatis ad stipendia Missarum. 950.
Morborum numerus. 312. acerbitas. 313. demonstrata in Liduina. 314. cedit acerbitati ignis Purgatorii. 315.
Mors militis ex tristitia, & complexu commilitonis. 182.
Mortes præ pudore 223.
Mortes ex peccatorum dolore. 227.
Mortificatio defunctis valde prodest. 863.

N.

NEcessitas opis mortuis ferendæ. 430. Abrahami exemplo. 431.
Neglectus eleëmosynæ tristis defunctis. 238. &c.
Neglectus jejunii acerbus defunctis. 242. 243. &c.
Neglectus orationis durus defunctis. 245. 246. &c.
Neglectus Sacramentorum tristis defunctis. 252. 253.
Neglectus Missæ defunctos cruciat. 256. 257. &c.
Neglectus indulgentiarum defunctis gravis. 259.
Neglectus misericordiæ in defunctos culpabilis. 479.
S. Nicolai Tolentini pietas in defunctos. 34.
Notgeri cura pro mortuis. 944.

O.

S. Odilonis cura Missas defunctis providendi. 644. an illi debeatur dies commemorationis defunctorum. 664.
Odium dæmonis in defunctos. 86.
Officium defunctorum antiquum. 1040. Illi addicti. 1041. 1042.
Opus ad satisfaciendū pro defunctis sit bonum. 830. Quò melius, eò magis satisfacit. 831. sit voluntarium. 832. Potest esse præceptum 836. sit molestum. 837.
Opus meritorium est satisfactorium. 838.

Licet delectet. 839. Non debet destinari ad satisfaciendum. 840. ut prosit defunctis iis destinetur. 841. actuali, vel virtuali intentione. 842. Vel etiam habituali. 843. Indistincta destinatio non est inutilis. 844. Potest revocari. 845.
Orandum singulis horis pro defunctis. 1048.
Oratio quantum defunctis prosit per impetrationem 913. Quid impetret. 915. An remissionem pœnæ proximè impetret. 916.
Oratio satisfacit pro defunctis 918. & 919.
Oratio pacem defunctis creat. 920. Iisdem est thymiama. 921. Aqua. 922. Eam aquam Sanguis Christi sequitur. 924. Iisdem est sacrificium. 925. Ejus fructus. 926. In defunctos. 927. Iisdem est clavis cœli. 929. Item lumen. 930. Item nervi, vita. 931. Item prodigiosa liberatrix. 932. 933.
Oratio perpetua pro defunctis. 1056. Ad honorem perpetuæ Passionis Christi. ibidem.
Orationes pro defunctis variæ. 1039.
Orationis neglectus tristis defunctis. 245. 246. &c.
Otto Imperator mortuus flagellationes pro se petit. 869.

P.

S. Pachomius monachum funeris honore privat, ut liberet Purgatorio. 885.
Paradisi terrestris arbores, quando fructus proferrent 1025.
Paradisi Cœlestis arbor vitæ, quando fructus proferat. 1026.
Parentes inter, quibus potiùs suffragaberis. 851. An iis subinde amici præferendi. 852. In dubio suffragandum sub conditione 853. Vel quibus Deus novit me magis obligari. 854.
Parentes liberis defunctis opem debent lege propria. 529. 530. Nominatim alimenta. 531. Vestes. 533. Domicilium. ibidem. Pharmaca & curam valetudinis. 534. Et doctrinam. 535. & vitæ genus honestum. 536.
Parentibus defunctis quid debeant filii. 503. Ingratitudinis in eos indignitas. 517 obligatio in eosdem ob beneficia supernaturalia. 321. Non violanda. 524.
Parentum indignitas stipem liberis defunctis negantium. 537.
Parentum in liberos defunctos piorum exempla. 538. B. Borgiæ. ibidem. D. Chantal. 539.
Parentum nimius amor Purgatorio castigatur. 872.
Participationis meritorum fructus. 943.
Passideæ pietas in Patrem mortuum 527.
Patientia adversorum defunctos levat. 878.
Patientia est desponsio cum sponso cœlesti. 879.
Patientia S. Laurentii animam unam singulis diebus veneris Purgatorio eximit. 880.
Patientia pauperculæ monachum liberat è Purgatorio. 881.
Patres in limbo cur non multum cruciarentur. 129.
Patriæ amor Sertorii Ducis. 159.
S. Patricii Purgatorium. 57. 58. 59. &c.
Pauciſſimi Purgatorii immunes. 336.
Peccantium mortalium fatuitas, quod contemnant Purgatorium. 329. deflenda magis quàm Jerosolymæ excidium. 331.
Peccata leviſſima solâ pœnâ damni plectuntur. 332. tamen venialia aliqua pœnâ ignis cruciantur. 333. 334. 335. 336. etiam levia 337. & subinde leviſſima in speciem. 338. etiam postquam Diva Virgo morienti adfuit. 339.
Peccati macula defunctis acerba ob Dei notitiam majorem. 215. 216. ob Dei amorem. 217. quia Dei injuria est graviſſimum malum. 218. maximè mortifera. 220. Confertur cum pudore mortalium. 224. Patet exemplo conversi defuncti. 228.
Peccati proprietates, & effecta tristia defunctis. 229. 230. 231. &c.
Peccato mortali condonato quævis ejus pœna brevis. 370 non est longior pœna omnium venialium. 372.
Peccator defunctis veniam potest obtinere. 828. sed multò certiùs, ac pleniùs liberà mortali. 829.
Peregrinatio ad S. Levini pro defunctis. 1038.
Peregrinationes Deo gratæ 1034. ad satisfaciendum utiles. 1035. Confirmatur historiis. 1036. 1037.
Peregrini sumus. 496.
Petrus Arriaga Soc. Jesu pro defunctis se flagellat. 870.
Philippi III. Hispaniarum Regis in uxorem mortuam pietas. 558.
Pietas quid? 503.
Pietas impendenda parentibus defunctis. ratio Theologica 504. moralis, quia parentes liberis dant esse. 505. 506. 507. 508. deinde propter alia naturalia & supernaturalia beneficia. 511. 512. 513. &c. Ingratitudinis in defunctos parentes indignitas. 517
Pietas paganorum in parentes mortuos. 510.

INDEX RERUM.

Pietatis filiorum in parentes defunctos exempla 527. Dionysii Carthusiani, Catipratani, Susonis, Fernandii, ibidem.

Pietatis fœminarum in parentes defunctos exempla. 528. B. Herculæ, S. Catharinæ Senensis, Passideæ, Catharinæ de Cardona. ibidem.

Platanus quædam Regi Xerxi mirè adamata. 1027.

Pœna damni aliquando sola luenda restat. 38. 39. Theologica ratio afferendi. 40. Ratio moralis 43. multæ revelationes, & visiones id probant. 44. 45. &c.

Pœna damni quæ includat. 92. Certum est purgandas animas Deum non videre. 93.

Pœna damni. vide tristitia defunctorum.

Pœna damni cujusdam Comitis. 141. multarum animarum ostensa Melchtildi. 142. alicujus Jesuitæ. 143. Fratris conversi. 144.

Pœnâ damni eximēs defunctos alter Moyses. 643. alter Cyrus. 646.

Pœna sensus, vide ignis.

Pœna sensus eximens defunctos superat omnem misericordiam corporalem. 651. similis Angelo, Lotho, & Deo tres pueros è fornace Babylonica eruenti. 655. 656.

Pœnæ damni prior causa, retardatio possessionis Dei. 95. Quid Dei possessio. ibidem. quanti ejus jactura sit facienda. 100.

Pœnæ damni gravitas generatim ostenditur. 121. Item speciatim ex ratione peregrini. 122. Ex dignitate filiorum Dei. 123. Et hæredum Cœli. 124. Et sponsarum Christi. 125. omnem superat mœrorem. 126.

Pœnæ quælibet voluntariæ mortalium cedunt purgantibus. 326.

Pœnæ hujus vitæ confirmant gravitatem pœnarum alterius. 340. semper sunt minores meritis. 341. Licet ob leves culpas gravissimæ. 342.

Pœnæ peccati originalis diuturnitatem purgantium comprobant. 362.

Pœnæ damni exemptio quantâ laude digna. 643.

Pœnæ sensus exemptio quàm laudabilis. 650.

Possessio Dei quid sit. 95. quanti æstimanda. 100. Quid pro ea ferendum. 101. quanti ejus jactura sit facienda. 102. 105. Cùm sit privatio Dei. 104.

Potandi defuncti. 483.

Prædestinationis notæ omnes in amatore defunctorum. 774.

Probrorum condonatio prodest defunctis. 882.

Psalmi pœnitentiales valent ad placandum Deum. 1043.

Psalmi *De profundis* defunctis applicati paraphrasis. 1044.

Pudor defunctorum ex peccati macula, 221. &c.

Purgatorii tres hostes, mundus, caro, dæmon. n. 1. his hæresis militat. n. 2.

Purgatorii locus subter terram. 24. 25. orco vicinus. 26. non continuus. 27. Ejus à nobis distantia. 28.

Purgatorii loca extraordinaria. 30. non omnino certa. 31. Ad rupem quamdam juxta mare Siculum. 32. Ad Pisas. 34. Ingolstadii, & in Brasilia. 35. apud Wormatiam. 36. In glacie. 37.

Purgatorii pœnas petens ante mortem, quàm dirè cruciatus. 421.

Purgatorium esse probatur è Scriptura. 3. 10. Ex Ecclesiæ sensu 8. 9. Ex Sanctis Patribus. 11. Græcis 12. Latinis. 13. rationibus. Ut leves noxæ hic impunitæ castigentur. 18. Ut graviorum pœna hic non remissa exigatur. 19. In quo non fit Christo injuria. 20. Quia negato Purgatorio tollitur justitia, & providentia Dei. 21.

Purgatorium S. Patricii. 57. refutatur generatim. 59. refutatur sigillatim 60.

Purgatorium an in Resurrectione Christi, aut Assumptione Divæ Virginis sit exhaustum. 365.

Q.

Querimonia de ingratitudine liberorum in parentes mortuos. 516.

Querimonia de parentibus prolis mortuæ immemoribus. 557.

Querimonia de hæredibus ingratis. 161.

Querimonia de Executoribus infidis, 576.

Querimonia de iis qui religiosos fratres defunctos negligunt. 617.

R.

Redimendi defuncti. 490.

Religionis encomia, unde obligatio Missarum pro defunctis eruitur. 617.

Religiosorum diuturnitas Purgatorii. 381. 382.

Religiosorum eiusdem ordinis obligatio ad Missas pro fratribus solvendas. 615. In negligentes insectatio 617.

Repulsæ Vasthi infamia confertur cum infamia animæ ex altiori gratiæ gradu dejectæ. 212.

Revelationes de gravitate pœnæ damni. 44.

Revelationes SS. de gravitate pœnæ sensus. 303. 304.

Roma peregrinis mater. 498.

S.

SAcerdotes pauperes alendi ut sacrificent pro defunctis. 1052.
Sacerdotes multi cur damnentur. 600.
Sacerdotum obligatio ad Missas accepto stipendio. 595. Et brevi quidem faciendas. 596.
Sacramentorum neglectus tristis defunctis 252. 253 &c.
Salomon an ad usque hæc tempora in Purgatorio. 364.
Samueti Regis dolor cum dolore defunctorum collatus. 195.
Sanctioribus defunctis an potius saffragandum. 861.
Sanctorum Communio purgatorium asserit. 432.
Satisfaciendi pro defunctis tempus. 846. 847.
Satisfactionem defunctis applicare majoris meriti est, quàm sibi reservare. 627. 628 629. 630. 631. Ex dictis corollaria 632.
Satisfactiones omnes dantium defunctis exempla. 810.
Satisfactiones omnes suas dare defunctis, pulcherrima eleëmosyna. 908.
Satisfactiones præteritæ quomodo dentur defunctis. 848.
Satisfactiones iis dentur, quibus obligaris. 849. Primùm ex justitia. 850. tum ex pietate. ibidem. & 851. ordo inter parentes. 85. Quid de aliis dicendum. 852. In dubio suffragandum sub conditione. 853.
Satisfactiones suas defunctis addicentis laus ex beneficio liberationis à pœna damni. 642. 643. Et à pœna sensus. 650.
Satisfactiones iis dandæ, quibus Deus novit me obligari 854. qui dantis intentionem benignè interpretatur. 855. Præcipuæ præcipuis assignandæ. 857. an sequendus instinctus. 858. uni magis prosunt, quàm multis. 859. Suffragandúmne multis potiùs, quàm uni. 860. An sanctioribus potiùs quàm aliis. 861.
Satifactiones suas addicentis laus ex natura satisfactionis. 633. quòd satisfactio à gratia procedat. 636. Et ex opere supernaturali. 637.
Satisfactiones suas defunctis addicentis laus eximia ex procuratione gloriæ cœlestis 657. ex illatione præconum Dei in cœlum. 664. Ex periculo pœnarum, quibus se exponit. 678. qua ratione comparatur Martyri. 681. Et Moysi, ac Paulo. 685.
Satisfactionis neglectus in largienda stipe tristis defunctis. 238. 240. 241. In jejunio non servando. 242. &c. In oratione 245. 246. &c.
Satisfactorium opus sit bonum. 830. quò melius, eò aptius. 831. Potest esse præceptum. 836. sit molestum. 837. sit voluntarium. 832. Per se est satisfactorium pro te. 840. ut prosit defunctis iis destinetur. 841. saltem virtuali. 842. vel etiam habituali intentione. 843. Indistincta intentio valet. 844. Potest revocari. 845.
Securitas salutis, merces caritatis in defunctos. 740.
Sensus unusquisque an proprio tormento afficiatur in Purgatorio. 352.
Sepeliendi defuncti. 499.
Sepulchrum animæ purgandæ, cor Christi. 500.
Sepultura animæ purgandæ. 499.
R. P. Silveriæ negotiatio spiritualis. 239.
Sinensium justa. 442.
Sitis, quantum malum. 483.
Sitiunt vehementer defuncti. 484.
Societas Jesu quid causâ defunctorum egerit. in Epistola dedicatoria.
Societas Jesu Communionem Generalem continuet. 1028. quia obligatur ut Christi acies. 1029. Ut mater animarum. 1030. Et ordo quidem Angelorum Custodum. 1031. quid inde sperandum. 1032.
Sodalitates in gratiam defunctorum. 1057.
Sodalium defunctorum elogium ex nomine sodalis. 1060. confratris. 1061. ex comparatione cum primis Diaconis. 1062. Cum Legatis. 1064. Cum Patronis. 1065.
Sosæ captivitas cum defunctorum calamitate collata. 122.
Spes Cœli dolorem defunctorum parum minuit. 127.
Spes brevis, aut nullius Purgatorii, si omnes satisfactiones des mortuis. 810.
Sponsæ S. Alexii planctus cum defunctorum planctu collatus. 126.
Status gratiæ ad satisfactionem necessarius. 826, non ad impetrationem. 827.
Stipendia plura pro una Missa accipere nefas. 598.
Stipendii Missarum furem detegunt defuncti. 943.
Supplicatio pro Communione Generali. 1019.
B. Susonis pietas in matrem mortuam. 527.

INDEX RERUM.

T.

TEmplum est Cœlum. 995.
Templum est Paradisus. 1000. In eo arbor vitæ, Eucharistia. 1004. 1009. Dans immortalitatem 998. 1005. Deus eam plantavit. 1006. Idque indicare visus est. 1008.
Temporalia bona procurat pietas in defunctos. 783.
Tempus satisfaciendi, tempus vitæ. 239.
Tenebræ Purgatorii quomodo cruciant. 73. 74.
S. Teresiæ dolor de mortis mora. 133.
S. Teresiæ gratitudo in Fundatores defunctos. 613.
Testator in dubio an sibi, an alteri stipem datam prodesse voluerit, censendum est sibi voluisse. 898.
S. Tetta jejunat pro defunctis. 866.
Tristitia defunctorum ex jactura visionis beatificæ. 106. 107. Propter illius desiderium ingens. 108. quod patet ex eorum cognitione summi boni. 109 quæ tormentis minimè turbatur 110. & securitate salutis. 111. & Numinis amore. 112.
Tristitia ex jactura visionis beatificæ confertur cum tristitia mortalium ex absentia Dei. 130. 132. 133. 136.
Tristitia eadem confertur cum mœrore Divæ Virginis. 137. 138. 139. 140.
Tristitia eadem dictis & ostentis comprobatur. 141.
Tristitia ex jactura amoris beatifici. 150. & sequentibus.
Tristitia ex jactura gaudii beatifici. 166. 167. &c. confertur cum mœrore Jacob. 170. Et mœroribus improborum. 171. Et proborum. 172. cum mœrore militis mortui ex nece commilitonis. 182.
Tristitia defunctorum ob jacturam Dei confertur cum mœrore Solymæ in Threnis Jeremiæ. 183.
Tristitiæ illius causa prior. 134. Posterior 135.
Tunquinensium justa. 442.

V.

VEnialia singula pœnæ morâ digna sût. 373. sub mortem quot sint. 375. Et quàm diuturnæ illorum pœnæ. 376.
Ventorum vis. 118.
Vermis conscientiæ in Purgatorio crudelissimus. 144.
S. Veronicæ sensus de acrimonia ignis Purgatorii. 304.
Vestiendi defuncti. 493.
Visio Dei. vide Possessio.
Visio Dei est expressa illius imago. 103.
Visiones diversorum de Atrio cœli. 44. &c.
Visitandi defuncti. 481.
Vitæ hujus pœnis confirmatur acerbitas pœnarum alterius. 340. 341. 342.
Vitæ anteactæ opera jam defunctis applicari non possunt. 846.
Vltimarum voluntatum fraudatores injusti. 576. Infideles. 577. &c. contra eos clamant defuncti. 583. & exaudiuntur. 584.
Ultimarum voluntatum fraudatores homicidæ pauperum. 583. In eos minæ. 587. Et pœnarum exempla. 589. 590. 591.
Uni magis prodest suffragium, quàm multis. 859. An uni potius dandum quàm multis. 560.
Utilitates charitatis in defunctos. 731. Gratiæ, gloriæque augmentum ex ea profectum. ibidem. &. 733. &c. securitas salutis. 740. Procuratio commodorum temporalium. 783. solida spes Purgatorium brevi evadendi. 804.

FINIS.

ERRATA PRÆCIPVA.

Numero marginali. 13. linea. 25. *Valense.* lege *Vasense.*
N. 26. linea 23. *infaustissimis*, præpone, &c.
N. 40. l. 7. *rerum.* lege *reum.*
N. 83. l. 11. *Oratio.* l. *oratione.*
N. 125. l. 8. *conjugii.* l. *conjugiis.*
N. 127. l. 25. *exigne.* l. *ex igne.*
N. 187. l. *prabet.* l. *habet.*
N. 240. l. 5. à fine. *licet.* l. *loco.*
N. 248. l. 6. *quæ.* l. *quas.*
N. 160. l. 1. adde *hæc.*
N. 267. l. 25. *tandem.* l. *tamen.*
N. 297. *Gregorius.* l. *Georgius.*
N. 300. l. 3. *quo.* l. *de quo.*
N. 303 l. 23. *Senensis.* l. *Gennensis.*
N. 304. l. 25. l *culpationem.* l. *cultiorem.*
N. 311. l. 26. *Dora.* l. *Doria.*
N. 437. l. 30. *homini.* l. *hominis.*
N. 447. l. 5. *constat.* l. *constet.*
N. 480. l. 30. *dicimur.* l. *ducimur.*
N. 514. l. 25. *hic.* l. *hæc.*
N. 610. *fide.* l. *cum fide.*
N. 644. l. 24. *fortona.* l. *cortona.*
N. 660. *samur.* l. *Sanmir.*
N. 517. l. 11. *vero.* l. *ego vero.*
N. 680. l. 5, *hic.* l. *hæc.*
N. 732. l. 27. *Syranus.* l. *Lyranus.*
N. 743. l. 8. *consequi.* l. *consequitur.*
N. 761. l. 12. *effunditur.* l. *effundatur.*
N. 817. l. 3. *in motibus.* adde *secundo primis.*
N. 814. l. 8. *mille.* l. *centum.*
N. eodem l 13. à fine *jejuniis.* l. *jejunus.*
N. 816. l. 12. *eos.* l. *eas.*
N. 898. l. 6. *destinato* l *si destinato.*
N. 1065. l. 6. à fine. *damnatur.* l. *domin*
Dom. 1. adventus Conc. 1. *ferra.* l. *fere.*

P.
Hautin
Parisiensis
Pfunctorius

Th
595a